N 16

DEGL' ISTORICI DELLE COSE VENEZIANE,

I quali hanno ſcritto per Pubblico Decreto,

TOMO SECONDO,

CHE COMPRENDE LE ISTORIE VENEZIANE LATINAMENTE SCRITTE

DA

PIETRO CARDINALE BEMBO.

Aggiuntavi la Vita dell' Autore, la Cronologia eſatta nel margine, e un indice copioſo.

BIBLIOTEKA E SHTETIT SHKODER
Nr. 4659
BIBLIOTEKA ... BARLETI SHKODËR 1806

IN VENEZIA, MDCCXVIII.
Appreſſo il Loviſa.
CON LICENZA DE' SUPERIORI, E PRIVILEGIO.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

BIBLIOTEKA PUBLIKE
"MARIN BARLETI"
SHKODER (2018)



(a) PETRI CARDINALIS BEMBI VITA,

(b) Auctore JOANNE CASA.

Notis illustravit & auxit

APOSTOLUS ZENUS.

(a) Petri Bembi *vita*) *Petri Bembi* vitam, praeter *Joannem Casam*, enarravit etiam Italice *Ludovicus Beccatellus*, patricius Bononiensis, archiepiscopus Ragusinus, & apud Venetos Nuncius apostolicus. Vernaculo pariter sermone circumfertur, ad *Bembi* historias in vernaculum sermonem translatas edita, altera ipsius vita auctore anonymo; qui tamen in eam inspexisse videtur, quam *Casa* conscripsit, unde praecipua quaeque summatim excerpta. Hanc minime fortasse aberrant, si qui *Carolo Gualterutio*, Fanensi, qui *Bembo* persamiliaris fuit, adjudicant. Eamdem quoque exposuere *Franciscus Sansovinus*, ac *Andreas Thevet*, Gallus, aliique multi; inter quos plura scitu dignissima retulerunt *Benedictus Varchius*, & *Speronus Speronius*, utrique in funebri *Bembi* laudatione: alteram e suis typis Antonius-Franciscus Donius, anno M.D.LII. evulgavit; altera una cum aliis *Speronii* orationibus omnium manibus teritur.

(b) *Auctore* Joanne Casa) *Bembo* familiarissime usus est *Casa*. Satis utriusque opera testantur, quanta inter ipsos intercederet necessitudo, quae alterum alteri primum Patavii conjunxit anno M. D. XXVIII. cum *Casa* una cum *Beccatello* illuc profectus est, ut graecas literas a clarissimis illius aetatis doctoribus disceret. Id tradit *Antonius Gigas*, Parmensis, qui *Beccatelli* fuit ab epistolis, in ejusdem *Beccatelli* vita, cujus exemplum debeo humanissimo aeque ac eruditissimo viro *Joanni-Josepho Urfio*. Ipsa *Gigantis* verba juvat hic exscribere, cum praecipue quaedam de *Casae* vita eadem illustrent, quae clariora fieri optavit etiam vir literarum laude clarissimus *Joannes-Baptista* Abbas *Casottus*, Pratensis, in *Casae* vita pag. 3. Cum enim *Gigas* enarrasset, filio esse obsecutum *Beccatelli* patrem, ut, juris scientia dimissa, graecis latinisque literis operam daret; haec subjicit: *Da così desiderata risposta preso animo Lodovico, & sollevato da lui* (a patre videlicet) *non solo col consenso datogli, ma con denari ancora, in compagnia di* Giovanni (*Joannes Casa* hic erat, quem Bononiae condiscipulum habuerat) *et altri altri se n' andò a Padova, ove a pena arrivato cominciò ad attendere alla lingua greca, trovandosi nell' età di 27. anni.* (IIII. kal. februarias anno M. D. I. Bononiae in lucem editus *Beccatellus*) *& ivi fece stretta amicitia con* PIETRO BEMBO, Trifon Gabrielli, Benedetto Lampridio, *& con altri huomini dotti, & eccellenti.*

P E-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

PETRUS BEMBUS (*a*) VENETIIS natus est, annis post Christum ortum M. CCCC. LXX. (*b*) Patrem habuit Bernardum Bembum, (*c*) hominem, cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clarissimum: nam res Venetum publica a certis nominatim familiis administratur: eae clarae habentur: reliqui cives, quamquam sunt eorum multae amplae honestaeque familiae, neque genus suum magnopere extollunt, & in sua quique re gerenda occupati, civitatis procurationem fere non attingunt. Inter eas familias Bembi antiquissima stirpe orti, cum omni tempore in republica floruerint, ampli in primis, illustresque numerantur. Erat praeterea Bernardus suo etiam privatim nomine, propter juris scientiam, qua plurimum excellebat, apud civitatem multum admodum gratiosus; & propter summam prudentiam, multiplicemque rerum usum, propterque vitae gravitatem, magna in homine erat auctoritas (*d*). Hic cum a sua civitate ad populum Florentinum legaretur, qua in legatione obeunda biennium domo abesse Venetorum legibus cogeretur, faciendum sibi esse existimavit, ut Petrum filium, quamquam admodum is tum puer erat, secum educeret; propterea quod Florentinorum instituta parum a Venetorum moribus illo tempore abessent: non dum enim sub unius dominatione illorum erat respublica, sed nobilitatis fere arbitrio regebatur; &, quod ea civitas praestare ingeniis creditur, acui puerum, in quo jam tunc praeclara indoles eluceseeret, volebat: tum Italicam linguam, qua non elegantissime Veneti, illis praesertim temporibus, uterentur, (*a*) emendari in illo, Florentinorum hominum consuetudine, existimabat posse: nam omnium Italiae nationum commodissime eam loqui civitatem autumant. Nec vero patris consilium filii fefellit industria: sic enim excitatum puerile Bembi ingenium Florentiae est, sic tenerae pueri aures, animusque puro ac dulci illo Etruscorum sermone imbutus, ut jam inde a prima adolescentia, multa cum Latine, tum vero Thusce a se scripta ediderit, quibus nihil hominum auribus politius, nihil omnino elegantius, aut suavius accidere possit. (*b*) Jacebat omnino temporibus illis eloquentia: inquinate enim loquebantur; (*c*) nullus erat verborum delectus, nullum scriptorum discrimen. nam & ipse negligebatur Cicero, vel contemptui potius erat; & Caesarem propter historiam modo cursim & negligenter legebant; Terentium, Virgilium, bonos ceteros, in ludo tantum, idque perpauci, ediscebant: post puerilem illam disciplinam sumebat eos in manus nemo. duros, obscuros, asperos scriptores adamabant; consectabanturque abditas, abstrusasque historias aut fabulas: qui iis ineptiis referti essent auctores, ii eruditi numerabantur: itaque unus Ovidius

(*a*) Petrus Bembus *Venetiis natus est annis post Christum ortum M.CCCC. LXX.*) Dies *Bembi* natalis incidit in XIII. kalendas junias. *Beccatellus*.

(*b*) *Patrem habuit* Bernardum Bembum) Matrem autem *Helenam Marcellam* pari familiae splendore, ac vetustate. *Beccatellus*, *Gualterutius*, *Sansovinus*, & infra etiam ipse *Casa*.

(*c*) *hominem, cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clarissimum*) Doctoratus laurea, equestri gradu, & senatorio ordine insignis *Bernardus* fuit. Plura scripsit, quamvis pauciissima typis vulgata sint. Inter *Sabellici* epistolas libro VIIII. una occurrit a *Bernardo* conscripta; una vero atque altera ad *Petrum Barotium*, Patavinum episcopum, datae, inter eas quae *Petri* filii sunt ad Familiares lib. II. In *Petrarcha Redivivo Tomasini* pag. 27. exstat breve *Bernardi* praeloquium ad duos *Francisci Petrarchae* libros, quos *de Vita solitaria* inscripsit. Refert *Jovius* in Elogiis epigramma a *Bernardo* confectum, & Ravennae sepulcro Dantis inscriptum. Codex est manu exaratus apud *Hieronymum Baruffaldum*, virum doctissimum, cui titulus, *Bernardi Bembi orationes a.* 1487. quarum unam me vidisse memini *in funere Bertholdi Marchionis Estensis pro dominio Venetorum imperatoris in Turcas*. Inter meos codices pariter manu exaratos commentarius latinus servatur de itinere, quod Romam anno M. D. IIII. *Bernardus Bembus* habuit una cum septem aliis pari nobilitate viris ad Julium II. novum Pontificem legatus: qui tamen commentarius ad finem minime perducitur, quod eum, puto, auctor non absolvit. *Bernardi Bembi* plurimi cum laude meminerunt ejus aetatis clarissimi viri, *Politianus* in epigrammatis; *Sabellicus* in epistolis & decadibus; *Carmelita* in poematis; praecipue vero *Marsilius Ficinus* iterum iterumque pluribus epistolarum suarum locis, ubi saepius id jactat, quod vivere sibi temporibus iis obtigerit, quibus tantum virum licuit praesentem intueri. Domi forisque praecipuos magistratus *Bernardus* gessit, quorum aliqua infra incidet mentio. Ad plures abiit mense junio anno M. D. XVIIII. annos natus LXXXV. menses VI. quod manifestum est ex quibusdam *Petri* filii epistolis; atque ex consolatoria de patris morte, quam eidem *Petro* dedit III. non. julias anno M. D. XVIIII. vir doctissimus *Nicolaus Delphinus*, Patricius Venetus. Hanc ipse offendi in quodam meorum codicum mss. qui carmina italica praestantissimorum decimisexti saeculi virorum continet.

(*d*) *Hic* (Bernardus) *cum a sua civitate ad populum Florentinum legaretur*) Una cum *Joanne Emo* a Veneta ad Florentinam rempublicam orator *Bernardus* missus est ob eas causas quas retulit *Scipio Ammiratus* Historiae Florentinae parte II. pag. 124. Itaque *Petrus* cum patrem Florentiam proficiscentem est prosecutus, annos tantum octo natus erat: jure hic itaque vocatur *admodum puer*. Proderit id modo animadvertisse.

(*a*) *Emen-*

(*a*) *emendari in illo, Florentinorum hominum consuetudine existimabat posse*) Plurimum *Bembi* studio ac literis nostratem linguam debere, ne Florentini quidem, qui ejus doctores merito habentur, inficiari audent. Uno id ore confitentur *Salviatus*, *Gellius*, *Varchius*, *Lenzonius*, aliique permulti. Verum, ut *Bembi* laudem ad suos derivent, eum ajunt omnes etrusci sermonis veneres assecutum biennio illo, quo cum patre est Florentiae commoratus. Aliter tamen sentient, si qui secum reputabunt, decennem adhuc *Bembum* Florentia discessisse; qua aetate puer non certas sermonis leges, non nativos, non foris quaesitos orationis colores satis intelligere, quantumvis acri ingenio, poterat. Accedit, quod id temporis & apud Etruscos informis omnino & exlex orthographia, eaque erat loquendi scribendique ratio, ut ex ejus aevi scriptoribus satis patet, quae multum aberat ab illa, ob quam in honore adhuc est saeculum XIIII. sanitate; quamvis *Laurentii Medices* potissimum, & *Politiani*, paucorumque aliorum opera iterum pristinas vires sumere videretur; quorum tamen auctorum scripta, haud illa quidem ita multa, aliquando illius saeculi barbariem redolent, & fluunt lutulenta. Tanti propterea *Bembo* italicam linguam, quanti stetisse latinam, puto. Utramque, non audiendis hominibus, sed doctorum virorum monumentis legendis *didicit*: utramque ex purissimis hausit fontibus: utramque assidua cura, acerrimoque judicio a sordibus purgatam, priorique decori restitutam, certisque legibus firmatam & ipse adhibuit, & aliis adhibendam tradidit: ut merito utriusque parens & magister, si ejus tempora respiciamus, dici & haberi debeat. Plura cum apud *Varchium*, tum apud *Speronium* legito, oratione in *Bembi* funere, omnia iis consona quae hic apud *Casam* occurrunt. Attamen ne ipse quidem diffiteor, plurimum *Bembo*, quamvis admodum puero, profuisse, quod inter Florentinos, per duos integros annos versatus sit; ut, si minus scriberet emendate, quod per aetatem consequi haud licebat: at saltem castigatior in loquendo esset, quam si per illud tempus aut domi suae, aut ubivis extra Etruriae fines degisset.

(*b*) *Jacebat omnino temporibus illis*, &c.) Iisdem coloribus jacentis, ac pene demortuae latinitatis statum expressit laudatus *Speronius*.

(*c*) *nullus erat verborum delectus*, &c.) In eamdem sententiam locutus eloquentissimus vir *Marcus-Antonius Muretus* II. voluminis *oratione* XVI. *Cum post restitutas a Medicea potissimum familia literas, infinita quaedam vis extiterit hominum in omni genere eruditorum, eaque & nostra, & patrum memoria homines summis ingeniis praediti tam multam in latine loquendi studio operam posuerint, ut id unum prope operis habere viderentur: pauciissima tamen eorum scripta, non dico sermonis vitiis careant, nam hoc quidem illorum nemini contigit, sed aliquam saltem priscae illius, & naturae latinitatis imaginem contineant, exteruntur. Ut Graecorum proverbio dicam, multos esse qui thyrsum ferant, sed paucos Bacchos: ita multorum falsa quadam Latini sermonis specie inducta, & oblita oratio est: paucorum latina. Duo in Italia summi viri duce veteris ad hanc laudem capessendam, & quasi antesignani fuerunt*, Jacobus Sadoletus, & Petrus Bembus: *qui etiam propter ejusdem studii similitudinem* Christophorum Longolium *Belgam, in deliciis prope atque in amoribus habuerunt*.

(*a*) *Er-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

dius de veteribus in honore erat. (*a*) Ergo, si verum quaerimus, nihil ante Bembi aetatem Latine scriptum octingentis ipsis annis, aut eo amplius est, quod Romam illam veterem redoleat; aut magnopere lectione dignum sit: soloeciſmum enim vitabant, quantum quidem ex arte grammatica didicerant, idque ipsum haudquaquam semper: id unum praestare qui poterant, Latine loqui se se putabant: nulli, qui purus ille incorruptusque veterum Romanorum sermo esset, noverant, ac ne suspicabantur quidem. Par erat atque idem eorum error, qui Italice scribebant: qui cum duos haberent scriptores, mea quidem sententia, vel cum Latinis, vel cum Graecis conferendos: nam alterius versus & suavitatis plurimum habent & dignitatis, & variis ingenii, aut etiam artis luminibus referti sunt, & animum saepe permovent atque impellunt, ut de amore ne Graecus quidem quisquam melius; alterius oratio dulcis, copiosa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quae legas, non narrari videantur. Hos cum haberent auctores duos, utrumque in suo maxime genere excellentem, scribebant ipsi inepte, abjectissimis verbis; nullus erat orationis ornatus, nullae homine erudito dignae sententiae, nulla compositionis, aut numerorum ratio. licet in manus sumere, quae tunc multi scriptitarunt, (*b*) praeter unum Politianum, illumque ipsum minus dulcem, minus omnino elegantem, quam ut legisse Petrarcae lectissimos versus videatur; ceteros ad unum indignos dicas, qui in scriptorum numero habeantur. unum scurrile vigebat genus; in eo sane ridiculi nonnulli; sed ipsi quoque multis in locis inertes ac languidi. Hanc igitur inter erroris atque insciticae caliginem Bembus ad veterum scriptorum tamquam lumen ac lucem (*c*) respexit primus, primusque ab hominibus, magnis quidem hortationibus, magno suo labore, multis reclamantibus ac repugnantibus, impetravit, ut Ciceronis, ut Virgilii, ut Caesaris similes se se in dicendo, quam Apuleji, Macrobii, Statiique esse mallent; cum contenderet oportere, qui scriberent, eam dicendi formam, quae optima esset, habere animo & cogita-

(*a*) *Ergo si verum quaerimus*, &c.) Idem est *Danielis Heinsii* de *Bembo* judicium oratione XVIIII. pag. 217. edit. Amstelod. M. DC. LVII. quod scilicet *solus prope ea tempestate latine scriberet, & quod proprium tum Italorum erat, puram ac ingenuam, nec calamistris ullis, aut pigmentis infuscatam atque inustam excluderet orationem*. Tantam autem ex hac linguarum italicae ac latinae reconditiori scientia *Bembus* voluptatem capiebat, ut *Speronius* dialogo de linguis pag. 103. ubi illum cum *Bonamico* aliisque colloquentem inducit, ejus ore sensuque asserat, se, quantum linguarum notitia valebat, cum Mantuano marchionatu minime commutaturum.

(*b*) *praeter unum Politianum*, &c.) Castigatissimus in scribendo & latine & italice *Politianus* fuit; quippe qui iis erat instructus ingenii viribus, ut regnantem per illa tempora barbariem totius Latii, totiusque Italiae finibus posset depellere. Minus tamen eum, non *Casa* solum, sed alii quoque laudant, quod nullum sibi ad imitandum optimum auctorem proposuit. Haud semper itaque ita purus emendatusque est, ut nihil desiderandum reliquerit. *Scioppius* Dissertatione *de Rhet. exercit. generibus* pag. 27. ita de illo judicat: *Ab hoc vitio non satis* Politianus *cavet, etsi id eum ingentibus virtutibus aliis redimere fatendum est*. Eadem tradide re *Gyraldus* dialogo de *poet. nostr. temporum*; *Paullus Cortesius* epistola *de imit*. *Julius Caesar Scaliger* VI. *Poeticae* libro, atque alii. Quin *Politianus* ipse stylum unice suum, ingeniumque nulli addictum videtur jactare lib. I. epist. I. his verbis: *Est autem omnino stylus epistolarum mearum ipse sibi dispar: quo nomine multum quoque scio, reprehendar. Nam nec eadem mihi semper voluntas, nec idem cuique vel personae, vel materiae congruebat*.

(*c*) *respexit primus*) Ita *Varchius* in *Herculano* pag. 24. PRIMO *il* Bembo *di tutti osservando le regole della grammatica, e mettendo in opera gli ammaestramenti del bene e artificiosamente scrivere, l'imitò* (Petrarcham scilicet) *da dovero, e rassomigliandosi a lui, mostrò la piana e dirittaria del leggiadramente, e lodevolmente comperre nella lingua fiorentina*. *Carolus* autem *Lenzonius*, Flo-

gitatione comprehensam; ad eam tamquam ad exemplum aliquod orationem scriptionemque suam dirigere; Demosthene autem, aut Cicerone perfectius in dicendo aliquid promere se posse qui profiterentur, sua quidem sententia nimium subire oneris, nimium suis fidere viribus; quorum etiam jam olim errore ac temeritate factum esse existimabat, ut malos multos scriptores haberemus: nam, cum nonnulli a Cicerone discedere, suique plane esse vellent, cum aliter, atque ille, dicere studerent, quoniam is perfectus, absolutusque esset; deterius dicere cogebantur. Haec Bembus cum dictitaret, cumque etiam litteris mandaret, aegre ille quidem, sed multis tandem persuasit, spretos ac repudiatos antea scriptores optimos illos, repeterent: propositosque sibi ad imitandum haberent. (*a*) quo quidem Bembi labore, quibusque praeceptis, quantum eloquentia adaucta sit, cuivis facile est noscere; si ea, quae ante hanc illius disciplinam scripta sunt, cum hujus aetatis scriptoribus conferantur. (*b*) Ea obita legatione domum Bembus cum patre rediit, jam bonarum artium studiis incensus, jam eloquen-

b

Florentinus, in *Defensione florentinae linguae* pag. 140. *A tempi nostri*, PRIMO *di tutti gli altri, per quanto io ne sappia, è stato il Reverendiss.* Bembo; *& assai copiosamente di non Toscano: avvegna che più per forza di precetti latini & greci; che per bontà di orecchio, per quanto si può giudicare da le sue* Prose.

(*a*) *Quo quidem* Bembi *labore*) Favet *Bembi* laudibus, *Casaeque* judicio *Daniel-Georgius Morhofius* in *Polysthor. literar.* lib. I. cap. XXIII. n. 38 pag. 367. *Magni faciendus itaque is autor est ob honorificum adeo testimonium* Joh. Casae, *qui romanae linguae peritissimus fuit, ut hodieque ejus scripta ut ut pauca, magni aestimentur Italis*.

(*b*) *Ea obita legatione domum* Bembus *cum patre rediit*) Vertebat tum annus M.CCCC.LXXX. Statim eum pater *Joanni-Alexandro Urticio* in disciplinam tradidit. Ab hoc latinam linguam *Petrus* didicit, excitatusque est, ut graecae operam daret; cujus consilii pater quoque auctor fuerat, optimae filii institutioni intentus. Itaque, post duodecim annorum studium, statuit Messanam in Siciliam proficisci, ubi eam publice magnoque cum honore clarissimus *Constantinus Lascaris*, Byzantius, profitebatur. Iis literis, quas eidem *Urticio*, magistro, *Bembus* dedit ex Noniano suo IIII. kal. apr. M. CCCC. LXXXXII. cum omnia jam ad iter paraverat, quod insequente luce suscepturus erat, haec scribit unius adhuc famae testimonio nota: *Est in Sicilia Mesanae* Constantinus Lascaris, *vir non modo Graecus, sed etiam Byzantius: quae quidem urbs sola ex universa Graecia retinere probitatem illam Atticam antiqui sermonis, in qua residet adhuc quidem ejus linguae probitas, plane dicitur. Eaque in urbe ludum aperuit, exercuitque multos jam annos, & caste, nec sine dignitate. Is valde omnium hominum sermone laudatur. Scripsit de primis grammatices elementis librum ad instituendos pueros, qui habetur, & legitur*, &c. Hoc de Graecorum grammatica *Constantini Lascaris* opus, quod toties typis editum est, prima est graeco-latina praelorum fetura: prodiit autem Mediolani in folio anno M. CCCC. LXXX. ad cujus editionis calcem haec habentur: *Hoc divinum opus impressum est Mediolani in kalendis octobres*. M. CCCC. LXXX. *& interpretatum per venerabilem virum utriusque linguae doctissimum ac optimum* Johannem *Monachum Placentinum*: cujus interpretis opera ac studio pariter Mediolani anno insequente vulgatum est in folio *Psalterium Davidicum*, ab eodem latine versum. Hos *Joannes Monachus Placentinus* idem est, aut ego fallor, ac *Joannes Crastonus*, Placentinus, instituto Carmelita, qui Venetiis in lucem emisit anno M. CCCC. LXXXXVII. *Lexicon* graecum, cujus, quamquam haud magna cum laude, meminit Epistola *de suis typographiae suae Henricus Stephanus*. Hic autem de Graecorum arte grammatica *Lascaris* liber (id licebit obiter innuere, quoniam sermo de illo est) primus omnium ex Aldi senioris typographia prodiit *Venetiis* M. CCCC. LXXXXV. *octavo martii* in 4. Porro typographus lectores allocutus, ideo inquit, se opus illud emittere, ut esset *quoddam quasi praelibatum cunctis nostris laboribus, & impensis, tantoque apparatui ad imprimenda graeca volumina omnis generis*. &c. Id etiam interius asserit, nimirum editionem priorem (Mediolanensem scilicet) longe pluribus mendis scatere, cum eam ipse *Lascaris* emendasset *in locis circiter centum & quinquaginta*. Subjicit vero deinde, ejusdem exemplum, *emendatum manu ipsius* Constantini, *nobis dedere commodo* Petrus Bembus & Angelus Gabriel, *Patricii Veneti adeo nobiles, praeclarique ingenio juvenes, qui nuper in insula Sicilia graecas literas ab ipso Lascari didicerunt, & nunc Patavii incumbunt una liberalibus disciplinis*.

(*a*) *Ita-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER 2018)

quentiae, ac ſcribendi magno quodam amore flagrans. (*a*) Itaque in Siciliam uſque ad Conſtantinum Laſcarem Graecarum litterarum cauſa profectus, (*b*) trienniumque ibi commoratus eſt; tantumque ingenio, labore, aſſiduitate profecit, ut Graece non modo optime ſciret, ſed etiam polite, luculenterque ſcriberet: (*c*) atque in Sicilia cum eſſet, Latine de Aetnae incendiis ſcripſit (*d*) ad Angelum Gabrielem: qui liber, ab eo editus, in manibus hominum eruditorum non ſine aliqua laude verſatur. Poſt eam peregrinationem celeriter Bembus aſſecutus eſt, ut maxima apud omnes Italiae civitates, tum apud exteras etiam nationes, ejus eſſet ingenii admiratio: ita enim, uti res eſt, ſic homines ſtatuebant; perdifficile factu eſſe unum

(*a*) *Itaque in Siciliam*) Eodem anno III. kal. apriles Venetiis per Clodiam iter Siciliam verſus ingreſſus eſt, unaque *Angelus Gabrielius*, qui idem conſilium ob eorumdem ſtudiorum communionem inierat. Terreſtri itinere Neapolim pervenit, unde Meſſanam trajecturus naviculam conſcendit, ac ſatis moleſta decem dierum navigatione tandem Meſſanam tenuit IIII. non. majas. De itineris ratione adventuque ſuo, quaque comitate a *Laſcari* ſit exceptus, *Bernardum* patrem certiorem fecit, datis Meſſanae literis III. kal. junias (*Familiar. lib. I. epiſt. IIII.*). *Itaque naviculam nacti, decimo die Siciliam tetigimus nauſeantes: ſed abſterſit nobis omnem moleſtiam* Conſtantini Laſcaris *humaniſſima congreſſio, qui nos excepit libentiſſime, & liberaliter eſt pollicitus: idque res praeſtat. Erudimur enim mira ipſius diligentia, tum amore prope paterno. Omnino nihil illo ſene humanius, nihil ſanctius: reliqua etiam omnia ex ſententia.*

(*b*) *trienniumque ibi commoratus eſt*. Meſſanae annos paullo amplius duos commoratus eſt. Ipſe ad *Joannem-Baptiſtam Statum*, qui ex *Juliani*, ſancti Petri in vincula Cardinalis, familia erat, XXII. kal. octobr. M. CCCC. LXXXXIIII. Venetiis de itinere Sicilienſi, deque ſuo in patriam reditu literas (*Familiar. lib. I. epiſt. VIIII.*) dedit. *Poſt primos dies, quos totos dedimus ſalutationibus congreſſibuſque amicorum, ego Patavium conceſſi, inde in Nonianum*, &c. Rationem igitur ini: a quarto ante nonas majas anni M. CCCC. LXXXXII. ad menſem ſeptembrem anni M. CCCC. LXXXXIIII. quo clarum eſt eum Venetiis fuiſſe, DUOS ANNOS cum QUATTUOR circiter MENSIBUS excurriſſe comperies.

(*c*) *atque in Sicilia cum eſſet, latine* de Aetnae incendiis *ſcripſit*) Hoc vere operum primum, quae *Bembus* in lucem edidit; edidit autem anno eodem quo Meſſana in patriam reverterat, ita inſcriptum: *Petri Bembi de Aetna ad Angelum Chabrielem liber*: haec porro extremo operi nota apponitur: *Impreſſum Venetiis in aedibus Aldi Romani menſe februario. Anno M. V D. in* 4. Opus hoc omnium ex latinis primum, mihi perſuaſum eſt, ex Aldinis typis prodiiſſe venuſtis characteribus ex eorum genere, quos *rotundos* vocant, deſcriptum. Probe errat *Hadrianus Baillet* in ſuo tractatu hiſtorico gallice conſcripto *des enfans celebres par leurs eſtudes* (*num.* XXXVIII. *pag.* 125.) dum putat *Bembum* DUODEVICESIMUM annum geſſiſſe, cum opus hoc *de Aetna* confecit, licet alii hunc natum dicant DUOS & VIGINTI annos, librariorum aliorumve oſcitantia aut inſcitia factum conjiciens ex quadam marginali nota, ut pro *duo de viginti*, *duo & viginti* ſcriberetur. Sed *Baillet* ipſum, non autem ceteros falli jam conſtat, cum *Bembus*, qui ad *Aetnam* ſuum ſcribendum aggreſſus eſt in Noniano poſt reditum e Sicilia, ante annum M. CCCC. LXXXXV. operi admovere manus nequaquam potuerit. Tum vero annum QUINGTUM & VICESIMUM, non autem DUO DE VICESIMUM agebat. Haec omnia ſatis ejuſdem *Bembi* teſtimonio firmantur, qui ita neceſſarium ſuum *Gabrielium* alloquitur ea praefatione, qua librum ad ipſum mittit: *Nunc autem, quoniam jam quotidie fere accidit*, poſteaquam e Sicilia ego & tu reverſi ſumus, *ut* de Aetnae incendiis *interrogemur ab iis, quibus notum eſt illa nos ſatis diligenter inſpexiſſe: ut ea tandem moleſtia careremus, placuit mihi eum ſermonem conſcribere, quem cum* Bernardo *patre meo habui* paucis poſt diebus *quam rediiſſemus: ad quem rejiciendi eſſent ii, qui nos deinceps quippiam* de Aetna *poſtularent. Itaque* confeci librum, *quo uterque noſtrum communiter uteretur. Nam cum eſſemus in* Noniano, *& pater ſe, ut ſolet, ante atrium in ripam* Pluvici *contuliſſet, acceſſi ad eam*, &c. Quod praeterea ad *Bembi Aetnam* ſpectat, veriſſime a *Baillet* dictum fateor, praecocem hunc & juvenilem fetum *Bembo* ipſi ingenio & aetate maturo non ſatis probatum. Porro & ipſe *Caſa* infra narrat, eum *libellum illi poſtea ſeni non valde probatum fuiſſe*.

(*d*) *ad Angelum Gabrielem*) *Angelus* hic, *Silveſtri* filius, praeſtantiſſimus Senator fuit, equeſtique gradu, in obitarum ad exteros Principes legationum honorem, donatus. Ejus eſt, quae circumfertur *oratio* edita Venetiis in 4. anno M. D. I. *in laudem Reverendiſſimi Cardinalis Baptiſtae Zeni*; itemque *Libellus hoſpitalis munificentiae Venetorum in excipienda Anna regina Hun-*

unum atque eundem duabus linguis tam ſcite, tamque ornate copioſeque uti poſſe; quodque pauci uno in ſermone umquam praeſtiterunt, ut praeclare ſcriberent, id ab adoleſcente Bembo & in Latina & in Italica oratione effici, omnibus, qui de iis ſtudiis aliquid judicare poſſent, permirum videri neceſſe erat: praeſertim id ipſum in utraque lingua & proſa oratione & verſibus, id quod Ciceronem ipſum expertum, ſunt, qui negent aſſequi potuiſſe. Ac miramur profecto interdum, quid cauſae ſit, cur, cum oratori poeta maxime finitimus ſit, negent fieri poſſe, ut idem orator bonus, idem egregius poeta evadat; idque non hominum modo exiſtimatione, ſed etiam re ipſa comprobatum eſſe: nullos enim, aut certe perpaucos utramque facultatem adeptos videmus: ſed cum diuturno ſtudio, magniſque lucubrationibus utraque ars egeat, non ſuppetit ad utramque tempus, atque otium: & quoniam longa exercitatione, aſſiduoque uſu conſueſcimus aut oratorie dicere, quod vitio maxime datur verſus ſcribentibus; vel poetice, quod contra in proſae orationis ſcriptoribus vitioſum in primis habendum eſt: ſi quis utrumque ſtudium copularit atque conjunxerit, magnae cujuſdam intelligentiae, acriſque judicii eſt, praeſtare alterum genus, ne incurrat in alterum. Praeterea oratorum, poetarumque ingenia atque naturae contrariae propemodum inter ſe ſint, oportet: hi enim ratione atque humanitate reguntur; illos, furoris afflatus ac divinitas quaedam, impellit: atque omnino proximis, conjunctiſque in rebus facilior a recto declinatio, ac lapſus eſt, reprehenſio vero vel inſignior: creat enim errorem ſimilitudo: & cum varia tum eſt, celeriter, propter rei ſimilis comparationem ac propinquitatem, inverſio animadverſa internoſcitur ac reprehenditur. Neque ii tamen nos ſumus, qui aut Ciceronis verſus valde improbandos exiſtimemus, aut Platonem atque Aeſchinem (utrumque enim verſus in adoleſcentia ſcriptitaſſe memoriae proditum eſt) malos, contemptoſque fuiſſe poetas credamus. (*a*) Poſt Sicilienſem illam peregrinationem, (*b*) perpaucis interjectis annis, Ferrariam Bembus pa-

Hungariae. Venetiis, per Bernardinum Venetum de Vitalibus, M. D. II. *in* 4. Huic *Aldus* graecam *Laſcaris* grammaticam nuncupavit. Plura in epiſtolis & latinis & italicis dat eidem *Bembus* benevolentiae ſuae honeſtiſſima teſtimonia. Ejuſdem etiam cum laude meminit *Marinus Becichemus* Scodrenſis, praelectione in Plinium, aliique non pauci.

(*a*) *Poſt Sicilienſem illam peregrinationem*) Priuſquam Ferrariam *Bembus* euntem patrem proſequeretur, per quatuor ab ejus e Sicilia reditu interjectos annos, aliquando Venetiis ſubſtitit, aliquando Patavium ſe ad philoſophiae ſtudia recepit. Certum ſibi eſſe Patavii ad operam philoſophiae dandam, concedere, *Stato* ſignificat ea, quam ſupra laudavimus, hara epiſtola. *Ceterum ne quid deſideres de ratione ſtudiorum noſtrorum, ſtatuimus uterque* (& *Gabrielium* indicat) Patavium *ſecedere*, & philoſophiae *nos tradere, ſic tamen, ut ne omnino poeticae nunc ium remittamus, quae me quidem mirabiliter delectat. Interea in comparanda graecorum librorum* bibliotheca *detinemur*. Quae omnia ſe ex animi ſententia exſecutum, eidem *Stato* narrat, miſſa ad eum eodem anno kal. octobr. altera epiſtola (*Ibid. ep. X.*) *Nos* Patavium *ſeceſſimus, quod tibi antea ſcripſeram facturos eſſe nos, ad otia literarum, praeſertimque philoſophiae*. Ducum ſibi ad doctorem ad eam comparandam adhibuit celeberrimum *Nicolaum Leonicum Thomeum*. Qui autem fuerit ejus in rebus philoſophicis progreſſus, iis verbis dicam, quibus ipſe *Varchius* in oratione, quam in *Bembi* funere habuit: *Et in eſſa procedette tanto oltre, quanto ſi teſtifica lungamente nel principio del ſuo dottiſſimo dialogo dell' immortalità dell' anima il ſuo* Niccolò Leonico, *grandiſſimo, & pulitiſſimo filoſofo* ſuo precettore, *& a noſtrano lavamente tutte l' opre da lui compoſte*, &c.

(*b*) *perpaucis interjectis annis, Ferrariam* Bembus *pater Prodominus miſſus eſt*) Anno M. CCCC. LXXXXVIII. Ferrariam *Bembus* pater *Prodominus* profectus eſt, unaque *Bembus* filius, qui illinc quamplures dedit ad neceſſarios ſuos literas, plerasque jam publici juris factas. Jucundiſſimo ſpectaculo adfuit feſtis bacchanalium diebus anno M. CCCC. LXXXXVIII.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

ter Prodominus missus est : eum magistratum, magnum in primis atque honorificum, illis temporibus Veneti, virtute belli partum, victoriaeque tamquam insigne, gerebant in aliena civitate. eo quoque cum patre filius exiit : sicque eo in oppido perdiu fuit, ut (*a*) cum ab omni juventute, ab omnique nobilitate plurimum coleretur, tum verò Herculi Estensi, maximo ac fortissimo viro, qui in ea civitate imperium obtineret, Lucretiae Borgiae, quam in matrimonio Alphonsus habebat, gratus in primis, acceptusque esset. Per idem tempus, (*b*) cum annos natus esset haud amplius XXVI. (*c*) eos sermones, qui *Asulani* ab eo inscripti sunt, confecit; opus omnium pigmentorum flore atque colore distinctum. feminas omnino cum adolescentibus de amore loquentes amoenissimis quibusdam in hortis facit, ita lectissimis verbis festive ac venuste, ita sententiis copiose atque ornate, nihil ut ejus oratione cum uberius, tum vero suavius modulatiusve esse possit. (*d*) Eos libros tanta hominum, mulierum etiam medius fidius approbatione & tamquam plausu exceptos recentes esse meminimus, ut extemplo cuncta eos Italia cupidissime lectitarit atque didicerit : ut non satis urbani, aut elegantes ii haberentur, quibus Asulanae

cum agerentur *Plautinae Trinummus & Poenulus*, atque *Eunuchus Terentiana*; quarum haec tanto omnium favore & plausu excepta est, ut semel atque iterum reponi debuerit. Id scribit *Bembus* (*Famil. I. ep. XVIII.*) *Gabrielio* suo.

(*a*) *cum ab omni juventute, ab omnique nobilitate plurimum coleretur*) Inter ceteros, quos sibi amicos *Bembus* Ferrariae adscivit, recenset *Beccatellus* illam clarissimorum ac doctissimorum hominum trigam, *Herculem Strozzam*, *Antonium Tibaldaeum*, & *Jacobum Sadoletum*; praeterea *Alphonsum Atestinum*, *Herculis* ducis filium, qui patri deinde successit. Addam ipse philosophum ac medicum praestantissimum *Nicolaum Leonicenum*, a quo etiam philosophiam doctum esse, testatur ea, quae vicesimaseptima est inter Epistolas Leonis X. nomine conscriptas lib. X. data Romae IIII. non. april. anno IIII. qui incidit in annum aerae vulgaris M. D. XVI. *Te vero & amavi profecto omni tempore : nunc etiam* Petri Bembi *scribae a latinis mei, qui te mirifice diligit*, & Ferrariae *in* Prodominatu patris *sui admodum adolescens cum esset, de tuo pleno fonte hausisse se* praecepta philosophiae *dictat, rivulumque duxisse*, &c.

(*b*) *cum annos natus esset haud amplius* XXVI.) Major annis XXVII. erat *Bembus*, cum primum *Asulanis* disputationibus manum admovit. Supra enim vidimus cum parente Ferrariam petiisse sub exitum anni M. CCCC. LXXXXVI. id quod constat etiam ex ejus epistola ad *Tryphonem Gabrielium*, quae inter italicas postumas prima est libri II. Volum. II. Ita etiam *Beccatellus : E quivi d' anni XXVIII. compose i suoi* Asolani.

(*c*) *eos sermones, qui* Asulani *ab eo inscripti sunt, confecit*.) Hos sermones, quamquam *Ferrariae* incepit, *Acti* tamen aliquot post annos absolvit, ibique habitos voluit credi: hinc illis nomen factum. Fuit *Acelum* quondam civitas episcopalis, nunc vero agri Tarvisini oppidum haud ignobile, omnibusque opportunitatibus commendatissimum. Cypriae reginae *Catharinae Corneliae*, civi suae, Senatus Venetus, cyprio ab eadem prius regno auctus, redeunti in Italiam dono dederat. Opus hoc elegantissimum *Bembus Lucretiae Borgiae*, Ferrariensium ducis Alphonsi conjugi, dicavit, data Venetiis epistola kal. sextil. M. D. IIII. Prodiit autem primum Venetiis ex aedibus Aldi Romani anno M. D. V. mense martio in 4. Saepius deinde editum. Gallice versum prodiit cum illa epigraphe : *Les Azolains de Monsigneur* Pierre Bembo *de la nature d' amour, traduicte d' italien en François par* Jean Martin *Secretaire de Monsigneur Cardinal de* Lenoncourt. *A Paris, pour Galiot du Pri*, M. D. LVI. in 8. In nuncupatoria ad Aurelianensem ducem epistola, jussu illius ait interpres, gallice a se redditum esse opus, quod de amore agit, non tam omnibus verborum ornamentis, quam excerptis undique ex morali philosophia & theologia doctrinis, refertissimum.

(*d*) *Eos libros tanta hominum*, &c.) Eadem iisdem fere verbis refert *Beccatellus* in *Bembi* vita. *La qual opra da tutta Italia con molto desiderio fu veduta & letta; & da quella cominciorono i svegliati ingegni a considerare che cosa fusse regolatamente scrivere, & far rime veramente toscane, che prima si facevano a caso; ne era per letterato & gentile stimato, chi detti libri letti non avesse.* Venetias *Bembus* rediit anno M. D.

(*a*) *Erat-*

lanae illae disputationes essent incognitae. (*a*) Erat per id tempus Urbini Guidusubaldus Feltrius, vir maxime spectata, maximeque nobilitata virtute : is suae civitatis tenebat imperium; atque cum eo Helisabetha Franciści Gonzagii, qui itidem civitati imperabat, soror, nupta erat : (*b*) cujus de mulieris laudibus mira quaedam litterarum monumentis, cum ab aliis multis, tum etiam ab hoc ipso Bembo mandata sunt. Ac datum est profecto Urbinatum civitati, ut non suos domi modo principes omni genere laudis claros atque insignes habeat, sed etiam, ut ex alienis civitatibus mulieres, quas illi in matrimonium duxerint, lectissimae fere, praestantissimaeque illi feminarum omnium obtingant. Nam praeter eam, quae a me appellata est, Helisabetham Gonzagiam, habuit Franciscusmaria hujus Guidiubaldi pater ex eadem familia uxorem Eleonoram, quae proximis diebus mortua est, omni muliebri laude praeter ceteras ornatam atque illustrem. Nec vero de Victoria Farnesia, quando in hunc sermonem venimus, silleri ullo modo potest (quamquam invitus facio, ut de iis, qui nunc sunt, dicam aliquid) cujus quidem mulieris modestia ac pudor ingenuus illud profecto praestitisset, quod Periclem ajunt dixisse, primam in muliere laudem esse, ut ne de virtute quidem illius ulla ad viros fama emanet : sed nulla ratione occultari tanta primariae feminae virtus potest, quin ad viros quoque emergat, ac suo ipsa splendore se prodat. Fortunatus igitur Guidusubaldus cum sua illa animi magnitudine atque aequabilitate, suaque illa prudentia; tum vero hac tali conjuge, vitaeque socia. Sed cum Urbini, quemadmodum dicere inceperam, Guidusubaldus atque Helisabetha Gonzagia essent, hominum excellentium peramantes, perque hospitales, (*c*) conveniebant ad eos ex omni Italia, ut quisque praestanti aliqua in arte praecelleret: eo cum Bembus quoque forte venisset, praecipuo praeter ceteros in honore haberi coeptus est: multa enim habuit Bembus, quae, ad hominum animos conciliandos, plurimum valere consueverunt: nam & in forma summa quaedam oris species ac dignitas inerat, & in statura ac proceritate decor; mira praeterea in moribus suavitas quaedam lenitasque amabilis; dulcisque cum sermo, tum tota vitae,

(*a*) *Erat per id tempus Urbini*, &c.) Editis jam sermonibus *Asulanis*, anno circiter M. D. VI. ut certum est ex multis ejus epistolis tum italicis tum latinis, Urbinum se *Bembus* contulit. Quae causae animum ejus induxerint, ut aulam illam adiret, felicissimis tunc ingeniis, ob virtutem & liberalitatem ducis tum regnantis, frequentem, *Beccatellus* luculenter exponit. Hunc consule: quam enim *Bembi* vitam ipse conscripsit, eam tui publicique juris factam, huic a *Casa* expositae subjiciam.

(*b*) *cujus de mulieris laudibus*, &c.) Opusculum illam praefefert inscriptionem : *De Guidobaldo Feretrio, deque Elisabetha Gonzagia Urbini ducibus liber*. In dialogi modum conscriptum est; auctorque cum parente suo *Bernardo* sermonem miscet. Vulgatum est *Venetiis per Jo. Antonium, ejusque fratres Sabios anno* M. D. XXX. *in* 4. iisdemque formis iterum *Romae anno* M. D. XXXXVII. Illud italica lingua donavit, doctaque praefatione locupletavit *Nicolaus Mazzius*, Cortonensis, typisque Laurentii Torrentini Florentiae anno M. D. LV. in 8. in lucem edidit ita inscriptum : *Vita dello Illustrissimo Sig. Guidobaldo Duca d' Urbino, all' Illustrissima Sig. Helisabetta Gonzaga sua consorte*.

(*c*) *convenisbant ad eos ex omni Italia*, &c.) Qua magnorum virorum, dignitate, doctrina praestantissimorum frequentia Urbinatum ducis aula per ea tempora celebraretur, satis vel ex uno constat aureo illo *Balthassaris Castilionaei* italico opere, *il Cortigiano*. Aderant nobile *Fregosiorum* par *Federicus*, qui postea Salernitanus archiepiscopus, ac *Octavianus*, qui Genuensium dux creatus fuit, Comes *Ludovicus Canossa*, mox Bajocensis episcopus, *Bernardus Dovitius* a *Bibiena*, qui tituli sanctae Mariae in portica Cardinalis est renunciatus, *Julianus Medices*, cognomento *Magnificus*, Nemursii dux, comes *Balthassar Castilionaeus*, qui obletus Abu-

BIBLOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

tae, victusque consuetudo mitis ac clemens: ad ea cum praeclara ingenii vis ac natura accederet, expetebatur, scilicet unus omnium, maxime ab illustri illo virorum, feminarumque conventu: quibus rebus efficiebatur, ut multum domo abesset, Urbinique fere viveret: quam rem multum etiam vicinitas adjuvabat, atque ultro citroque Pisaurum quidem usque perfacilis atque expedita navigatio: ita factum est, ut minus domi honores assueseeret admirari, minusque ambitionibus implicatum animum haberet. At vero id pater reprehendere, graviter ferre, ac prope patrio jure, ut uxorem duceret, ut rempublicam capesseret, atque ex ordine magistratus peteret, imperio cogere. Fit enim fere, ut qui in libera civitate, praesertim clara atque opulenta, vivant, omnia ad honores referri putent oportere, id unum consectentur & expetant, ut dignitates, ut magistratus adipiscantur: si quae sint laudes, quae alio pertineant, eas aut non agnoscunt, aut leves atque inanes judicant: atque haec liberorum populorum consuetudo, quamquam per se ipsa, vique sua fortasse minus probanda, est: nec enim compendii, honorisve causa, si ad veram illam rationem dirigas, petendi magistratus sunt, civibusve aliis ullo studio, aut ulla contentione praeripiendi: sed unius Reipublicae ratio habenda est, ejusque unius utilitati, salutique serviendum; ut dignioribus concedamus; & saepe delatus nobis major aliquis, aut magistratus, aut imperium, aut curatio, si minus ei rei gerendae nos idoneos sentiamus, accipiendus non sit, aut etiam deponendus: nec enim errare patriam, pati aequum est. Sed, quoniam non vivitur cum perfectis hominibus, percommode popularis haec ambitio cecidit: honorum enim cupiditate incensi, non ad suum se quisque format atque instituit arbitrium, sed ad populi, civitatisque judicium, consilia, mores, vitam, voluntatemque instituunt; dantque operam, non ut sibi ipsi, aut aliis fortasse quibusdam probati sint; sed, ut populo, civitatique, a qua honores scilicet expetant, placeant: ita fit, ut una, eademque perpetuo permaneat civitatis forma, atque una, eademque sit omnium civium communiter disciplina; neque singulorum privatim studiis, voluntatibusque variatis, Reipublicae quoque ratio atque institutio vertatur atque mutetur; quam quidem cautionem, prudentiamque, una, praeter ceteras omnes, Venetorum civitas semper adhibuit; ut domesticos suos mores diligentissime retineret, essetque plane sua, neque quicquam exterum infundi in civitatem, aut ulla infici se peregrinitate pateretur. Cum igitur Bembus pater in eum cursum, quem tenuerat ipse, quemque summa cum laude, plausuque confecerat, filium induceret atque compelleret; ille contra, alia spatia, cursusque alios animo agitaret, quamquam patri obsequi suadebat pietas, civium consuetudo hortabatur, propinqui, necessariique efflagitabant; tamen sic animo cogitabat, cujus ipse gloriae cupidus esset, eam ad se

Abulensem in Hispania episcopatum recusavit; *Caesar Gonzaga*, *Gaspar Pallavicinus*, alii multi, de quibus mentionem infert *Castilionaeus*. Omnes hi *Petrum Bembum* ita suspiciebant quam qui maxime: praesertim vero dux ipse *Guidus-Ubaldus*, ac *Franciscus-Maria*, *Julii* II. nepos, jam *Guido-Ubaldo* successor in Urbinatum imperio designatus, eorumque conjuges ipsum parentis loco habitum, cum ob doctrinae praestantiam, tum maxime ob egregias singularesque virtutes, omni honoris cultu observabant ac diligebant. Cum Urbini subsisteret, de patris literis accepit, *Helenam* parentem suavissimam morti occubuisse mense novembri anno M. D. VIIII. Hanc domesticam cladem eo tamen pater ac filius animo tulere, quo par erat ferre viros tanta prudentia tantisque virtutibus. Id manifestum fiet legenti *Petri* epistolam ad patrem datam X. kal. decembres M. D. VIIII., quae *lib. I. epistol. ad fam. num. VI.* occurrit.

(*a*) Fran-

se non a suis modo civibus, sed ab omnibus etiam gentibus ultro deferri, prehensandum sibi ejus rei causa neminem esse, supplicandum nemini, nullius suscipiendas inimicitias, nemini os laedendum: unam enim esse, ex omni laudum genere, ingenii gloriam, qua, sine ulla cujusquam querela, perfrui, ad extremum usque, homines soleant: honores imperitae modo multitudinis testimonium praeseferre, ingenii laudem ac famam, etiam intelligentium hominum habere comprobationem: nec vero aut voluntatum mutationem, aut fortunae temeritatem extimescere; sed stabilem, firmamque etiam ad posteros commendationem habere: postremo permultos omnibus aetatibus exoriri, quorum opera, pro sua cujusque parte, Respublica geri possit; at, cujus ingenii monumentis civitas ornetur, ne multis quidem saeculis unum extare, aut alterum: satis vero jam Bembos, magnos honores in Republica, ad illustrandam familiae dignitatem esse consequutos; satis nobilitatam, majorum suorum rebus gestis, suae memoriam stirpis esse; quando & vetustissima templa a suis jam olim gentilibus constructa, ea scilicet, quae Juliano dedicata sunt, Bemborum nobilitatem illustrent, & pietatis sint testes; (*a*) & Francisci Bembi ejus, qui, multos annos ante Patriarcham Venetiis institutum, sacrorum antistes ac pontifex fuit, memoria, gentis vetustatem ostentat; tum maritima imperia, clarissimaeque (*b*) Francisci itidem Bembi victoriae; (*c*) tum Marci, qui a Cypriis interfectus est; aliorumque multorum ob Rempublicam susceptae calamitates, interituque, Bemborum & virtutis, & in patriam caritatis testimonio sint: nec vero ne in praesentia quidem defuturos, qui stirpis, gentisque gloriam tueantur atque adaugeant; habere se se Carolum fratrem, in quo mirificam ingenii indolem, maximam virtutis spem inesse intelligat; esse praeterea cum alios nonnullos, (*d*) tum Joannemmatthaeum Bembum summa itidem virtutis & ingenii spe praeditum adolescentem. Et vero hic quidem, nec Bembi de se judicium fefellit, & multis, magnisque in rebus domi, forisque perutilis Reipublicae civis est, semperque fuit: (*e*) nam Caro-

(*a*) Francisci Bembi *ejus qui multos annos*, &c.) Cum esset hic ecclesiae s. Marci Primicerius, anno M. CCC. LXXXXI. ecclesiae Castellanae datus est episcopus VI. kal. aug. ann. M. CCCC. I. ut refert Ughellus *Ital. Sacr. Tom. V. col.* 1355. *Marco* Senatore praestantissimo genitus est, ac fratres habuit *Petrum* & *Paullum*, equestri gradu ob maximas obitas legationes aliisque in patriam meritis clarissimos.

(*b*) Francisci *itidem* Bembi *victoriae*, &c.) Praefectus Venetae classis hic fuit anno M. CCCC. XXVII. *Petr. Justin. Histor. Ven.* lib. VI. pag. 147.

(*c*) *tum* Marci, *qui a Cypriis interfectus est*.) Ab iis qui in reginam *Catharinam Corneliam* conjuraverant, caesi sunt anno M. CCCC. LXXIII. *Marcus Bembus*, ac reginae patruus *Andreas Cornelius*. Reginam autem *Bembus* quoque, ejus sororis filia in uxorem ducta, honestissima affinitate attingebat. *Sabellic. Dec. III. lib. X. pag.* 776. *postr. edit.*

(*d*) *Tum* Joannemmatthaeum Bembum, &c.) Ad *Joannem-Matthaeum Bembum* hunc, cui nupserat fratris filia *Marcella Bemba*, tot illae sunt ejusdem *Petri* epistolae, quas justo volumine complexus Venetiis edidit Franciscus Rampazzettus anno M. D. LXIIII. in 8. In Ascrivii propugnatione contra Ariadenum Aenobarbum obsidionem intentantem ita se gessit, eaque ad barbarum illum, Turcicae classis praefectum, plena animi & prudentiae responsa misit, ut singularem sibi gloriam apud omnes comparaverit, brevique honores omnes, qui amplissimi denatoribus demandari solent, sit consecutus. Egregii hujus viri nonnullae exstant epistolae inter eas, quas collegit *Hieronymus Ruscellus*, inscripitque *Lettere de Principi*, Volumine I.

(*e*) *Nam* Carolus, *priusquam patriae prodesse per aetatem potuisset*, *extinctus est*.) III. kal. januar. exeunte anno M. D. IIII. fato cessit *Carolus Bembus*, *Petri* frater. Ejus mortem cum in plurimis epistolis, tum praecipue in carminibus questus, inter quae exstat nobilissima illa ode italica, vulgo *Canzone*, cujus infra mentio fiet.

(*a*) Joan-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (C) 2018

Carolus, priusquam patriae prodesse per aetatem potuisset, extinctus est: unam hanc litterarum atque ingenii laudem minus illos adhuc esse adeptos: eam se in suam gentem inferre cupere, ac propemodum etiam se id perficere, ac praestare posse compertum habere: sin honores sectari velit, certo scire, minus eam sibi rem ex sententia succesſuram; quam invitus suscipiat, & injucundam existimet; & multa praeterea a natura impedimenta habere se, sibi ipse sit conscius: nam & blandiri ei qui possit, quem fortasse minus aut probet, aut diligat, pudore sese quodam ingenuo impediri; & existimationem suam vulgi voluntati, comitiorumque casibus, & tamquam undis, quotannis commissam esse, propter animi quandam aut libertatem, aut, si quibus ita videtur, fastidium, pati non posse: nullam autem omnino rem facilem esse, quam invitus facias. Scire sese illam alteram honorum atque ambitionis incertam, ac periculorum plenam viam, plus fortasse utilitatis, plus apud parvi, angustique animi homines splendoris polliceri; sed eam se sequi malle, quae plus verae solidaeque dignitatis habeat: ut enim fructuosos fundos parare utilius sit, voluptarios autem, atque animi modo causa institutos, honestius ac magnificentius; sic illam ambitionis rationem uberiores in vulgus fructus fortasse ferre, hanc certe bonarum artium ac litterarum institutionem, plus apud praeclara hominum ingenia magnificentiae, plus honestatis ostendere: ac, ne multa, nihil aegrius factum est, multis filii contentionibus, multa contra patris, matris quoque Helenae Marcellae, primariae feminae, castigatione, saepe etiam objurgatione, quam, ut ne singulare ac prope divinum Bembi ingenium, ad bonarum artium studia atque ad has mansuetiores musas natum, vulgo atque imperitae multitudini proderetur: sed pervicit tamen, ut, per parentes ac necessarios, perque cives sibi suos aliquando vitam in litteris agere, idque unum, relictis rebus, curare sibi liceret. Sed paucis post annis dum sese Bembus libris, litterisque obruit, dum solitudines, recessusque sibi pro foro, sibi pro curia, proque comitiis per summum otium, summamque tranquillitatem habet; (a) Joannes Medices Cardinalis, is cui Leo X. nomen postea inditum est, Pontifex Maximus Romae creatur. Mos, consuetudoque Pontificum est, ut si quid publicae privataeve rei incidat, quod prolato opus non sit, quodque secreto per litteras agi oporteat, si quando, aut regibus, aut civitatibus respondendum, aut si quid postulandum ab iis sit, si quid denique paulo majoris negotii implicitum cum aliquo est, id, quasi per familiares epistolas, transigant: eas litteras cera obsignant; nam publicis decretis in plumbo signum est: earum litterarum scribendarum negotium datur hominibus, ob scribendi prudentiam, atque elegantiam, eruditissimis; ob muneris, locique dignitatem, gravissimis atque honestissimis; ob autem rerum pondus ac magnitudinem, summa fide, summaque probitate praeditis: ii magna cura ac diligentia conquiruntur, magnis praemiis evocantur. Eum Leo morem cum vehementer probaret, cumque ad dignitatem pertinere arbitraretur, diligentissi-

(a) Joannes Medices *Cardinalis ..... Pont. Max. Romae creatur.*) *Leo* X. qui antea *Joannes Medices*, tituli sanctae Mariae in Dominica Cardinalis, renunciatus est Pontifex Maximus V. idus martias anno M. D. XIII. *isque prius quam e Conclavi exiret*, ME (*Bembus* ait in exitu suae historiae) & Jacobum Sadoletum *qui Romae tunc eramus, sibi ab epistolis adscivit*. Anno superiore *Bembus Juliano Medici, Joannis* Cardinalis fratri, comes Romam petierat, statimque *Julii II.* judicio ac benevolentia florere coepit, cum ab archiepiscopo Salernitano *Federico Fregoso* ipse ac *Sadoletus* hospitio accepti essent.

(a) *id*

tissimeque eum retinere vellet, sine ulla dubitatione Bembum accersiri, eique muneri, negotioque praeponi jubet. Magnam in spem, magnam in dignitatem vocabatur Bembus: munificentissimus enim Leo, liberalissimusque & habebatur & erat: ipsi autem res erat familiaris pertenuis; vix ut necessarios sumptus suppeditaret, idque ipsum magno Caroli fratris, quem sui amantissimum, observantissimumque habebat, labore atque industria: confluebant praeterea ad Leonis famam ac bonitatem, ut quisque in quaque excellebat arte, aut disciplina; ut propemodum homini erudito, Roma abesse, turpe esset. Huc accedebat reprehensores suos convincendi studium quoddam; cum quanti suae illae artes fierent, quas illi nulli rei esse dicerent, quasque, tamquam nugas ac deliramenta, saepe Bembo objicerent, ostendendi magna data esset occasio: nec vero a suo vetere instituto, aut a litteris abduci sese propterea arbitrabatur, quippe, qui ad scribendum invitaretur, qua una in re omnis sibi cura atque opera posita semper fuisset. Proficiscitur Romam Bembus, cum annos natus esset tres & quadraginta; praeponiturque epistolis Pontificis Maximi nomine scribendis; eoque in munere gerendo datur illi socius, & tamquam collega, Jacobus Sadoletus is, qui postea Cardinalis factus est. Scripsit eorum uterque eas epistolas cum plane Latine, quod ante id tempus neque acciderat ulli, nec adeo fieri posse ullo modo homines existimabant; ac, si verum quaerimus, ne cogitabant quidem: nostri enim homines, saepe etiam transalpinae nationes, sic Latine scribebant, ut suae quisque civitatis tamen loquendi formam, consuetudinemque retineret; ac Latinis verbis, quamquam ne id quidem usque quaque, Gallice nihilominus, aut Italice, nescio quo pacto, loquerentur: sed eae epistolae cum plane Latine a Bembo, Sadoletoque scriptae sunt; tum vero summa a doctissimis, exercitatissimisque hominibus adhibita est elegantia, summaque dignitas; (a) id quod ex iis libris intelligere licet, qui a Bembo editi, epistolas a se Leonis X. nomine scriptas continent. Cum itaque Pontifici Bembus, homini nec natura hebeti, nec in scribendo rudi, cumulatissime satisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur: tantum porro in illum suae liberalitatis Leo contulit, ut, qui Romam pauper tandem venisset, suis ex fructibus (b) sestertia amplius cxx caperet, Pontificis plane beneficentia dives factus. Fuit aetas, tempusque illud humanitatis suavitate nimia prope quadam perfusum; ut delectationi multarum studia saeculi illius licentiae, propemodum omnium permissu, concessa essent: nec enim ne voluptatum quidem quarumdam blandimenta nimium severe aspernabantur, sed multa ad oblectationem, multa ad ludum data erant cujusque ordinis, cujusque aetatis hominibus; nec vero religioni habebatur, honestos, gravesque homines in hortis vitos esse, aut paulo liberiore in convivio, symphonia cum caneret, & mulieres accumberent, interfuisse. quam quidem saeculi illius nimium plane profusam hilaritatem, eorum temporum, quae sequuta sunt, tristitia, vehementer corripuit, magnoque opere castigavit: quo magis vereor, id quod dicturus sum, ne multis secus, atque est, de Bembo, existimandi aliquid det locus. Sed quoniam nobis susceptum id est, ut de illius vita, non de laude, dica-

c

(a) *id quod ex iis libris intelligere licet, qui a Bembo editi, epistolas a se Leonis X. nomine scriptas continent.*) In decem libros digessit *Bembus* epistolas, quas *Leonis X.* nomine conscripsit.
(b) *sestertia amplius CXX. caperet*) Nempe coronatorum nummum centum millia.

(a) *intu-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

mus, ne hoc quidem reticendum nobis esse arbitrati sumus. Ac fit fere, ut mores, consuetudinesque locorum, aut aetatum, pro ratione sibi, proque disciplina homines habeant: denique, quod fieri vident, licere putant; atque id, quod in praesentia minus reprehenditur, in posterum quoque tolerabile, concessumque fore arbitrantur. atque omnino apud omnes gentes, etiam, quae natura gravia sunt, fieri consueverunt moribus leviora. In ea igitur morum, saeculique licentia eximia forma (*a*) mulier quaedam perpulisse Bembum dicitur; neque, diu resistentem, continere eum se a lapsu potuisse, praesertim qui nullis dum sacris initiatus esset: verum ea, ut temporibus illis lapsio, ut hac aetate fortasse labes, eum habuit eventum, ut magno, si modo naturam audire volumus, fructu compensaretur. Suscepit enim ex ea muliere liberos tres; qui ut nominentur a me, res propemodum postulat, nec ipsi nolunt; (*b*) Lucilium, (*c*) Torquatum, & Helenam Bembam, feminam lectissimam, quae cum (*d*) Petro Gradenigo primario adolescente nupta est: cui etiam liberos ex sese peperit, totiusque orbis terrarum praeclarissimam civitatem civibus nobilissimis auxit: ut, si qui sunt, qui in eo Bembum gravius accusandum censeant, meam illi quidem ad suam sententiam adscribant licet: sed ii tamen se meminerint id improbare factum, quod infectum esse, optare certe non audeant. Nec vero in litteris modo scribendis Bembi fidem atque eruditionem Leo perclitatus est; sed etiam in rebus agendis hominis prudentiam, sollertiamque plurimum adamavit. itaque cum conspirare adversus Galliae regem cum Caesare Maximiliano, cumque Hispaniarum Rege Catholico, ita Reipublicae temporibus postulantibus, cogitaret; (*e*) misit de ea conspiratione Bembum ad Venetorum senatum, qui eam magnopere civitatem hortaretur, uti a Gallorum, quibus cum consenserat, amicitia discederet, ac se cum Pontifice, reliquisque conspirationis auctoribus, ducibusque foedere & societate conjungeret. Habita est a Bembo in Venetorum senatu ea de re oratio pergravis sane perque vehemens, quam etiam scriptam reliquit: (*f*) perlegant eam nostri homines; nihil Italice scriptum, gravius ornatiusve ea oratione, dicent esse. Tenebatur praeterea impendio magis Bembus

(*a*) stu-

(*a*) *mulier quaedam*, &c.) Huic nomen erat *Morosina*. Ipso aetatis flore, sexdecim annos nata, *Bembum* in sui amorem pellexit. Post annos duos & viginti, cum annum gereret octavum & tricesimum, VIII. idus sextiles obiit anno M. D. XXXV.

(*b*) Lucilium) Infans decessit anno M. D. XXXII.

(*c*) Torquatum) Sacris initiatus fuit, & inter Canonicos Patavinos cooptatus. Literarum laude satis inclaruit. Eum laudant *Lazarus Bonamicus* in carminibus latinis pag. 26. *Paullus Manutius* in Epistolis item latinis lib. III. aliique.

(*d*) Petro Gradenigo) *Dominici* filio. Egregiam hic sibi laudem peperit italica poesi. Ejus carmina edidere Venetiis Rampazetti typographi anno M. D. LXXXIII. in 4. collegit vero post auctoris obitum, recensuit, ac *Vincentio Gonzagae*, Mantuae principi, dicavit *Franciscus Sansovinus*. Vita defunctus est *Petrus Gradonicus* mense julio anno M. D. LXXXI.

(*e*) *misit de ea conspiratione* Bembum *ad Venetorum Senatum*, &c.) Id mense decembri, anno M. D. XIIII. accidisse narrat *Paullus Paruta* Historiae Venetae lib. II.

(*f*) *studio signorum antiquorum*) Quid hic *Casa Signorum* nomine intelligat, melius numquam declaravero, quam si verba quaedam *Bembi* ipsius proferam. Cum anno M. D. XXV. in honesto reponi loco deberent, quae nobilissima ex marmore antiquitatis monumenta *Dominicus* Cardinalis *Grimanus* Reipublicae supremis tabulis legaverat; *Andreas Grittus*, Dux, munerisque largitorisque memoriam immortalitati commendaturus, *Joannem-Baptistam Ramnusium*, Decemvirum collegii scribam, jussit a *Bembo* per literas petere, ut ipse epigramma marmori inscriberet, conficeret. Minime id *Bembus* detrectavit. Postquam vero ad rem significandam haec verba usurpaverat: *Quae* SIGNA *veterum artificum*, &c. visum est illi, SIGNORUM nomine

(*a*) studio signorum antiquorum, (*b*) idque genus rerum reliquarum, credo, quod eam pulchritudinem, ordinem, partium convenientiam, quam mente atque animo in scribendo unus cerneret prae ceteris, iis etiam minus liberalibus in artibus cum propemodum agnosceret, paulo magis commovebatur. atque omnino fingendi pingendique artem poeticae ex altera parte ajunt respondere: illa enim animorum, hae sensuum mulcendorum magistrae: quam quidem ingenii doctrinaeque causam, ii, qui nostra aetate eousque harum rerum cupiditate efferuntur atque insaniunt, magno ut propterea aere in alieno sint, cum afferre homines sine ingenio, sine litteris non possint, quam morbi furorisque sui rationem allaturi sint, ipsi videant: quid enim attinet, cum animum partim per se, vique sua turpem rudemque, partim malevolentia, invidia, perfidiaque inquinatum gererent: domum modo atque hortos, villasque, tot versuris faciendis, tot frustrandis, fraudandisque creditoribus, affabre factis signis ex marmore, aut ex aere ornatas habere? cumque in dictis factisque honestatis faciem numquam, ne in somnis quidem, aspexerint, decorem pulchritudinemque tanto in aere ac lapidibus opere adamare? equidem nec domum, nec villam, nec vero oppidum umquam, non modo exornatum, sed ne satis quidem mundum dixero, ubi illi cum ea foeditate, cum iis animi sordibus habitent. Nam si qui sunt, qui talium rerum intelligentiam, tamquam suae, in reliqua vita, munditiae atque elegantiae, aut rectarum artium, in quibus ipsi excellant corollarium quoddam adferant, id quod in Bembo usu evenerat,

c 2 iis

ne nequaquam & *Imagines* significari, quae tamen eorum monumentorum bona pars erant. Hujus rei causam ab ipso accepimus, quae tertio voluminis secundi epistolarum italicarum libro occurrit, qua *Ramnusium* admonet, ut *Signis Imagines* etiam adderet, juberetque inscribi: *Quae* SIGNA, *quasque* IMAGINES *veterum artificum*, &c. „ Avertite, che SIGNA sono „ Gladiatori, & Dei, & Muse, & Bacche, & Satiri, & altre così fatte figure, che naturali „ non sono: IMAGINI poi sono tolte dal naturale; come Augusti, Aurelii, Domitiani, „ Trajani, & somiglianti. Questo dico per la inscrittion brieve, che io hieri vi mandai: la qua„ le non ha se non SIGNA: acciò che per niente non si lasci sola quella parola: che potrebbe pa„ rere, che non si fosse bene inteso la proprietà di quel vocabolo, essendo nelle cose del *Gran„ no* forse più le IMAGINI, che i SEGNI. „

(*a*) *idque genus rerum reliquarum*) *Bembus* inter primos fuit, qui eruditionis plenas vetustatis reliquias, ex marmore, ex aere signa ac tabulas, idque genus alia quae aetatem evaserant, ac praecipue antiqua numismata conquisita contraxere. Intertot autem illa, quae in unum collecta, celebri ejus musaeo servabantur, nobilis cum primis fuit *tabula aenea Aegyptiorum literis hieroglyphicis caelata*, quam explicare magna cum laude conati sunt *Jacobus Gallicus*, *Laurentius Pignorius*, aliique. Eodem studio quoque bibliothecam sibi omnium generum omniumque linguarum codicibus tum typis tum calamo descriptis instructissimam *Bembus* paraverat, quorum non pauci in Vaticanam bibliothecam ex Urbinate sunt translati. In omnium venere notitiam duo illi codices laudatissimi *Virgilianus* & *Terentianus*, qui mille annorum aetatem ferebant. Ipsius fuit etiam Ptolemaei Geographiae codex graphice & emendatissime manu exaratus, a quo descripsit quidam ea, quae ad Hyberniam spectantia, exstant in *codice* CXXXX. num. 14. bibliothecae collegii sanctissimae Trinitatis Dublinensis, ut cernere est in Catalogo mss. librorum Angliae & Hyberniae *Vol. II. parte II. pag.* 24. *Aldus* senior ad eorundorum operum emendationem saepissime manu scriptis codicibus usus est, quorum ei copiam faciebat *Bembus*. Id etiam, cum sermo esset de *Grammatica graeca Constantini Lascaris*, supra tetigimus. Italica *Petrarchae* carmina priusquam tanta cura tantaque cum sua laude ederet idem *Aldus* anno M. D. I. cum eo codice contulit scripto, qui tum *Bembi* erat, nunc in Vaticana bibliotheca servatur, atque autographum opus creditur, unde variantes illas lectiones exscripsit, quae editae sunt, *Federicus Ubaldinus*. Jure itaque *Bembus ab Aldo* in ea praefatione quae *Pindarum* anno M. D. XIII. editum ad *Andream Naugerium* mittit, vocatur *decus eruditorum aetatis nostrae, & magnae spes altera Romae*. Legito etiam quae de ipso idem *Aldus* ait, cum ei *Virgilium* dicaret, editum anno M. D. XIIII.

(*a*) *Pa-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

iis non modo ſucenſendum non eſt, ſed etiam gratiae habendae ſunt: at; qui omnium diſciplinarum expertes, in omni vita rudes atque agreſtes, hujus unius ſtudii commendatione nitantur, aut in eo non virtutis quaſi appendiculam, ſed tamquam vitiorum ac ſcelerum ſuorum, ut ipſi ſperant, integumentum, ut ego interpretor, additamentum quoddam, quaerant; ii non modo acriter vituperandi, ſed etiam vehementer illudendi ſunt. Sed cum tenui Bembus valetudine atque imbecilla eſſet, cumque noctu magnis lucubrationibus, magnis vigiliis ſcribere neceſſe haberet; nam interdiu, cum a Pontificis latere diſcedere veſtigium vix liceret, cumque multi audiendi, ſalutandi, deducendi, honeſtandique, ut Romanus ferebat mos, eſſent; relinquebatur otii nihil: gravem diuturnumque in morbum incidit; ex quo cum aegre ac difficulter convaleſceret, nec recreari reficique videretur poſſe, de medici conſilio, ipſius Pontificis hortatu, caeli mutandi cauſa, (*a*) Patavium petiit: atque eo anno, Leo moritur. Incredibile dictu eſt, quanta animi alacritate, quantaque laetitia Romanis laboribus, curiſque liberatus, longa ſane, annorum novem, ipſorum intermiſſione facta, optatum ad otium ſtudiumque ſuum vetus ſeſe Bembus receperit; nullum ut urbis urbanarumve rerum, aut deliciarum deſiderium in eo reſediſſe, liquido appareret. Et vero eos, qui a pueris, bonarum artium ſtudiis dediti, aetatem egerunt in litteris, mordere in adoleſcentia interdum ſolet, quod a rebus agendis abſint: quod ſi caſus eos forte aliquis ab otio ad agendum evocaverit atque traduxerit, nae illi rem totam, quam, incognitam dum haberent, admirabantur, expertam atque perſpectam, prae ſuo vetere ſtudio, contemnunt. quid enim in ſe continet, quod magnopere aut laude, aut etiam appetitione dignum ſit, praeclara iſta agendi ſollertia? ſi modo rem inſpicimus, ac ſpecioſa illa vocabula, communitas, utilitas, ſalus hominum, pauliſper ab hac diſputatione faceſſant, rogamus: qua enim tota in re non ratio, ſed, maximam partem, fortuna dominatur, quamque non prudentia, ſed plerumque (non enim libet ſemper dicere) malitia, regit; quid aut gloriae, aut jucunditatis ineſſe poſſit? quaſi enim cum ludas teſſeris, neque contra ejus ludi formulam ut venias, adverſarioque ut fucum facias, animum inducere velis; ſi te is, qui cum ludas, contra ſine ulla dubitatione circumveniat, atque decipiat, numquam tu tantum ſcientia atque artificio profeceris, ut cum illius dolo atque fallacia certare poſſis; ſic in hominum vita hac, & tamquam alea, cum viri boni, ut a juſtitiae certa quadam praeſcriptione, ne latum quidem unguem, diſcedant, abduci ſeſe nullis aut honorum, aut pecuniae praemiis patiantur; alii autem vulgo fraude, praeſtigiis, ſaepe perjurio, perfidiaque pugnent, vincitur nimirum ſimplicitas calliditate, ingenuitas impudentia, pudor moleſtia, fides ſcelere, veritas mendacio: itaque tardi, parumque efficaces habiti boni inter

(*a*) *Patavium petit: atque eo anno* Leo *moritur*) Diem ſuum obiit *Leo* papa X. kal decembr. anno M. D. XXI. cum jam Patavium rediiſſet *Bembus* anno M. D. XVIIII. menſe novembri; quod conſtat ex prima italicarum epiſtolarum, lib. I. ad eumdem Pontificem data prid. nonas novemb. eodem anno M. D. XVIIII. qua ipſi nunciat, *Marcellam Bembam*, fratris filiam, nuptum a ſe datam *Joanni-Matthaeo*, tunc annos vigintiocto genito, ſummae ſpei juveni, non patriae ſolum, ſed ſanguinis etiam ac gentis communione ſibi conjunctiſſimo. Sed ex aliis quoque *Bembi* epiſtolis ſatis apparet, eum Roma reverſum per id tempus, Patavium ſeceſſiſſe. Multo quam *Caſa* diligentius, facta omnia hujus viri, in ſuos quodque annos, digeſſit Beccatellus. Haud me hic in annorum ſupputandorum ratione falli, argumento eſt etiam quaedam epiſtola libri II. Vol. I. qua Cardinali *Bibienae*, V. kal. majas anno M. D. XVIIII. ſcribit ſe Roma diſceſſurum.

(*a*) *qui*

inter improbos, ſudibrio ſaepe ſunt. Careant igitur inſigni hac rerum gerendarum laude homines litteris dediti, animo non modo aequo, ſed etiam hilari; ac ſic habeant: nihil fere honeſtati hominum, in vita hac communi, eſſe relictum loci; ſed ſcelus pleraque, ac turpitudinem invaſiſſe; quamque operam dare ſe Reipublicae maximam plerique praedicent, eam omnem, communis rei ſimulatione, in ſua quemque privatim utilitate augenda poſitam, occupatamque habere. Unos omnino excipio Venetos. Nam Chriſtiana quidem res communis Romae, non hominum conſilio, ſed dei immortalis mente, regitur. Unos igitur Venetos excipio, quorum praeclariſſima in Republica optabile ſtatuam eſſe verſari: quam quoniam peregrinis nobis non licet capeſſere; nec vero ea civitas, poſt hominum memoriam, prudentiſſima ac fortunatiſſima, noſtrae, aut cujuſquam opis eget; illam, ut pote libertatis arcem, prudentiae gymnaſium, juſtitiae domicilium, veneremur: otium autem hoc ignobile litterarum, adoleſcentes ſeneſque retineamus. Quam quidem Bembus prudentiam ſtudio ac voluntate hujus ſententiae auctoribus praeclare emenſus, re atque exitu ad extremum uſque praeſtare non potuit: nam, cum Patavii multos jam annos eſſet, in civitate quietis ac tranquillitatis pleniſſima, ab omnique contentione ambitioneque longe ac multum remota; cumque omnem curam, cogitationem, operam, ad ea ſtudia, quae a puero adamaſſet, celebranda, contuliſſet, vel in iis jam conſumpſiſſet potius; magno quodam caſu clementem illam vitam, quietam, tranquillamque prope jam decurſo ſpatio, atque aetate jam fere exacta, recuſans atque ingratis coactus eſt mittere. Erat Romae temporibus illis, vir ſummus atque clariſſimus, ſingulari prudentia, admirabili animi magnitudine praeditus, Alexander Farneſius Cardinalis is, qui Paulus III. appellatus eſt, (*a*) qui, ſimulac Pontifex Maximus factus eſt, extemplo tanto imperio ac poteſtate accepta, ut initium rerum, actionumque ſuarum ab illuſtri aliqua laude duceret, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut, qui quaque in civitate, quibuſque in terris homines eſſent, illuſtri quadam aut pietatis, aut prudentiae, aut doctrinae laude, celebrati; (*b*) illos ultro ipſe, eam dignitatem haudquaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam ſuſpicatos, ampliſſimum in cardinalium collegium cooptaret. ea re ſperabat cum pontificatus, collegiique, tot clariſſimorum hominum acceſſione facta, auctum iri majeſtatem; tum, ſpecimen ſe quoque ſuae virtutis maximum cum dediſſet, magnam de ſe famam, opinionemque eſſe facturum: itaque ſemel atque iterum magna cura, magna adhibita diligentia, ſummos viros perveſtigavit atque delegit; quibus graviſſimam illam dignitatem, nimio a pleriſque opere ſaepe fruſtra ac nequiquam expetitam, ultro mandaret: quo facto, opinione majorem eſt gloriam conſequutus. Sed, ut ut aliis ea res evenit, Bembo quidem perincommode cecidit, quod ſuo ex otio, ſuaque ſolitudine dulci illa erutus, rurſum in eam turbam, moleſtiamque ſenex raperetur, a qua, vix dum inclinata aetate, ſeſe tamen cupidiſſime vindicaſſet. etenim, cum praeſtantes denuo gloria viros Paulus conquireret, atque indagaret, quos in collegium

(*a*) *qui ſimulac Pont. Max. factus eſt*) Ad pontificatum evectus eſt, ac Paullus III. appellatus IIII. id. octob. anno M. D. XXXIIII.

(*b*) *illos ultro ipſe*, &c.) Ex eorum numero fuere *Gaſpar Contarenus*, *Jacobus Sadoletus*, *Hieronymus Aleander*, *Gregorius Corteſius*, *Reginaldus Polus*.

(*a*) *occur-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)
BIBLIOTEKA SHKODËR Nr. Inv 7519
BIBLIOTEKA SHKODËR V. 9806

gium legeret, (*a*) occurrit in primis homini Bembus: is forte Venetiis erat. Gaudeo, gaudeo, optima post homines natos, atque amplissima civitas, cum investigaretur perquireturque virtus, ad te iterum potissimum ventum esse. etenim cum bonorum, prudentiumque hominum res Christiana publica egeret, (*b*) sumpserat a te scilicet, jam antea, Gasparem illum Contarenum, Italici nominis lumen; in quo, cum summa probitas, castimonia, moderatio, prudentia cum summa doctrina atque eruditione contenderet, ejus ipsius insignita pietate ac religione longe eae laudes omnes vincebantur: ergo de tua magnorum virorum copia bis suppeditatum paucis annis rei Christianae communi est: semel in Contareno; iterum in Bembo. (*c*) Ad eum cum Pauli missu Carolus Gualterutius Fanensis, vir apprime bonus, navusque & industrius, venisset cum diplomate, cumque ejus dignitatis insigniis, ille enimvero recusare ac deprecari, neque abduci, nunc demum aetate confecta, pati se posse dicere, a quiete ac solitudine illa, quam unam, rerum omnium jucundissimam, antiquissimamque, jam inde a prima adolescentia habuisset; magnas tamen sese Pontifici, magnas collegio gratias agere atque habere; quod senectutem suam honorificentissimo de se judicio, clarissimoque decreto tantopere honestatam voluissent. cum in eo, multos jam dies, perseveraret, neque de sententia depelli posse videretur, nihil propius factum est, quam, ut Romam Gualterutius, re infecta, reverteretur. Non sum nescius multos fore, qui nostrae orationi hac in re parum fidei habeant. plerique enim omnes, quid de aliena voluntate credendum sit, de sua conjecturam faciunt: itaque incredibile multis visum iri intelligo, Bembum id vere atque ex animo aspernatum esse, quod omnes, fere summa cupiditate, expetendum atque optabile esse existiment; tametsi scribimus hac recenti hujus facti memoria, multisque, qui in agendo adfuerunt, superstitibus, quos, mendacii atque impudentiae nostrae conscios ac testes, habere, cur velimus, causa nulla est. Sed quoniam par eorum peccatum esse censemus, qui mentiri in historia audent, atque eorum, qui dicere verum reformidant, mendacii speciem, verum cum dicturi essemus, non horruimus. Erat perinvidiosum futurum, respui tantam dignitatem, praesertim quae non honoris modo splendorem, sed etiam muneris

(*a*) *occurrit in primis homini* Bembus) Cum Paullus quinto Cardinales cooptaret XIII. kal. januar. anno M. D. XXXVIII. inter ceteros creatus est *Bembus*, qui tamen tantum insequente anno VIIII. kal. april. renunciatus est.

(*b*) *sumpserat jam antea* Gasparem *illum* Contarenum) Inter Cardinales adscitus fuerat *Contarenus* a Paullo anno M. D. XXXV. XIII. kal. jun. altera Cardinalium creatione.

(*c*) *Ad eum cum Pauli missu* Carolus Gualterutius *Fanensis*, &c.) Assentiri haud possum *Casae* asserenti, *Gualterutium* Venetias adventasse, ut pontificium diploma & *rubrum biretum*, quod vocant, *Bembo* deferret. Hac de re ne verbum quidem in *Bembi* epistolis: quin ex iisdem saepius apparet, Romae id temporis *Gualterutium* substitisse, &, si quid illic novi, id cum amico per literas communicasse. Praeterea hoc in more positum novimus, ut novis Cardinalibus numquam per privatos homines, qualis erat *Gualterutius*, sed per aulae Romanae *Praelatos* ea dignitatis insignia deferantur. Sed quid opus pluribus? *Octavianum Zenum*, qui erat a cubiculo honorario Pontificis, ad hoc missum esse certum est, cum ex literis (Vol. I. lib. IIII.) datis ad Cardinalem *Farnesium* prid. kal. april. anno M. D. XXVIIII. tum maxime ex eucharistica epistola (lib. VI. Fam.) eodem anno eodemque die ad *Paullum* Pontificem missa: *Quod me in amplissimum Romanae reipublicae Cardinalium collegium, nihil ejusmodi petentem, sponte tua cooptaveris: quodque* Octavianum Zenum, *familiarem a cubiculo tuum, ejus rei nuncium, cum literis humanissimis honorificentissimisque scriptis, cumque priore capitis tegumento purpureo sacroque, magnis itineribus ad me miseris, immortales gratias habeo, habeboque, dum vivam.*

(*a*) *ubi*

neris contineret officium: eam enim ob causam collegium dicitur Cardinalium a majoribus institutum, ut ii & adsint Pontifici, & ad omnia Reipublicae tempora praesto sint; aegerrimeque laturus eam rem Paulus erat; quod minui Christianae civitatis majestas, cujus ipse princeps constitutus esset, videbatur, atque ejus privatim & consilium condemnari, & auctoritas contemni, qui non beneficium modo Bembo a se datum existimaret, sed etiam onus quoddam officii pro sua potestate impositum; ut si de suo ille honore putaret sibi liberum esse recusare, dicto certe Pontificis audientem non esse, in eo vero & collegium, quod sanctum esset, & Pontificem violari. itaque adcurrunt ad eum undique amici ac necessarii; agunt, hortantur, obsecrant, si sua ipse gloria minus moveatur, gentis ac posteritatis tamen memoriam nomenque respiciat; ac tantam dignitatem in domum suam illatam ne ipse a sese abjudicet. Parum primo Bembus eorum moveri oratione; ut pote qui eadem saepenumero audisset jam olim prope omnia, ac refutasset: (*a*) ubi vero ad eum Petrus Landus adiit, qui civitatis, haud multo post, Princeps fuit; qui unus apud Venetos magistratus amplissimus est, idemque perpetuus; isque longa atque accurata oratione cum eo agere coepit, cum ostenderet quantum ea re subiturus esset offensionis atque invidiae; quam indigne Pontificem Maximum, quam graviter omnem sacerdotum amplissimum ordinem eam ignominiam ferre necesse esset; cumque adderet, numquam haec, sine nutu atque consilio dei immortalis, accidere solere; diligenter videret, ne divino numini refragaretur; tum vero, animo sane suspenso ac perturbato, hominem Bembus in praesentia dimittit, rem in diem posterum differt; &, quoniam religionem sibi injecisset, diligentius deliberaturum sese pollicetur. Postridie ejus diei, cum res homini in religionem plane venisset; fuit enim non versuta hac, atque ad hominum opiniones captandas simulata, quam in multis videmus, rugis supercilioque horridam, tristitia; sed, vere atque ex animo, pietatis colentissimus; proximum in fanum mane ingressus est. Erat tum forte sacerdos ad aram, atque historiam de iis, quae a Christo dicta, aut gesta in terris sunt, quod evangelium appellamus, clara voce, ut mos sacrificium facientibus est, effari inceperat: vix dum pedem in templum intulerat Bembus; ac sacerdos, Petre, ait, sequere me. ea vero illi vox, dei prope ipsius ore missa est. Itaque, cum omnem ex animo dubitationem sustulisset, quasi dei accitu Romam proficisci statuit. magnus fit domum ejus omnium hominum atque ordinum concursus, frequens gratulatio, maximus totius civitatis plausus. ille vero, paucis post diebus, silvas, recessusque suos, in quibus placatam, tranquillamque vitam prope omnem traduxisset atque exegisset, crebro appellans, atque identidem respectans, (*b*) Romam iter perrexit. Vere hoc dicere possum; sic homini hoc discessu hilaritatem prorsus excussam, ut ejus pristinam jucunditatem, suavitatemque amici, familiaresque ex illa die desideraverimus, atque, in omne tempus amissam esse, doluerimus. Cultus est Romae Bembus cum a bonis plerisque omnibus Contareno, Sadoleto, Cortesio, Morono cardinalibus amplissimis, hominibusque eru-

(*a*) *ubi vero ad eum* Petrus Landus *adiit, qui civitatis, haud multo post, Princeps fuit*, &c.) Alucinatur iterum *Casa*. *Bembum* renunciatum esse Cardinalem mense martio, anno M. D. XXXVIIII. supra docuimus; cum *Petrus Landus* anno superiore jam a mense januario reipublicae Princeps esset salutatus.

(*b*) *Romam ire perrexit*) Eodem anno quo creatus est Cardinalis, mense septembri Romam contendit.

(*a*) *diem*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

eruditiſſimis; tum vero praecipue a Reginaldo Polo, homine, dei immortalis, dubio procul, beneficio, ex ultima uſque Britannia ad nos vecto, vel de caelo potius, ſi modo dictu fas eſt, lapſo; cujus de laudibus, quamquam de tam praeclara ac plane divina virtute nemo ſatis digne umquam loquetur, alius mihi profecto dicendi locus dabitur. hoc certe haud facile in praeſentia dijudicare audeam; plus ne eam inſulam, multis vulneribus Chriſtianae reipublicae per ſummam impietatem infligendis, nocuiſſe dicam; an, quod in illo ſolo talis, tantuſque vir ortus & procreatus ſit, unde verae, planeque Chriſtianae pietatis, vitaeque exemplum peteremus, profuiſſe. Is igitur cum Bembo familiariſſime vixit; cumque ſenis optimi multas, magnaſque animi dotes maximi fecit; tum vero apertum, ſimplexque hominis ingenium, ſuae ipſius voluntati atque naturae conſimile ac par, plurimum ſemper adamavit. Sed, cum diligentiſſime Bembus coleretur a multis, ſummo etiam a Paulo honore afficiebatur; tantaque apud eum fuiſſe gratia dicitur, ut nullam umquam rem ab eo poſtularit, quin perfecerit atque abſtulerit: ſed enim hoc non ſolum auctoritatis, gratiaeque fuit, ſed etiam moderationis & pudoris. Tum ea erat Bembi, in dicenda ſententia, libertas, ea ſimplicitas, eaque in omni vita clementia atque ingenuitas inerat, ut, ſi ante eum Paulus mortem obiiſſet, quod natura poſtulare videbatur, aliquot enim annos illum Paulus anteceſſit aetate, creatum iri eum Pontificem Maximum plerique compertum haberent. Sed, cum equo Bembus forte veheretur, paulum in oſtio ad parietem latus offendit; qua ex plaga, homo ſenex ac debilis, in febriculam incidit; atque ex ea, cum ſenſim extenuari, conficique ſe intelligeret, cumque mortem multos dies quaſi praeſtolatus eſſet, animo non modo forti, ſed etiam aequo; ut de ſua illa migratione cum amicis interdum etiam jocaretur; (*a*) diem ſuum pie, ſancteque obiit. Cultus erat jampridem omni officio Bembus ab Hieronymo Quirino Iſmerii filio; homine partim genere ac nobilitate, partim fide, munificentia, humanitate, morum ſuavitate, ac dulcedine, clariſſimo. (*b*) Is illi ſtatuam mortuo poſuit nobili artificio factam ex marmore, atque eam celeberrima Antonii in aede Patavii locavit; inſcripſitque in baſi in hanc fere ſententiam: propterea a ſe illam ſtatuam Bembo ſtatutam, atque in publico poſitam eſſe, ut cujus animi ſimulacra orbis terrarum cerneret, ejus ne corporis quidem deſideraret imaginem. Fuit omnino perpolitum Bembi ingenium, perque acre; maximeque perſpicax, acutumque judicium; plurima

(*a*) *diem ſuum pie ſancteque obiit*) E vita ceſſit XV. kal. februar. M. D. XXXXVII. cum annos vixiſſet LXXVI. menſes VII. dies XXVIII. Id teſtatur epitaphium quod in aede S. Mariae ſuper Minervam parentis ſepulcro inſcribendum curavit ejus filius *Torquatus Bembus*.

PETRO. BEMBO. PATRITIO
VENETO. OB. EIVS. SINGVLARES
VIRTVTES. A. PAVLO. III. PON. MAX
IN. SACRVM. COLLEGIVM. COOPTATO
TORQVATVS. BEMBVS. P
OBIIT. XV. KAL. FEB. CIↃ. D. XLVII.
VIX. AN. LXXVI. MEN. VII. D. XXVIII

Situs vero eſt *Petrus* poſt aram maximam, inter *Leonis X.* & *Clementis* VII. Pontificum tumulos, a quibus prima & praecipua acceperat ſuae fortunae incrementa.

(*b*) *Is illi ſtatuam*, &c.) Inſcriptionem ſtatuae ſubjectam habebis lector ad calcem ejus Vitae, quam a *Beccatello* deſcriptam tibi damus. Inſcriptioni accedet ejuſdem ſtatuae iconiſmus, *Daneſii Catanei*, ſculptoris celeberrimi opus, quo amiciſſimi viri memoriam *Hieronymus* voluit, immortalitati commendatam.

(*a*) *Sunt*

ma in alios, in ſe nimium paene multa inquirens; in ſeligendis, collocandiſque verbis, multum ponebat operae, atque in ea re magnam cum prudentiam, tum vero etiam diligentiam adhibebat: hoc enim unum ſibi perſuaſerat eſſe, quod in oratione novitatem, & quaſi, patriis moribus conſervatis, peregrinitatem tamen quandam effingeret; quae, cum multum omnibus in rebus admirationis habeat, ob id ipſum plurimum etiam non modo dignitatis, ſed etiam jucunditatis adferre ſolet. Ac profecto, quantum intelligere nos poſſumus, praeclare hoc, quod difficillimum ſemper habitum eſt, Bembus praeſtitit, ut, cum minus fere uſitate loqueretur, hoſpitis ſpeciem tamen effugeret. quod ſi qui ſunt, qui vulgi opinione ducti, quotidianam hanc tritam, communemque dictionem in hominum eruditorum, aut verſibus, aut proſa oratione vel poſtulent, vel expectent, atque ob eam cauſam Bembi oratione, quae a plebejo ac pervagato hoc tabernariorum atque opificum ſermone longe diſſonat, minus delectentur; ii erunt ex eorum numero, qui de iis ſtudiis exiſtimare aut leviter, aut nihil poſſint. Cajus quidem Caeſar, ut litteris proditum video, & ipſe bene loquendi laudem, non populi conſuetudine, ſed multo ſtudio, multiſque litteris, & iis quidem reconditis & exquiſitis, aſſequutus eſt; & cum de ratione Latine loquendi ad Ciceronem ipſum accuratiſſime, pluribus quidem libris, ſcriberet, verborum delectum originem dixit eſſe eloquentiae. Jure igitur Bembus, majore quadam cura, in verbis eligendis torquebatur, praeſertim cum Etruſce ſcriberet: itaque nova, ſplendida, decoraque ejus in primis oratio eſt: parum enim fidei conſuetudini ſemper habuit; quod ea partim varia atque inconſtans, partim etiam vitioſa atque corrupta eſſet; &, quoniam ne Romam quidem, nec adeo Athenas illas ipſas Atticas, quibus temporibus eloquentia maxime floruit, diutius tenere illud potuiſſe ſcriptum legerat, ut ne barbarie earum infuſcaretur atque inquinaretur oratio; repudiandum ſibi hunc ſermonem, qui nunc eſt, ſtatuebat eſſe; atque eum, qui fuerat in Etruſcis olim hominibus purus atque emendatus, cum minus dum exterarum nationum in Italiam confluxerat, adſciſcendum: qui cum illi non de populo, futili inanique doctore, diſcendus eſſet; ſed e veterum libris, graviſſimis auctoribus, percipiendus; illud etiam eadem opera adſequebatur, ut ejus, dignitatem, gravitatemque haberet oratio. nam quotidianus quidem, vulgariſque hic hominum ſermo, e ſordidis artibus maximam partem ductus, multum ex officina, multum e taberna, e fellaque redoleat, neceſſe eſt. (*a*) Sunt igitur Bembi de ratione Etruſce loquendi libri tres in dialogo mirabiliter ſcripti; quibus profecto effectum eſt, ut quod homines Etruſce loquantur, non bonae modo jam conſuetudinis ſit, quam tamen fluxam atque inſtabilem videmus eſſe, ſed jam etiam ſcien-

d

(*a*) *Sunt igitur* Bembi *de ratione etruſce loquendi libri tres*) Opus ita inſcribitur: *Prose di M.* Pietro Bembo *nelle quali ſi ragiona della volgar lingua ſcritte al Cardinale de' Medici che poi è ſtato creato a Sommo Pontefice & detto Clemente Settimo diviſe in tre libri*. Prodiit primum Venetiis in fol. e praelo Joannis Tacuini anno M. D. XXV. PRIMUS omnium *Bembus* fuit, qui noſtris hominibus linguae ſuae artem traderet, cujus praecepta ipſe longo ſtudio multaque optima doctorum obſervatione congeſſerat, ut grammaticae artis corpus abſolveret. Scio equidem ante editos eos libros, jam ab anno M. D. XVI. de mense Septembri, Antoniae, per Bernardinum Vercellenſem, in 4. emiſſum eſſe in lucem *Joannis-Francisci Fortunii* opus hoc titulo: *Regole grammaticali della volgar lingua*. Sed *Bembus* in Epiſt. vernaculis Vol. III. lib. II. ad *Bernardum Taſſum* ſcribens, plagii aperte *Fortunium* inſimulat, ſuaque eſſe, quae ille vendidavit, aperte profitetur. „ Quanto al maeſtro *Pellegrino Moretto*„ (hic eſt *Pellegrinus* ille *Mantuanus*, qui praeter quaedam alia perpauca, in vulgus edidit libellum, qui inſcribitur: *Vocabulario de tutte le cadentie*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

ſcientiae ac rationis, quae mutari nullo modo poſſunt; (*a*) quamquam video non deeſſe, qui, cum cogitandi laborem ferre ipſi aut nolint, aut etiam nequeant, Bembi ſcripta non tam expurgata, quam religione nimia prope quadam attenuata eſſe contendant. Sed ſit ſane ſuus cuique modus: difficile eſt enim, in omni re ſtatuere quatenus: & tamen, ſi cum aliorum libris Bembi ſcripta conferantur, facile judicium erit: mihi quidem ejus oratio vehementer probatur: non modo, quia elegans, nova, ſplendidaque eſt, &, ut ita dicam, nobilis; ſed, quia eſt etiam, Iſocrateo prope more, uber atque ornata. (*b*) Sunt etiam ejus verſus Etruſce ſcripti, & quidem permulti, graves atque pleni; ut hanc quidem laudem, ſi modo nos de iis rebus exiſtimare aliquid poſſumus, Bembo a ceteris omnibus concedi, neceſſe ſit: (*c*) in iis eſt carmen de Caroli fratris morte: videor mihi hoc vere affirmare poſſe, neminem umquam tam plane, tam ornate, tam dolenter quemquam luxiſſe, atque illis Bembus verſibus fratris obitum lamentatus eſt. (*d*) Scripſit praeterea volumina epiſtolarum ali-

dentie di Dante, & Petrarca, raccolte per Pellegrino Moreto *Mantovano*: excuſus eſt Venetiis per Nicolaum ab Ariſtotele menſe novembri M. D. XXIX.) „ che ha ſegnate le mie *Proſe* con „ le parole ingiurioſe che mi ſcrivete: potrete dirgli, che egli ſi inganna. Percioche ſe ad eſſo „ pare, che io habbia furato il *Fortunio* percio, che io dico alcune poche coſe, che egli havea pri„ ma dette: egli nel vero non è coſi. Anzi le ha egli A ME FVRATE con le proprie parole, „ con le quali io le havea ſcritte in un mio libretto forſe prima, che egli ſapeſſe ben parlare, non „ che male ſcrivere: che vide & hebbe in mano ſua molti giorni. Il qual libro io mi profero di „ moſtrargli ogni volta, che egli voglia, & conoſcerà, ſe io merito eſſer da lui ſegnato & lacera„ to in quella guiſa. Oltre acciò io potrò farlo parlar con perſone grandi & digniſſime di fede: „ che hanno da me apparate & udite tutte quelle coſe, delle quali coſtui può ragionare, di molti „ & molt'anni innanzi, che *Fortunio* ſi metteſſe ad inſegnare altrui quello, che egli non ſa„ pea. „ Sane inter eaſdem *Bembi* epiſtolas lib. II. Vol. II. quaedam eſt ad *Tryphonem Gabrielium* Romae data kal. april. anno M. D. XII. ex qua conſtat ipſum ex eo tempore *duos* ex tribus de *Italica lingua libris* jam confeciſſe, quos emendari etiam ejuſdem *Tryphonis* judicio cupiebat, aliorumque doctiſſimorum amicorum *Joannis Aurelii*, *Nicolai Theupoli*, *Joannis-Franciſci Valerii*, *Joannis-Baptiſtae Ramnuſii*, & *Andreae Naugerii*.

(*a*) *quamquam video non deeſſe*) Minime defuere, qui *Bembo* tum viventi tum mortuo obtrectarent, quibus ejus oratio aſpera viſa eſt, duriuſcula, & parum liberaliter veterum imitationi addicta. Praeſtat ceteris nobilitate nominis & ingenii *Juſtus Lipſius*, cujus quale ſit de *Bembi* operibus judicium, vide ſis *Epiſtol. miſcellan. Centur. II. Epiſt. LVII.* & *Centur. V. Epiſt. XXXXVII.* & *L.* itemque *Centur. ad Ital.* & *Hiſp. Epiſt. VI.* & *Notas ad lib. I. Politicor. in cap. VIIII.* Contra obtrectatores tamen ipſum tutati ſunt clariſſimi viri, ac praeſertim *Joannes Clericus* in opere gallico *Bibliotheque Choiſie* Tom. I. artic. VII. ubi non oſcitanter latina *Bembi* opera cum magno doctrinae apparatu penſitat.

(*b*) *Sunt etiam ejus verſus etruſce ſcripti*) Etruſcos *Bembi* verſus, quibus titulus *Rime di M. Pietro Bembo*, publicavere primum Venetiis Joannes-Antonius & fratres a Sabbio anno M. D. XXX. in 4. Melior tamen auctiorque tertia editio Romana per Valerium Doricum & Franciſcum fratrem menſe octobri anno M. D. XXXXVIII. curante *Carolo Gualterutio*. Hanc miſit ad Cardinalem *Farneſium*, Paulli III. nepotem *Hannibal Caro*, qui in epiſtola nuncupatoria haec de illo habet: *E ſtato* M. Pietro Bembo, *non ſolo de primi ſcrittori di queſti tempi; ma il* PRIMO, *che habbia inſegnato a queſti tempi, & a quelli, che verranno, il vero modo di ſcrivere*. Recuderunt aliquando eadem carmina, aliiſque additis locupletarunt Joliti Venetiis annis M. D. XXXXVII. & ſequentibus in 12. quorum editiones etiam in pretio.

(*c*) *in iis eſt carmen de* Caroli *fratris morte*) Carmen hoc, vulgo *Canzone*, omni venere quam maxime comptum, ita incipit:

Alma corteſe, che dal mondo errante

Illud affert vir clariſſimus *Ludovicus-Antonius Muratorius* lib. IIII. *de perfecta Italica poeſi* pag. 465. & ſeqq. deque eodem ſic honorificentiſſime ſentit: *Per una Canzone funebre queſta ha dei pregi ſingolari, e può ſervire d' eſempio ad altre*, &c.

(*d*) *Scripſit praeterea*) Quoniam ad hujus Vitae calcem omnium *Bembi* operum, quaeque latine

aliquot: quarum paulo magis decoram video a nonnullis locutionem exiſtimari. ſuum cuique omnino judicium; eamque ob cauſam difficillimum eſt, omnibus aeque placere: nam, ut Theognis ait, laudatus a Platone poeta,

(*a*) Οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὔτ' ὖων πάντας ἀνδάνει, οὔτ' ἀνέχων.

mihi quidem, cum has epiſtolas cum iis, quae a Graecis, Latiniſve ſcripta olim ſunt, contuli; valde hae cum illis congruere videntur. Sed pollutas plerique lue quadam etiam nunc aures habemus: nec plane dum e vulgi faece enatavimus atque emerſimus: paucos enim adhuc bonos auctores Etruſca habuit lingua, quibus lectitandis noſtrorum hominum expoliretur, expurgareturque judicium. Itaque homines ornatae, factaeque orationis inſueti, nec pulchritudinem intelligunt, aut cernunt, & ſplendore ipſo praeſtricti laeduntur, praeſertim qui in veterum Graecorum ac Latinorum libris uſque adeo verſati, volutatique non ſint, ut illorum virtutes aut transferre ipſi in ſua ſcripta, aut in alienis agnoſcere non poſſint: atque Etruſce quidem a Bembo ſcripta haec ſunt. Latine vero de Aetna ad Angelum Gabrielem ſcripſit adoleſcens; quem video libellum illi poſtea ſeni non valde probatum fuiſſe: de Virgilii Culice, & Terentii fabulis librum unum: de Guidoubaldo Feretrio, atque Eliſabetha Gonzagia ad Nicolaum Teupolum librum itidem unum, qui valde doctis omnibus probatus eſt; a Gabriele quidem Faerno, homine eruditiſſimo atque hujus generis acerrimo exiſtimatore, in caelum fertur. Sunt etiam Bembi, praeter eas epiſtolas, quae Leonis nomine ab eo ſcriptae ſunt, ſuarum quoque privatim epiſtolarum volumina; ac ſeorſum epiſtola de imitatione ad Joannem Picum libri prope inſtar, ſane perlegenda. ſunt praeterea ejus verſus Latini multi, dulces, eleganteſque; ut me quidem aeque propemodum, ac veterum illorum poetarum ſcripta, delectent. ſcripſit etiam magna cura, magnaque aſſiduitate (*b*) civitatis ſuae hiſtoriam, nudiuſculam illam quidem: eſt enim unum Caeſarem imitatus; ſed puram in primis atque illuſtrem.

tine quaeque italice ſcripſit, elenchum ſum daturus, hic ultra nihil addam.

(*a*) Scilicet: *Juppiter enim neque pluens omnibus placet, neque pluviam ſuſtinens*.

(*b*) *civitatis ſuae hiſtoriam*) Cum in Gallia anno M. D. XXVIIII. V. id. majas deceſſiſſet *Andreas Naugerius*, cui Decemvirum decreto rerum Venetarum ſcribendarum cura, qua *Sabellicus* deſierat, demandata erat: novo ampliſſimi ejuſdem collegii decreto idem negotium datum est *Petro Bembo*, qui tum Patavii totus in ſtudiis ſuis erat. *Bembus* ipſe in hiſtoriae ſuae limine mihi teſtis eſt. Per idem tempus & Marcianae bibliothecae cuſtos fuit, quemadmodum ante ipſum *Sabellicus* ac *Naugerius*, quod in *Sabellici* vita ſatis docuimus. Vir clariſſimus *Nicolaus Trincavellus*, Venetus, nobilis philoſophus ac medicus, anno M. D. XXXVI. cum *Stobaeum*, graece editum Venetiis in fol. per Bartholomaeum Zanettum, diceret, non ſine maxima ejus laude bibliothecam publicam memorat ipſius curae commendatam. Cujus egerit *Trincavello* gratias *Bembus*, ob inſcriptum nomini ſuo illius auctoris opus, ex ejus literis patet Patavio idib. febr. anno M. D. XXXVI. quae lib. VI. Famil. occurrunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

XXIIII.

PETRI BEMBI OPERUM

Elenchus.

Opera jam edita.

Latina.

1. *De Aetna ad* Angelum Chabrielem. Venetiis, in aedibus Aldi, M. CCCC.LXXXXV. in 4. & per Jo. Ant. ejuſque fratres de Sabio, M. D. XXX. in 4. & Lugduni, apud Sebaſtianum Gryphium M. D. XXXII. in 8. Hoc etiam opuſculum excuſum eſt Amſtelodami, per H. Schelte, M. DCC. III. in 8. poſt *P. Severi Cornelii* poemation de *Aetna* a *Jo. Clerico* illuſtratum.

2. *De imitatione ad* Jo. Franciſcum Picum. Hoc opuſculo reſpondet *Bembus Pico*, qui eidem ſuper eodem argumento epiſtolam dederat *Romae III. cal. oct.* M. D. XII. *Bembi* reſponſio data eſt *Romae cal. januar.* M. D. XIII. Prodiit Venetiis apud fratres Sabios in 4. anno M. D. XXX. Lugduni, apud Gryphium, M. D. XXXII. in 8. Pariſiis, M. D. LXXVIIII. in 8.

3. *De Virgilii culice, & Terentii fabulis ad* Herculem Strotiam. Hoc etiam opuſculum ediderentiae fratres Sabii, & Gryphius annis iiſdem, quibus epiſtolam *de imitatione*. Prodiit item Florentiae, M. D. LXIIII. in 4. *Bembi* vero *Caſtigationes in aliquot loca Terentii* exſtant in *Terentio* editionis Pariſienſis, M. D. LII. pag. 20.

4. *Hiſtoriae Venetae libri XII.* Venetiis, apud Aldi filios, M. D. LI. in fol. Lutetiae, ex officina Michaelis Vaſcoſani, M. D. LI. in 4.

5. *De Guido Ubaldo Feretrio, deque Eliſabetha Gonzaga Urbini ducibus, liber.* Venetiis per Jo. Antonium ejuſque fratres Sabios, M. D. XXX. in 4. & Romae, M. D. XXXXVI. in 4.

6. *Epiſtolarum* Leonis X. *P. M. nomine ſcriptarum libri XV.* Venetiis, M. D. XXXVI. in fol. & M. D. LII. in 8. Lugduni, apud Theobaldum Paganum, M. D. XXXX. in 8. Baſileae, apud Frobenium, M. D. XXXXVII. in 8. & Coloniae Agrippinae, M. D. LXXXIIII. in 8.

7. *Epiſtolarum familiarium libri VI.* Venetiis, M. D. LII. in 8. Coloniae, apud Goſvinum Cholinum, M. D. LXXXII. in 8. & alibi. Praeter eas vero aliae non paucae, qua *Leonis X.* qua *Bembi* ipſius nomine conſcriptae epiſtolae per aliorum doctorum hominum volumina diſperſae occurrunt.

8. *Benacus, & Auguſtini Beatiani Verona.* Romae, M. D. XXV. in 4.

9. *Carmina.* M. D. LII. in 8. Plura quoque latina *Bembi* carmina in latinorum poetarum florilegiis perleguntur.

Univerſa autem latina *Bembi* opera prodierunt iterum & ſaepius Baſileae, M. D. LVI. M. D. LXVII. Argentorati, M. DC. II. M. DC. XI. & M. DC. LII.

Italica.

10. *Gli Aſolani, lib. III.* Venetiis, in aedibus Aldi Romani anno M. D. V. menſe martio in 4. & M. D. XV. menſe majo in 8. eodemque anno menſe novembri apud Philippum Junctam in 8. Venetiis, apud Jo. Antonium fratreſque Sabios, M. D. XXX. in 4. aliiſque etiam ex praelis. Utrique autem editioni Venetae in 12. per Jacobum de Vitalibus, M. D. LXXV. & per Fabium Zoppinum, M. D. LXXXIIII. argumenta librorum ſingulorum, obſcuriorumque dictionum declarationes margineas addidit *Thomas Porcacchius.*

11. *Le Proſe, nelle quali ſi ragiona della volgar lingua, diviſe in III. libri.* Editae ſunt Venetiis, per Joannem Tacuinum, M. D. XXV. in fol. & per Franciſcum Marcolinum, M. D. XXXVIII. in 8. Idem opus ex autographo auctiorique exemplari ipſius *Bembi* recognovit *Benedictus Varchius*, indicemque ſatis copioſum addidit: evulgavit Laurentius Torrentinus Florentiae anno M. D. XXXXVIIII. in 4. Editum deinde eſt Venetiis per Jolitos, M. D. LVI. M. D. LVIII. &c. in 12. itemque Venetiis in 12. per Franciſcum Rampazettum, M. D. LXII. Priorum editionum recognitor fuit *Ludovicus Dulcius*; poſterioris *Franciſcus Sanſovinus*. Idemque *Sanſovinus* edidit *Bembi Proſas*, una cum *Obſervationibus linguae italicae* multorum illuſtrium virorum, ſuiſque e praelis emiſit anno M. D. LXII. & Franciſcus Rampazettus M. D. LXV.

uter-

que in 8. Complures aliae tanti operis editiones habentur tum ſeorſim, tum inſignibus iis in collectaneis, quorum titulus eſt: *Degli Autori del ben parlare per ſecolari e religioſi, opere diverſe, &c. In Venetia, nella Salicata*, M. DC. XXXXIIII. in 4. quae debemus *Subaſiano*, quo voluit nomine delitescere *Joſephus Aromatarius*. Exſtant ejus operis Parte I. Tomo II. num. 2. Sed omnium praeſtantiſſima ea eſt editio, quam nuperrime Neapolitanis ex praelis accepimus ita inſcriptam: *Le Proſe*, &c. *In queſta nuova edizione unite inſieme con le Giunte di* Lodovico Caſtelvetro, *non ſolo quelle, che prima vedevanſi ſtampate ſeparatamente, ma ancora alcune altre, che conſervavanſi manuſcritte nella libreria del Sereniſſ. Duca di Modona. In Napoli, per Bernardo-Michele Raillard. e Felice Moſca*, M. DCC. XIIII. in 4. Proſarum veluti epitomen emiſit *Marcus-Antonius Flaminius*, inſcriptam: *Le Proſe di Monſignor Bembo ridotte a Metodo, da M. M.* Antonio Flaminio. *In Napoli, appreſſo Gioſeppe Cacchi, & compagni*, M. D. LXVIIII. in 12.

12. *Le Rime.* Quae facta eſt Italicorum *Bembi* carminum, Venetiis, apud Jo. Antonium & fratres Sabios, M. D. XXX. in 4. prima editio eſt. Sequitur altera item Venetiis, apud Gualterium Scottum, M. D. XXXXIIII. in 8. Sed longe elegantior, auctior, & emendatior eſt tertia Romana editio, per Valerium & Aloyſium fratres Doricos, M. D. XXXXVIII. in 4. curante *Carolo Gualterutio*, quam praeit *Hannibalis Cari* ad *Farneſium* Cardinalem nuncupatoria epiſtola laudatiſſima. His Venetae editiones non paucae ſuccedunt, apud Scottum, M. D. LII. in 8. apud Cominum a Trino, M. D. LIIII. in 8. & apud Jolitum, M. D. XXXXVIII. M. D. LVI. M. D. LVII. & M. D. LVIII. in 12. Porro Jolitus, exſcripta a ſe ait *Bembi* carmina ex eo exemplari, quod a *Petro Gradonico* acceperat, ab ipſo auctore caſtigatum, multiſque auctum, quae tum primum a ſe in apertum proferebantur. Seorſim autem ab aliis non ſemel prodierunt, ac praeſertim Venetiis, per Jordanum Zilettum, M. D. LXII. in 8. eae quae inſcribuntur: *Stanze di M.* Pietro Bembo. Offendi etiam libellum ex quattuor dumtaxat pagellis, inſcriptum: *La dolcezza d' amore di M.* Pietro Bembo, *con altre Stanze dalla Sig.* Virginia Salvi *Sanoſe ſopra il ſonetto* Pace non trovo, &c. *In Ferrara, appreſſo Valente Panizza Mantoano*, M. D. LXII. in 8. Verum ii verſus aut *Bembi* non ſunt, aut *Bembo* exciderunt valde adoleſcentulo. *Bembi* quoque carmina liber ille habet, cujus epigraphe eſt: *Rime di tre illuſtri Poeti, cioe del* Bembo, *del* Caſa *e di* Gio. Guidiccioni, *aggiuntevi in fine quelle di* Buonaccorſo di Montemagno. *In Venetia, per Franceſco Portonari*, M. D. LXII. in 12. Juvat has alias editiones referre: *Le Rime di M.* Pietro Bembo, *rivedute da M.* Franceſco Sanſovino, *e di annotationi illuſtrate. In Venetia*, M. D. LXI. in 12. Item *rivedute da M.* Tomaſo Porcacchi *con l' aggiunta di una tavola di tutte le deſinenze ſotto le lettere vocali. In Venetia, preſſo il Giolito*, M. D. LXX. in 12. Item *riveduze e purgate da* Gio. Battiſta Baſile, *con le Oſſervationi, varietà di teſti e tavola di tutte le deſinenze. In Napoli, per Coſtantino Vitale*, M. DC. XVIII. in 8. Plurima ex *Bembi* carminibus etruſcis exſtant in iis voluminibus, in quae congeſta ſunt ſcripta Italorum poetarum ſelectiora. *Joannes-Marius Creſcimbenus*, libro a ſe iterum edito cum eo titulo: *Iſtoria della volgar poeſia*, pagg. 333. 334. 335. refert non paucos doctos viros, qui *Bembi* carmina ſuis curis illuſtrarunt, quarum etiam non paucae nondum lucem publicam aſpexere. Iis auctoribus adjiciendus eſt *Benedictus Varchius*: hic epiſtola ea qua *Laelio Taurello* nuncupat orationem a ſe habitam in *Bembi* funere, innuit a ſe expoſitas tres illas odas italicas; quas idem *Bembus* uno veluti partu enixus eſt. *Varchio* autem *Hugolinus Martellius* a quo refert doctiſſimus Abbas *Salvinus Salvinius* pag. 31. *Faſtorum Conſularium Academiae Florentinae* nuper editorum, expoſitum eſſe *Bembi* carmen (vulgo *Sonetto*) cujus ille eſt primus verſus:

Verdeggi all' Apennin la fronte, e'l petto.

Et *Bembus* ipſe id innuit epiſtola ea quae XIIII. eſt Volum. III. lib. XI. per quam ornatiſſimis verbis eidem *Hugolino* gratias agit.

13. *Della Hiſtoria Vinitiana volgarmente ſcritta libri XII. In Vinegia, appreſſo Gualtero Scotto*, M. D. LII. in 4. Item *In Vinetia, per Giordano Ziletti, e compagni*, M. D. LXX. in 4. Poſteriori huic editioni *Alemanus Finus*, Gremenſis, notabilium rerum indicem appoſuit; tum Venetorum omnium Principum, Patriarcharum, & Cardinalium, uſque ad Aloyſium Mocenicum Ducem. Utrique editioni praeit *Bembi* vita, auctore anonymo.

14. *Delle Lettere Volume I. In Roma, per Valerio Dorico & Luigi fratelli, nel meſe di ſettembre*, M. D. XXXXVII. in 4. *ad inſtanza di Carlo Gualteruzzi*. Minime praetereunda eſt editoris ad *Guidum-Aſcanium* Cardinalem *Sfortiam* nuncupatoria epiſtola, quae etiam editionum poſteriorum pleriſque praemittitur.

15. *Delle Lettere a Sommi Pontefici, a Cardinali, & ad altre perſone eccleſiaſtiche ſcritte I. Volume, libri XII.* Complectitur antedictas epiſtolas, ſ[illegible] cum additamen[illegible]

16. *Delle Lettere a ſuoi congiunti & amici, & ad altri Gentili huomini Vinitiani ſcritte, II. Volume, libri XII.* Gualterianis editionibus apponitur *Antonii Manutii* nuncupatoria ad *Hieronymum Quirinum, Iſmerii* filium, epiſtola.

17. *Delle Lettere a Principi, Signori & ſuoi famigliari amici ſcritte, III. Volumi libri XI.* Hoc volumen Scottus dicat *Julio* Cardinali *Roberto* Perufiae Legato

18. *Del-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

18. *Delle Lettere a Prencipesse & altre Gentili donne scritte, IIII. Vol. Parte I. e II.* Dicantur *Elisabethae Quirinae*, matronae nobilissimae, *Bembique* & *Casae* scriptis celeberrimae. Italicae *Bembi* epistolae saepius e Venetis praelis prodierunt per Gualterium Scottum iterum atque iterum, qua in 8. qua in 12. tum per alios annis, M.D.LX. M.D.LXIIII. M.D.LXX. & M.D.LXXVII. in 8. Gualterianam editionem anni M. D. LXXV. probasse prae ceteris visi sunt viri illi clarissimi, qui vulgo se vocant *gli Accademici della Crusca*.

19. *Lettere Giovenili. In Milano, appresso di Giovann' Antonio degli Antonii*, M. D. LVIII. in 8. Has amplectitur quoque posterior quarti voluminis pars; ubi etiam editor, multo ante emissas in lucem esse testatur. Apud eos, qui variorum clarorum virorum italicas epistolas in volumina congestas, publico donavere, occurrunt aliae non paucae *Bembi* epistolae.

20. *Nuove Lettere famigliari scritte a M. Gio.* Mattheo Bembo *suo nipote, hora Senatore prestantiss. nella Rep. Venetiana. In Venetia, appresso Francesco Rampazetto*, M. D. LXIIII. in 8. Collegit publicavitque *Franciscus Sansovinus*, & *Guido-Ubaldo Feretrio*, IIII. Urbinatium duci nuncupavit. *Ursattus Justinianus*, suis italicis carminibus celebrat hujus *Joannis-Matthaei Bembi* vitam a *Ludovico Dulcio* conscriptam, quae numquam tamen publici juris facta est.

21 *Delle Lettere da diverse Re, & Principi, & Cardinali, & altri huomini dotti a Monsr.* Pietro Bembo *scritte I. Volume, di nuovo stampato, riveduto, & corretto per* Francesco Sansovino. *In Venetia, appresso Francesco Sansovino, & compagni, M. D. LX.* in 8. Accepit *Sansovinus* has epistolas a *Torquato Bembo*, & in libros quinque digestas *Octaviano Pallavicino* dicavit. Idem quoque alia earum epistolarum volumina editurum se pollicetur.

22. *Proposta al Prencipe M.* Leonardo Loredano *& alla Signoria di Vinegia per nome di Papa* Leone X. Haec oratio exstat in epistolarum italicarum *Bembi* volum. I. pag. 337. Gualterianae editionis anni M. D. LXXV. atque in aliis earumdem epistolarum editionibus; item in Orationibus italicis a *Sansovino* collectis vol. I.

23. *Annotationi sopra il* Petrarca. Excerptas e *Bembi prosis* una cum *Petrarcha* ediderunt iterum ac saepius Lugduni Rovillius, & Venetiis Petrasancta, Bevilaqua, Angelierius, aliique bibliographi.

Opera nondum edita.

24. *Provincialium poetarum vitae.*

25. *Provincialium poetarum carmina.* Codicem hunc ipsum qui Provincialium poetarum vitas & carmina continebat, *Bembo* mortuo, in *Ludovici Beccatelli* manus devenisse, refert *Antonius-Franciscus Donius*, libro quod inscripsit: *I Marmi*, parte tertia, pag. 155. editionis Venetae Francisci Marcolini, anno M. D. LII. in 4. Haud parum quidem studii & laboris *Bembus* impendit in linguae Provincialis antiquae scriptis; cui linguae quis inficietur, plurimum debere Italas Musas? Iis etiam scriptis multam a *Bembo* datam esse operam testantur tum ipsius *Prosae*, tum ea ad *Antonium Thebaldeum* epistola, quae exstat volumine III. libro V. qua epistola *Thebaldeo Bembus* mittit Vitam *Bartholomaei Georgii*, Veneti patricii, qui vetere Provinciali lingua non pauca scripsit; subjicitque sibi esse in animo, typis mandare Poetarum Provincialium carmina, una cum ipsorum vitis. Porro *Varchius* in oratione funebri, hac de causa *Bembum* narrat ad Provincialium auctorum studia se contulisse: *Se a bene intendere la latina, gli fu di bisogno apprendere la greca; a bene apprendere la* Toscana, *gli bisognò apparare la* Provenzale, *poco meno che del tutto spenta ancora in quei tempi*. Neque tamen *Petrus* in his quattuor linguis addiscendis ita fuit totus, ut in aliis etiam horas aliquas non insumeret. Vir clarissimus *Ludovicus-Antonius Muratorius* in opere numquam satis laudando *de perfecta italica poesi*, Tomo I. pag. 435. refert breve carminum specimen, quae *Bembus Hispanica* lingua conscripserat.

26. *Oratio de grecae linguae laudibus.* Graece eam scripsit *Bembus*; quod *Varchius* haud dubiis verbis testatur in praedicta oratione funebri. *Beccatellus* autem de *Bembo* haec perhibet: *Dal* Lascari *egli imparò così felicemente la lingua* greca, *che non solo l' intendeva, ma la scriveva ancora*.

27. *Dissertationes in numismata, inscriptiones, aliaque vetustatis fragmenta.* Sparsim in epistolis, qua graecis qua latinis, earum meminit.

28. *Observationes in auctores graecos & latinos.* Ipse quoque scholiis librorum margines consuerat notare; quod doctis hominibus solemne semper fuit.

29. *Epistolae autographae ad Rubertum Macigni.* Exstabant in bibliotheca nobilis civis Patavini *Nicolai Trivisani*, teste *Jacobo-Philippo Tomasino Biblioth. Patav. mss.* pag. 109.

SYL-

SYLLABUS

Auctorum, ex quorum scriptis excerpi plurima queunt ad texendam copiosiorem *Bembi* vitae historiam.

Agrippa (*Cornelius*) De vanitate scientiarum.
Albericius (*Jacobus*) *Catalogo degli scrittori Veneziani*. pag. 74.
Amasaeus (*Romulus*) Orationes. pag. 140. 217.
Ammiratus (*Scipio*) *Opuscoli Vol. II. I Ritratti. pag.* 248.
Aretinus (*Petrus*) *Lettere* pluribus in locis.
Areostus (*Ludovicus*) *Orlando furioso Cant. XXXXV. ſt.* 15. Auctor hoc suum poema judicio *Bembi* & censurae subjecit.
——— Carmina, lib. I. pag. 283.
Armanius (*Vincentius*) *Istoria della famiglia Bentivoglio*. pag. 185.
Asulanus (*Franciscus*) epistola nuncupatoria ad *Petrum Bembum* in Vitas parallelas Plutarchi graece editas in aedibus Aldi, anno M. D. XVIIII.
Augurellus (*Joannes-Aurelius*) Jambicus lib. II. & Carmina, lib. I. & II.
Bandellus (*Matthaeus*) *Novelle. Volum. II.* pag. 67.
Barotius (*Petrus*) episcopus Patavinus: De factionibus extinguendis liber ad *Petrum Bembum*.
Beatianus (*Augustinus*) Lachrymae in funere *Petri* Card. *Bembi*.
——— *Rime volgari e latine.*
Blount (*Thomas-Pope*) Censura celebriorum auctorum. pag. 554.
Boccalinus (*Trajanus*) *Ragguagli di Parnaso*: pluribus in locis.
Bodinus (*Joannes*) Methodus Historiae. pag. 72.
Boissardus (*Janus-Jacobus*) Icones illustrium virorum.
Bonamicus (*Lazarus*) Carmina. pag. 26. 53.
Borichius (*Olaus*) De poetis. pag. 94.
Bosius (*Joannes-Andreas*) De comp. prud. civil. n. 41.
Budaeus (*Guglielmus*) Epistolae.
Bulifonus (*Antonius*) *Lettere memorabili Part. I.* pag. 120.
Calcagninus (*Caelius*) epistolae. lib. V.
——— Carmina lib. II.
Camillus (*Julius*) *Teatro*. Nuncupatoria est ad *Bembum*.
——— Carmen ad *Petrum Bembum*: exstat in Deliciis Poetarum Italorum Part. I. pag. 551.
Canonherius (*Petrus-Andreas*) De curiosa doctrina. pag. 112.
Caramella (*Honorius-Dominicus*) Museum illustrium Poetarum. pag. 234.
Castelvetrus (*Ludovicus*) *Poetica* pag. 24. 590.
Catossus Trocta: Censura in *Petri Bembi* Benacum ad *Fabium* & *Janum Arcellas* fratres, patricios Neapolitanos; mss. in 4. Exstabat in bibliotheca *Marquardi Gudii*, ut refert ejusdem bibliothecae Catalogus pag. 574.
Cheureau (*Urbanus*) *Histoire du monde Tome III.* pag. 574.
Ciaconius (*Alphonsus*) Vitae Pontificum & Cardinalium, Tom. III. col. [illegible].
Codaglius (*Dominicus*) *Istoria Orceana*. pag. 9.
Contarenus (*Petrus*) Argoa voluptas, lib. II.
Crassus (*Laurentius*) *Istoria de' Poeti greci*. pag. 410.
Crassus (*Nicolaus*) elogia Venetorum. pag. 53.
Crinitus (*Petrus*) Carmina. *Lucejus Veronensis Bembo* nuncupat Criniti carmina, quae *Joannes Cotta* sibi miserat.
Donius (*Antonius-Franciscus*) *Libreria, P. I.* pag. 45.
——— *Marmi, P. II.* pag. 22. *P. III.* pag. 155.
Equicola (*Marius*) *Della natura d' amore*, lib. I. pag. 32.
Erasmus (*Desiderius*) Ciceronianus.
——— Adagia. pag. 241.
M. Fagiano. *Considerationi*. pag. 501.
Fellerus (*L. Joachinus*) Catalogus mss. bibliothecae Lipsiens. in dedicat. & pag. 22.
Folieta (*Ubertus*) De linguae latinae usu & praestantia. pag. 73.
Fornarius (*Simon*) *Spositione sopra l' Ariosto P. I.* pag. 774.
Fracastorius (*Hieronymus*) Siphilis, sive de morbo gallico ad *Petrum Bembum*.

Gad-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Gaddius (*Jacobus*) Allocutiones & elogia. pag. 70.
——— De Scriptoribus. Vol. I. pag. 85.
Garimbertus (*Hieronymus*) *Vite di Papi e Cardinali*. pag. 185. 186.
Gesnerus (*Conradus*) Bibliotheca universalis pag. 139. 152. 390. 407. 545.
Ghilinus (*Hieronymus*) *Teatro d'uomini letterati*, *Vol. I.* pag. 192.
Gravina (*Vincentius*) *Della ragion poetica*, pag. 116. 212.
Guazzus (*Marcus*) *Cronica*. pag. 427.
Gyraldus (*Joannes-Baptista*) *Orbecche tragedia* : in carminibus positis ad calcem ejus tragoediae.
Gyraldus (*Lilius-Gregorius*) Dialogus de poetis nostrorum temporum.
——— Carmina.
Hallervordius (*Joannes*) Bibliotheca curiosa. pag. 312.
Heinsius (*Daniel*) Confutatio fabulae Burdonum. pag. 360.
Imperialis (*Joannes*) Museum Historicum. pag. 19.
Jovius (*Paullus*) Elogia virorum doctorum.
Konigius (*Georgius-Matthias*) Bibliotheca vetus & nova. pag. 99.
Lampridius (*Benedictus*) carmina. pag. 52.
Landus (*Constantius*) In veterum numismatum Romanorum miscellanea explicationes pag. 48.
Liburnius (*Nicolaus*) *Le Selvette* pag. 11.
Lomeger (*Joannes*) De bibliothecis. pag. 197. 273.
Longolius (*Christophorus*) Epistolae : passim.
Luisinus (*Franciscus*) Commentarius in Poeticam Horatianam : Praefatio est ad *Petrum Bembum*.
Manutius (*Paulus*) Praefatio in Virgilium ad *Torquatum Bembum*, *Petri* filium.
——— Scholia in Epistolas ad Familiares M. T. C. pag. 113.
——— *Lettere volgari*. pag. 66.
Maresius (*Rolandus*) Epistolae philologicae, lib. I. pag. 130.
Marinus (*Joannes-Baptista*) *Galleria Parte. I.* pag. 215.
Mascardus (*Augustinus*) *Arte istorica*, *tratt. XI.*
Maurocenus (*Andreas*) Epistolae. pag. 219.
Maurolycus (*Franciscus*) Comosgraphia : in Epistola nuncupatoria.
Mazzonus (*Jacobus*) *Difesa di Dante*, *P. I.* pag. 28. 169. 171. 173.
Meelsuhrerus (*M. Rodolphus-Martinus*) Accessiones ad Theodori-Jansonii ab Almeloveen Bibliothecam promissam & latentem. pag. 119.
Menagius (*Aegidius*) *Antibaillet*, *P. I.* pag. 37. *P. II.* pag. 103. 106. 338. 358.
——— *Observations sur Malherbe*. pag. 279.
Meninnus (*Federicus*) *Ritratto del Sonetto*. pag. 124.
de la Monoye : Menagiana. Tom. III. pag. 269. 322.
Morhofius (*Daniel-Georgius*) Collegium epistolicum, pag. 13.
Muretus (*Marcus-Antonius*) Orationes, Vol. I. pag. 136. 144.
Muscettola (*Antonius*) *Gabinetto delle Muse*. pag. 105.
Mutius (*Joannes-Aurelius*) Elegia ad *Leonem* X. in Delitiis Poetarum Italorum, P. II. pag. 97.
Naudaeus (*Gabriel*) Bibliographia politica. pag. 88. 106.
——— Naudaeana. pag. 31.
Naugerius (*Andreas*) Carmina.
Nicodemus (*Leonardus*) *Addizioni copiose alla Biblioteca Napoletana del Toppi*, pag. 226.
Oldoinus (*Augustinus*) Atheneum Romanum. pag. 535.
Paruta (*Paullus*) *Historia Vinetiana*, *P. I. lib. II.* pag. 140.
de Peregrinis (*Bartholomaeus*) Vinea Bergomensis. pag. 14.
Pigna (*Joannes-Baptista*) Carmina, lib. IIII. pag. 101.
Pilonus (*Georgius*) *Istoria di Belluno*, *lib. V.* pag. 180.
Planetius (*Joannes*) Epistolae.
Politianus (*Angelus*) Epistolae, lib. XII. pag. 110.
la Popeleniere : *Histoire des Histoires*, *lib. VII.* pag. 406.
Possevinus (*Antonius*) Bibliotheca selecta : pluribus in locis.
——— Apparatus sacer, Tom. III. pag. 39.
Quensteda (*Joannes-Andreas*) Dialogus de patriis illustrium virorum. pag. 236.
Quirinus (*Angelus-Maria*) De Monastica Italiae Historia conscribenda dissertatio. pag. 16.
Raynaudus (*Odoricus*) Annales Ecclesiastici, Tom. XX. ad annum M.D. XIII. num. 100.
Riccius (*Bartholomaeus*) Epistolae : pluribus in locis.

Ric-

Ridolphus (*Lucas-Antonius*) *Aretefila*. pag. 49. 79.
Sabinus (*Georgius*) Ad *Petrum Bembum* metrica.
Sanderus (*Antonius*) Elogia Cardinalium.
Sansovinus (*Franciscus*) *Venetia*, p. 597. atque in aliis operibus.
Scaliger (*Josephus-Justus*) Scaligeriana. pag. 53. 407.
Scaliger (*Julius-Cesar*) Poetica. pag. 800.
——— Poemata.
Scardeonius (*Bernardinus*) De antiquitate Patavii. pag. 20. 396.
Speronius (*Speronus*) *Dialogi*. pag. 101. 430. 457. &c.
Spondanus (*Henricus*) Annales Ecclesiastici.
Strozzae (*Hercules* & *Titus-Vespasianus*) Carmina.
Superbus (*Augustinus*) *Trionfo d' Eroi illustri di Venezia*, *lib. I.* pag. 69. & *lib. III.* pag. 101. 114.
Tassus (*Bernardus*) *Lettere*, *Vol. I.* pag. 127. 128.
Tassonus (*Alexander*) *Considerationi sopra le Rime del Petrarca*. pag. 83. 129. &c.
Teissier (*Antonius*) *Eloges des hommes savans*. *Tom. I.* pag. 17.
Thevet. (*Andreas*) *Portraits & vies des hommes illustres*, *Tom. VII.* pag. 119.
Thuanus (*Jacobus-Augustus*) Historiae ad annum M. D. XXXXVII.
Tomasinus (*Jacobus-Philippus*) Inscriptiones urbis Patavinae. pag. 245.
——— Petrarcha redivivus. pag. 33. 38. 96. 104. 231. 241.
Tomitanus (*Bernardinus*) *Ragionamenti*. pag. 269.
Valerianus (*Pierius*) Castigationes in Virgilium.
——— Amores. pag. 5.
Ubertus (*Joannes-Baptista*) *Trionfo*. pag. 33.
Ughellius (*Ferdinandus*) Italia sacra, Tom. I. & IIII.
Vinta (*Franciscus*) Carmina, lib. I. pag. 22.
Vulpa (*Joannes-Antonius*) Elegia de *Bembo* : in Deliciis poetarum Italorum, P. II. pag. 1442.
Zanchius (*Basilius*) De origine Orobiorum libri III. ad *Petrum Bembum*.
——— De horto Sophiae ad *Petrum Bembum* libri. II.
Zenus (*Petrus-Angelus*) *Memoria degli Scrittori Veneti patritii*. pag. 19.

Innumeros alios omitto, eos praesertim, quos odium religionis dumtaxat, & obtrectandi alineae famae libido impulit ad ea de *Bembo* scriptitanda, a quibus ejusdem pietas morumque castitas abesset : satis istos refutarunt optimi viri & catholici : ex illo autem pessimorum hominum numero fuere *Scipio Gentilis*, *Thomas Lansius*, *Henricus Emstius*, aliique haud multi.



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)


e A CHI

A CHI LEGGE.

MOnsignor *Giovanni della Casa* ha scritto la vita del Cardinal *Pietro Bembo* con tanta eleganza e pulitezza di stile, il che è stato solito fare in tutte le cose sue, che in questa parte non lascia punto a desiderare a chi legge. Vero è, che nel racconto de' fatti esso è stato assai digiuno, ed asciutto, e qualche volta è inciampato in errore o di tempi, o di cose, siccome dalle *annotazioni*, che vi ho soggiunte, ciascuno può rimaner persuaso. Ma siccome con esse non ho potuto a tutto supplire, poichè quelle mi sarebbono per via di soverchio cresciute, e troppo spesso mi avrebbono portato a riferir cose, che nel testo del *Casa* non sono punto accennate: il che avrebbe cagionato anzi confusione, che piacere nell' animo de' leggitori; così ho pensato, che le persone curiose di sapere altre particolari, e importanti circostanze, spettanti alla vita del *Bembo*, avrebbono avuta soddisfazione di leggerle ordinatamente in quella, che n' è stata distesa da Monsignor *Lodovico Beccatelli*, Arcivescovo di Ragusi, uomo dottissimo, e grande amico e del *Bembo*, e del *Casa*: la qual vita insino ad hora è stata desiderata da tutti, ma non veduta che da pochi, per essere manoscritta, ed inedita. *Andrea Vittorelli* nelle giunte fatte alla grand' opera delle Vite de' Papi, e de' Cardinali, composta da *Alfonso Ciaconio*, dice, in parlando del Cardinal *Bembo*, di aver veduta la vita di lui scritta dall' Arcivescovo *Beccatelli* in un codice della libreria Vaticana, dove pure si ritrova un bel volume di lettere ecclesiastiche scritte da questo istesso Prelato. La copia però, sopra la qnale io ne fo parte al Publico, non è tratta dal codice Vaticano, ma, mediante il favore del Marchese *Gio. Giuseppe Orsi*, tanto benemerito di tutte le buone lettere, mi è riuscito di averla fedelmente trascritta dall' originale medesimo, che appresso il vivente prestantissimo Senator di Bologna, *Jacopo-Ottavio Beccatelli*, per molti titoli stimatissimo gentiluomo, in oggi ancora conservasi con altre eccellenti Opere di quel dotto Prelato della sua casa, tutte degnissime della pubblica luce, rammemorate dal P. *Peregrino-Antonio Orlandi*, Carmelitano, a c. 91. delle *Notizie degli Scrittori Bolognesi*, impresse in Bologna, per Costantino Pisarri, 1714. in 4. dove però non fa alcuna menzione della vita del *Bembo* scritta dal *Beccatelli*. Ma ben ne fece parole *Antonio Gigante*, da Fossombrone, poeta insigne latino, e Segretario dimestico per molti anni di esso Arcivescovo; di cui egli scrisse nella nostra lingua la vita assai fedelmente, e copiosamente, che pure inedita è appresso il Senator *Beccatelli* sopralodato.

La vita del *Bembo* scritta dal *Beccatelli* non è per verità così elegante e pulita, come quella scritta dal *Casa*: ma certamente è più diligente, e meglio ordinata dell' altra, come ognuno da per se potrà farne il riscontro. Ella contiene molti fatti particolari di questo grand' uomo, che vano sarebbe il cercare altrove, e la memoria de' quali sarebbe affatto perita, se egli non si fosse preso la cura di conservarli, avendogli raccolti ed appresi dalla lunga amicizia, e famigliare conversazione, che ebbe con esso, sì in Padova, sì in Roma, sì anche in Venezia, nella qual città, già morto il *Bembo*, succedette a Monsignor *della Casa* l' anno 1550. nella Nunziatura Pon-

Pontificia, sostenuta da lui con tale approvazione, e soddisfazione non meno del Papa, che del Senato Veneziano, che in capo a due anni essendo spirato il tempo della sua Legazione, la Repubblica, per mezzo del suo Ambasciadore, che teneva appresso il Pontefice, procurò, che egli per altri due anni confermato fosse in quel carico: alla quale instanza del Pontefice, sì per la stima, che faceva della Repubblica, sì per la buona opera, che in quel servigio prestavagli il *Beccatelli*, molto volentieri si condescese. Il *Beccatelli*, dopo haver anche sostenuti con egual merito altri importantissimi impieghi in Italia, e in Germania a favor della Chiesa, e dopo essere intervenuto anche al sacro Generale Concilio Tridentino, rinunziò per le sue gravi indispozioni, ed altri più motivi l'Arcivescovato di Ragusi, si ritirò nella Corte di Toscana, dove da quel Gran Duca gli fu conferita l'anno 1564. la nobil Propositura di Prato, giuspatronato di Casa Medici, e quivi finalmente carico d'anni, e più di meriti, rendette santamente l'anima a Dio li 17. ottobre dell' anno 1572. Delle molte cose che scrisse, altro non si trova alla stampa, che qualche suo componimento poetico, e la vita di *Francesco Petrarca*, pubblicata da Monsignor *Tommasini* nel *Petrarca Redivivo* a c. 215. la quale io giudico esser la più accurata di quante se ne vedono a stampa, avendola esso per la maggior parte ricavata dagli scritti di lui. Moltissimi autori di quel tempo parlano di esso con molta lode: ma questo non è luogo di ragionarne di vantaggio.



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)



VITA
DI
PIETRO BEMBO,
CARDINALE,
SCRITTA
DA LODOVICO BECCATELLI,
Arciveſcovo di Raguſi.

MEſſer Pietro Bembo, *la vita del quale per la eccellente ſua virtude io ſcrivo, nacque in Vinetia cittade illuſtre non ſolo in Europa, ma per tutto il mondo, della nobiliſſima famiglia* Bemba; *che tra le patritie di quella Republica è una delle più antiche; & ha havuto, come per l' biſtorie Vinitiane ſi vede, di grandi & ſingolari Senatori, che & per mare & per terra l' hanno non poco honorata; fra' quali non fu de gli ultimi il Colendiſſimo m.* Bernardo *Dottore, & Cavaliero, & di buon juditio per quei tempi nelle lettere humane & mol-*

molto riputato dagli huomini dotti, come tra gli altri moſtra Marſilio Ficino *nelle ſue epiſtole; gloriandoſi d' eſſer venuto al mondo in un medeſimo anno & giorno con m.* Bernardo; *del quale, & di madonna* Helena Marcella, *matrona per più conti di molto honor degna, nacque tra gli altri figliuoli m.* Pietro, *di cui ragioniamo del* M.CCCC.LXX. *a di* XX. (a) *di maggio, che fu da loro con gran diligenza allevato; & per quanto la ſua tenera età portava, ne i coſtumi & nelle lettere incaminato; in che preſto per la bontà dell' ingegno ſuo ſegno manifeſto diede di quello, a che riuſcire doveva. Avenne ch' eſſendo anchora fanciulletto, il padre fu dalla ſua patria mandato Ambaſciatore alla Republica di Firenze; nel qual' offitio dovendo ſecondo gli ordini di Vinetia ſtare due anni, volle per l' amor ch' al figliolino portava, condurlo ſeco, ſi per vederlo ogni di, come perch' in quella città, ch' è madre, & maeſtra di belliſſima lingua, laſciando la Vinetiana, quella apprendeſſe; quaſi indovino di quanto da poi ſucceſſe, cioè che n' haveſſe così gran dottore a venire. Era allora m.* Pietro *di età di anni circa* IX. *& preſto ſecondo l' aviſo del padre appreſe non ſolo le parole Fiorentine, & la pronuntia; ma voltò gli occhi ancora alle bellezze della lingua latina; la quale fino a quel tempo gia mill' anni paſſati ſepolta era giaciuta in tenebre; & mercè del Magnifico, & non mai a baſtanza lodato* Lorenzo de' Medici, *cominciava a riſorgere, & a farſi vagheggiare; & con quella inſieme la poeſia Toſcana andava ripigliando il perſo ſplendore dalli tempi di* Dante, *& del* Petrarca, *& del* Boccaccio *in poi; come vedere ſi può dalle compoſitioni di eſſo magnifico* Lorenzo *& del* Politiano, *& altri di quella Academia; la quale aperſe la via all' una & all' altra d' arrivare a quell' honorato grado, in che m.* Pietro Bembo *poſcia le collocò. Fece dunque parte della ſua fanciullezza in Fiorenza, & con tanto ſuo pro, com' è detto; & io l' ho ſentito ragionare alle volte di quei tempi, de' quali con grandiſſimo piacere ſi ricordava, lodando & la città, & il paeſe, & la converſatione de gli huomini, & delle contentezze che per quella età vi hebbe, fra le quali una ne rammemorava con gran dolcezza, la quale fu, che trovandoſe per*

(a) Nello ſteſſo tempo ſta ſegnata la naſcita del *Bembo* ne i libri pubblici dell' Avvogheria.

dipor-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

diporto col padre un giorno fuor della porta San Gallo a Monte Ughi in un palazzo sopra la strada, che va di Lombardia a Firenze, vide passar un bellissimo cavallino bianco, & ben guarnito, che da un palafreniero era condotto a mano; la vaghezza del qual cavallo così gli entrò nell' animo, che non poteva dimenticarlosi, anchora che cercasse di farlo; ma dicea fra se stesso; beato me s'havessi quel cavallino, io sarei felice, nè vorrei più altro al mondo; *& felice riputava & beato quello che ne fusse signore: & così tutto occupato in questo pensiero, & con esso tornato alla città col padre, fuor di tutta la sua spettatione arrivò un servitore del magnifico* Lorenzo *al Clarissimo Ambasciatore suo padre; il quale gli presentò il cavallino dicendoli, che da un Signore di Lombardia gli era stato donato, & ch' esso all' Ambasciatore lo mandava per il suo figliolino, parendogli cosa da lui: la qual novella a m.* Pietro *parve che venisse dal cielo, & sempre come di cosa tale ne serbò la memoria.*

Hora ritornato m. Bernardo *dalla sua ambasciaria alla patria, crescendo tutta via m.* Pietro *in persona, & in lettere, & tutto volto alli buoni autori della pura lingua latina, fu m.* Bernardo *dalla Republica mandato Ambasciatore a Papa* Innocentio *a Roma, & al figliolo, che già in età di* XVIII. *anni era, lasciò cura di sollicitar alcune sue bisogne in Vinetia, & tra l' altre una lite* (a) *c' havea con m.* Simon Goro, *alla quale attendendo m. Pietro, come s' usa, avanti li judici, avenne che provocato fuor di proposito da un nipote del suo adversario, ch' era altresì gentilhomo, & chiamato* Giusto Goro, *in Rialto restò ferito da una storta su la man destra tal che fu per perderne il deto chiamato indice, che di poi sempre hebbe impedito. Et è cosa maravigliosa, che, com' esso referiva, la mattina prima ch' uscisse di casa, Madonna* Helena *sua madre lo havea pregato, che guardasse di non andare a Rialto, & haver parole con* Giusto Goro, *perche la notte medesima s'era sognata, che colui con una storta lo feriva su la mano; dicendogli,* di gratia figliolo guardati, che non soglio sognare indarno: *& diceva m.* Pietro *a questo proposito, ch' altre cose come questa la madre havea predetto, cre-*

(a) Anche il Bembo racconta questo fatto avvenutogli, in una lettera a Giuliano de' Medici, posta nel vol. III. lib. II.

credo governata per la sua bontà da qualche Angelo benigno; sicome anche con la gratia di Dio havea generato un figliolo tanto eccellente. Dopo che, ritornato il padre a Vinetia, venne in gran desiderio a m. Pietro *d' apparare anchora la lingua greca; dalla quale sapeva la latina molte bellezze haver tratto. Et perch' allhora l' Italia non era com' hoggi ricca di maestri & libri, che la insegnassero, si risolse per ciò a voler andare a Messina in Sicilia; ove m.* Costantino Lascari, *persona di età, & di dottrina grave, di natione greco, & di nobili costumi, insegnava; di che 'l padre si contentò per la voglia c' haveva, che 'l figliolo mandasse li studij suoi innanzi, anchora che così lunge mal volentieri andar lo vedesse. Partitosi dunque da Vinetia di età d' anni* XXII. *con un altro gentilhomo suo compagno chiamato m.* Agnolo Gabrielli, *andò per la via di Napoli a Messina per mare; ove due anni & mezzo dimorò con quel buono e dotto maestro; col quale imparò così felicemente la lingua greca, che non solo l' intendeva, ma la scriveva anchora. Et in quel tempo compose un operetta latina dell'* Incendio dell' Etna, *che indrizzò a m.* Agnolo Gabrielli; *& fu così ardente nel studio delle lettere greche, che quasi vi perse il sonno, per quanto a lui medesimo ho sentito dire.*

Ritornò alla patria, & al padre, che molto lo desiderava, & con seco menò Cola Bruno, *fanciullo pur Messanese, che più di* XLV. *anni da poi lo servì, & riuscì di così belle lettere, & saldo juditio, com' altro ch' allhora vivesse, & io ho sentito dire a m.* Pietro *istesso, che la sferza delle sue compositioni era m.* Cola, *del quale che stima facesse se 'l legge un bel testimonio di m.* Pietro *medesimo nelle epistole al* Sadoleto; *ove fra l' altre cose dice, parergli di esser un Re, havendo m.* Cola *appresso. Tornato com' è detto alla patria per la rara & leggiadra maniera dello scriver suo così in Toscano, come in Latino, & versi & prosa, era in admiratione d' ognuno chi le sue compositioni vedeva, & non solo a Vinetia, ma in Italia, & fuori. Et veramente esso è stato il primo, & forse sino a qui solo in chi sia veduta questa gratia di componere felicemente così diversamente in diverse lingue; il che per lo adietro fu riputato impossibile, ma a lui per la*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

la felicità dell' ingegno suo, & per la gran diligenza del studio tornò facile. Il padre in tale riputatione vedendolo, lo cominciò a sollicitar c' hoggimai alla Republica si voltasse, come quello che dalla sua virtù sperava vedere & la patria, & la casa Bemba *piu illustre. il giovane ancor che malvolentieri lasciasse i dolci ricetti delle Muse per mettersi nel strepito delle piazze; pure per riverenza del padre, & l' amore della patria tenendo il corso de gli altri gentilhomini suoi eguali si pose ad attendere alle cose publiche, & fra l' altre avocava (a) alle volte, & con molta gratia, & lode. Hora avenne, come tra gli huomini accader suole, che esso con un altro gentilhomo giovane fu in competenza d' uno uffitio; nel quale il suo competitore, anchora che di virtù non gli fusse pari a gran pezza, fu proposto o per favor de' parenti, o che che se ne fusse la cagione; che spesse volte le acque del mare delle Republiche fanno di simili flussi; di che sdegnatosi m.* Pietro *voltò più l' animo al suo primo essercitio delli studj; massime che vedeva il suo padre havere altri figlioli; & la famiglia* Bemba *soggetti nobili, per li quali al desiderio loro si potria sodisfare. & stando in quella deliberatione ricorse, come fanno li veri Christiani, a pregar Dio che lo inspirasse; & andato per ciò alla chiesa, portò la sorte, che 'l Sacerdote, che celebrava per voto, o divotione di chi si fusse, disse straordinariamente la Messa di San Giovanni Evangelista, nell' Evangelio del quale si leggono quelle parole,* Petre sequere me; *le quali intese da m.* Pietro, *essendo nel pensier ch' era, l' interpretò per dette a lui; & cosi si risolse lasciar la Republica, & attendere alli studj, per voltarsi, quando a Dio piacesse, alla Corte; di che il padre si contentò, che malvolentieri impediva il figliuolo in desiderio cosi honesto. Occorse di poi che m.* Bernardo *suo padre dalla Republica fu mandato* Vicedomino *a Ferrara, che cosi in quel tempo s' usava di fare; col quale m.* Pietro *andò già di molta riputatione per le belle lettere sue. Fu da tutta quella Corte veduto volentieri, & massime dal Sig. Duca* Alfonso da Este, *& da Madama* Lucretia Borgia *sua moglie. Erano allhora in Ferrara molti letterati, & di gran nome, & fra gli altri m.* Hercole Strozzo, *m.* Antonio

(a) *Bemb. Hist. Venet. lib.* III. p. 79. di questa edizione.

nio Tebaldeo, *& m.* Jacomo Sadoleto; *co i quali m.* Pietro *fece stretta amicitia. Morì presto il* Strozzo. *ma il* Sadoleto *visse sempre collega a m.* Pietro, *& nei Studii, & nelle fatighe, & ne gli honori, & sopratutto nella benivolenza; & cosi m.* Antonio Tebaldeo, *fin che visse, gli portò gran riverenza & amore. Nella detta stanza di Ferrara m.* Pietro *fra le Corti & le feste, seppe anco trovare otio per li studj; & quivi d' anni* XXVIII. *compose i suoi* Asolani; *la qual' opra da tutta Italia con molto desiderio fu veduta & letta; & da quella cominciorono i svegliati ingegni a considerare, che cosa fusse regolatamente scrivere, & far rime veramente Toscane, che prima si facevano a caso; nè era per letterato & gentile stimato, chi detti libri letti non havesse.*

Dopo questa honorevole dimora a Ferrara ritornò m. Pietro *a Vinetia, & a Padoa nella villa sua paterna tutto infiammato nel desiderio di ben scrivere nelle predette lingue; & conoscendo anchora che per quei studj non era dalla patria sua per haver grandi honori, i quali più tosto all' attioni, ch' alle speculationi dar si sogliono; & vedendo le facoltà paterne non esser bastevoli a sostener lui & li fratelli honoratamente, si risolse di tentare la fortuna, & uscir di Venetia, & viver in qualche luoco, dove con honore potesse riportar commodo per se, & per altri; & parendogli ch' a Roma non avesse luoco et modo da intratenersi da gentilhomo par suo per allhora, elesse di transferirsi alla Corte d' Urbino, ove tutti li virtuosi erano accarezzati; ch' a quel tempo, & sempre vi sono com' a porto ricorsi, per bontade & valore di quell' Illustrissimo Sangue, che n' ha la Signoria per benefitio di quei popoli, & honore di tutta Italia; oltra che successore del Duca* Guidobaldo *esser doveva* Francesco Maria dalla Rovere, *nipote di* Julio Secondo, *fatto non molto avanti sommo Pontefice; per il che m.* Pietro, *che gran conoscenza in quella havea, massime che nelli tempi del Duca* Valentino *in Venetia s' havea conosciuti & corteggiati il Signor Duca* Guidobaldo *& la Signora* Helisabetta *Duchessa sua consorte, fu molto accarezzato da tutti, & la sua virtù lo mise in grandissima gratia del Duca, & della Duchessa, & tutta la Corte, nella quale fra gli altri*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

tri si trovava il magnifico Giuliano de' Medici, *fratello poi di Papa* Leone, *allhor fuorusciti di Firenze, & il Signor* Ottaviano Fregoso, *& Monsignor l'*Arcivescovo di Salerno *suo fratello, et altri Signori et gentilihuomini di valore, coi quali m.* Pietro *fece stretta amicitia; perche oltra le belle lettere, c' havea, era ancho gratioso, et avenente. Hebbe in quella dimora et carezze, et commodità di seguir li studj, de' quali ancho se ne vedono di belli frutti et nelle rime sue, et nell' opre latine; ne mancò la Signora Duchessa in Corte di Roma et col Papa, et con li nipoti fargli ogni favore, perche fusse, come meritava, riconosciuto, et esso piu d' una volta fu chiamato a Roma; ove finalmente nell' ultimo anno di* Julio *si ridusse in compagnia dell'* Arcivescovo di Salerno *; ch' a lui, et a m.* Jacomo Sadoleto, *et a m.* Camillo Paleotto, *et ad altri letterati da bene faceva grandissime carezze. Et Papa* Julio, *al quale di Dacia era stato mandato un libro scritto a note, ch' alcuno interpretare saputo non havea, lo fece dare al* Bembo *; della virtute del quale non poca stima faceva, in segno di che lo provide della commenda di Bologna. M.* Pietro *quel libro espose, et trovò la via d' intendere le note, che da gli antichi, et da* Cicerone *medesimo si dice che furono ritrovate per scrivere con poche righe assai. Et dopo questo in brieve tempo morì Papa* Julio, *et fu creato* Leone *; il quale per lo buon juditio, che delle lettere havea, per honorare il suo pontificato, volse tra l' altre belle provisioni havere dui segretarij delli più famosi d' Italia. onde prima che di conclave uscisse, elesse a quell' uffitio m.* Pietro Bembo, *et m.* Jacomo Sadoleto, *che tuttadue erano, com' è detto, in casa* Monsignor di Salerno, *et per la loro virtù ben conosciuti; nel qual' uffitio si portorono di maniera, che dettero singolare essempio alla Corte di Roma, qual fosse la vera et virtuosa amicitia, et senza emulatione in due cosi eccellenti colleghi, attendendo non meno a servire honoratamente il suo Signore, ch' a far cortesia a chi della loro opra bisogno avesse; et illustrorono quell' uffitio in guisa, che più non si potrà dire, che le bisogne delli Pontefici Romani Romanamente non si possano scrivere. Era m.* Pietro *d' anni* XXXXIII. *quando a quell' uffitio*

uffitio da Papa Leone *fu posto; et vi perseverò sino all' ultimo anno di quel pontificato, crescendo ogni giorno in maggior riputatione et della Corte, et del Papa; dal quale fu non solo in scrivere adoperato; ma ancho nelle consulte di grand' affare; et fra l' altre lo mandò a Vinetia a fermar la pace tra' Christiani, et rimovere quel Dominio dalla lega con Francia; che se ne vede anco una bella proposta in stampa fatta da m.* Pietro *alla Signoria.*

Riconobbe Papa Leone *li suoi meriti accrescendoli la entrata de' beni Ecclesiatici sino a tre millia fiorini d'oro. Continuò sempre m.* Pietro *quella servitù con grandissima fede & diligenza, se non quanto l' anno del* M.D.XVIIII. *per l' infermità & morte di m.* Bernardo *suo padre si transferì a Vinetia, & Padoa per alcuni mesi; & di poi tornato a Roma mentre che più all' honore & a' servitii del patrone, & de gli amici, ch' a se medesimo attendeva, spendendo la notte nello scrivere & studj, & il giorno in altri offitii, cadde in una gravissima infermità per fiacchezza di stomaco, & di tutta la persona; onde per consiglio de' medici, & essortatione del Papa, al quale la salute di lui era cara, si ridusse all' aria & bagni di Padoa per risanarsi se poteva; il che per la buona cura che gli pose, fatto li venne in capo di parecchi mesi; nel qual tempo, com' a Dio piacque, Papa* Leone *si morì, che fu il primo dicembre* M.D.XXI. *& parendo a m.* Pietro, *che Dio l' havesse di mare tratto, per ridurlo in porto, deliberò tornare alla sua vita prima, & da lui sempre desiderata, cioè alli studj, & alle muse, lasciando le grandezze & ambitioni delle corti ad altri più di quelle vaghi, ch' esso non era; & cosi già ac commodato honestamente di beni di fortuna, conforme alla nobiltà & grandezza dell' animo suo, in Padoa si provide d' una casa honorevole con un bellissimo giardino (a) & altre commodità & per se, & per gli amici, che da Vinetia, & di molte parti d' Italia lo visitavano spesse volte & rassettata* Villabozza *presso a Padoa, possessione antica di casa, ove gran parte delli suoi studj in gioventù havea fatto, in quella l' estate, & il verno dimorava a Padoa, nella*

(a) Fu studiosissimo delle cose della botanica, de' semplici, di che e del suo giardino, che aveva in Padova, parla il *Varchi* con molta lode nell' orazione funebre.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

qual città era certamente il principale ornamento del ſtudio, al quale molti Signori d' Italia & fuori andavano apoſta più per conoſcere m. Pietro, *che per altro; & eſſo corteſemente con belliſſimi modi gli intrateneva; perche non ſolo di lettere & in più maniere di quelle ſaviamente ragionava, ma d' altre coſe gentili ſapeva beniſſimo render conto, come di medaglie, & ſcolture, & pitture antiche & moderne; delle quali coſe havea un ſtudio coſi bene inſtrutto, ch' in Italia forſe pochi pari havea; fra l' altre teneva una tavola di rame aſſai ben grande, lavorata d' argento a figure Egittie, coſa maraviglioſa a vedere. Haveva di molti bei libri antichi, fra' quali io ho veduto un* Terentio, *che diceva eſſo credere certo, eſſer ſcritto ſino alli tempi di* Cicerone; *tanta majeſtà di lettere et d' antichità moſtrava. Et alcuni libri di* Virgilio *miniati in varii luoghi con figure che moſtravano coſe fatte dagli antichi in altra maniera dalle noſtre. Oltra queſti havea parecchi fogli di mano iſteſſa del* Petrarca *delle ſue rime con diverſi concieri pur di mano dell' autore. Laſcio li libri* Provenzali (a) *da m.* Pietro *cercati, & ſtudiati con diligenza, & molti altri libri & ſcritture, perche qui non intendo riportar l' indice delle ſue belle coſe, che troppo lunga ſarebbe la materia: ma ho ricordate queſte, perche s'intenda parte de gli ornamenti del ſuo ſtudio, & de gli intratenimenti delli belli ingegni, che lo cortiggiavano, che com' ho detto erano molti, & a tutti faceva carezze. Queſto tenore di vita tenne m.* Pietro *molti anni ſcrivendo hora Latino, hora Toſcano, ſecondo che meglio li tornava; nè più ſi curò tornare alla corte di Roma, anchora che di poi fuſſe aſſunto al Ponteficato il Cardinale de' Medici detto* Clemente ſettimo, *ſuo domeſtico ſignore, & dal quale poteva ſperar molto; andò ſolamente l' anno del* XXV. *a baſciarli il piede a Roma, & a prendere il ſantiſſimo Jubileo; & poi ritornò all' otio ſolito ſuo; nel quale diede compimento alle* Proſe della lingua Toſcana, *già molti anni prima da lui incominciate, & poi interrotte per la dimora, che fece in Roma con Papa* Leone, *& fattole ſtampare, le mandò a Papa* Clemente. *Occorſe in queſto tempo ch' in Francia morì il Clariſſimo m.* Andrea Navagero *Oratore dell' Illuſtriſſima Signoria quella a Corona; che fu del* M.D.XXIX. *di maggio; al quale per la ſua eccellenza il Dominio ha-*

(a) Il Doni ne' *Marmi* part. III. pag. 155. dice, che 'l codice delle *Vite* e *Rime* de' *Poeti Provenzali*, il quale era del Cardinal *Bembo*, fu poi donato a Mõſignor *Lodovico Beccatello*, autore della preſente vita.

havea molti anni avanti dato il carico di ſcrivere l' hiſtorie Vinitiane. Donde li Signori conſiderando chi poteſſe a queſto lor pio deſiderio ſodisfare, tutti voltorno l'occhio a m. Pietro Bembo; *& coſi ſi riſolſero pregarlo, che voleſſe alla patria ſoccorrere con la ſua virtù, & pigliare il carico dell' hiſtoria, offerendogli di ben riconoſcerlo; alla quale dimanda m.* Pietro *come quello ch' era vero gentilhuomo, & buon figliolo della Republica, non guardando nè all' età già molto innanzi, nè ad altri ſuoi ſtudj, o commodi, riſpoſe corteſemente d' obedirli volentieri, nè da loro volere altro premio, che 'l ſuo buono amore, che come ſuo buon figliuolo, & ſervitore era debitore ſervirli in quello che valeva. Et coſi del* M.D.XXX. *di età già di* LX. *anni preſe il carico di ſcrivere latinamente la detta hiſtoria. Coſa mirabile era fra l' altre in m.* Pietro *la virtù della immitatione, nella quale fu feliciſſimo ſempre, & in proſa, & in verſo, & in quella età lo dimoſtrò ben chiaro. Imperoche non havendo mai eſſo atteſo a ſcrivere hiſtorie, & parendogli che fra gli ſcrittori latini, Ceſare foſſe il più candido, & il meglio ordinato, eleſſe d' immitar lui; & recatoſi innanzi col ſuo divino giudicio, coſi bene l' eſpreſſe, come hoggidi ſi vede nelli* XII. *libri d' hiſtoria, che ha laſciati ſcritti. Applicatoſi dunque a queſta ſcrittura, poco ad altro attendea, & coſi continoando avenne che Papa* Clemente *del* M.D.XXXIIII. *di Settembre ſi morì, & fu creato in ſuo luogo il Cardinal* Farneſe *detto* Paolo III. *Pontefice di molta eſperienza, & gran giudicio, il quale per riſtorar la Chieſa che in rovina vedea, ſi riſolſe a fortificarla col ſoſtegno di Cardinali eccellenti; di che ne creò molti ne' primi anni del ſuo pontificato; & havendo queſta mira, fu come avisato ricerco dalla Signoria di Venetia a farne anche uno a requiſitione loro; di che il Papa, che era benigno, fu contento. Ma perche poi per la ambitioni di molti la elettione alli Signori era difficile, la rimiſero liberamente nel giudicio del Papa, il quale anchorache foſſe ricerco, & combattuto da diverſi in diverſi modi, volle, tenendo il ſuo vecchio ſtile, guardar più all' utile della Chieſa, & ben publico, che alla paſſion de' privati, conſigliatoſi col Reverendiſſimo* Contarino *ſopra queſta materia, ſi riſolſe crear* Car-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Cardinale M. Pietro Bembo, che niente a questo pensava: la qual cosa presentita, come aviene, per la corte eccitò alcuni per distornare il pensiero del Papa, affine che in altri cadesse; & sotto pretesto di zelo dell' honor della Chiesa dissero tutti i mali che seppero di m. Pietro, opponendogli che le sue lettere erano più da gentile, & la vita anchora, che da Christiano, & che haveva figlioli, oltra che era così superbo, che non solo non si degnava procurar gli honori della Chiesa, ma gli sprezzava anchora. Queste cose, & simili dette a Papa Paolo ritardarono il suo proposito nella promotione che fece de' Cardinali al natale del M.D.XXXVIII. talche soprastette di dechiarare alcun Vinitiano per allhora. Pervenuta la novella agli orecchi di M. Pietro, che si stava al suo riposo ne' studj, tutto si commosse, come quello, che dell' honore più che d' altra cosa era zeloso; & anchorache vero fosse, che d' esser Cardinale non si curava; il che a me prima haveva ancho detto; pure vedendosi in cotal guisa urtare, & essere come indegno, & superbo calumniato; se ben sapeva ciò esser falso, & conosciuto dal mondo, et che la buona vita sua per se stessa facesse restare gli accusatori bugiardi; dubitando che'l tacere non accrescesse il credito a' maligni, che lo calumniavano, si risolse, così ancho persuaso, et pregato da molti amorevoli suoi, scrivere la epistola latina, che hoggi si vede a Papa Paolo, et similmente un' altra lettera al Cardinal Farnese, nelle quali si conosce quanto candore, et prudentia accompagnasse la sua bontade: le quali lettere vedute dal Papa, e conosciuta la verità chiaramente, si risolse non ascoltar più chi l' oppugnasse, ma honorare il sacrosanto Collegio di così ricca gemma, et con universale satisfattione, et letitia di tutta la corte et di tutti li buoni lo publicò Cardinale a' XXIIII. del mese di marzo, M.D.XXXVIIII. la qual nuova rallegrò principalmente Venetia, per rispetto della quale s' era mosso il Papa a far tale elettione; et così con sua Signoria Reverendissima, che si trovava a quel tempo in Venetia, ne fecero, et in publico, et in privato grandi dimostrationi: di che ogn' uno più che sua Signoria Reverendissima se ne rallegrò: la qual conoscea benissimo, che

che di una vita riposata passava in una molto diversa, et negociosa: solo piacere gli la faceva l' obedire alla vocatione in che Dio lo chiamava, e dimostrare a chi calumniato l' havea, che nè per superbia, nè per altro era indegno di quello honore, & con tutto l' animo si volse a ringratiar Dio, proponendosi di dare interamente à lui solo il rimanente della vita che gli restava. Il che fece, & altro più non lesse, che scritture sante; & fattosi consecrare a messa, si diede a celebrare frequentemente, & con tanto spirito, che era un stupore. Ho inteso da persone degne di fede, che si trovarono alla sua prima messa, che privatamente celebrò, che a gran pena quando fu nelle secrete dopò la consecratione, potè finirla per le spesse lagrime che da gli occhi gli cadevano; così volle a quell' anima il Signor Dio, alla quale tante gratie fatte havea, donargli al fine la maggior di tutte col farlo suo veramente sacerdote. Transferitosi dopo alcuni mesi M. Pietro Cardinale a Roma, fu dal Papa, & dal Collegio & da tutta la corte ricevuto con lietissima fronte, & spesso il Papa lo riteneva seco, & consigliavasi seco, & per la prudentia, & fede, che in sua Signoria conoscea, molto li credeva. Tutti li Cardinali & giovani, & vecchi li faceano carezze per la dolcezza della sua natura; & se tra loro era stato alcuno, che alla promotione non fosse stato favorevole, che non fu però se non uno, quello si chiamava in colpa dell' errore, & gli ne domandava publicamente perdono; & io l' ho inteso da chi presente vi si trovò. Erano però tra' Cardinali alcuni, coi quali più domesticamente vivea, & essi grandemente amavano lui, che furono li Reverendissimi Contarino, Sadoleto, Cortese, Polo, Fregoso, Santa Croce, Badia, Morone, tutti grandi, dotti, & costumati Signori; & io ho udito dire a Julio Papa III. che a quel tempo Cardinale era, che non conobbe mai la più pura, & schietta mente, & desiderosa del bene universale, di quella del Cardinal Bembo. Non vacò molto tempo, che ad Ogobbio alla sua chiesa morì il Cardinal Fregoso che fu del M.D.XXXXI. la morte del quale gran dolore apportò a Monsignor Bembo per la stretta, & vecchia amicitia tra loro, oltra il danno publico. Et Papa Paolo che ciò conobbe, per

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

per consolare il Bembo, *& la Chiesa ancho rimasa senza Pastore, diede quel Vescovato a sua Signoria Reverendissima; & tre anni dapoi essendo vacata la Chiesa di Bergamo nel dominio Vinitiano, che di piu rendita è, che quella d' Ogobbio, fu da sua Santità senza richiesta alcuna transferito da Ogobbio a Bergamo, & Ogobbio fu dato al Cardinale* Santa Croce. *Hora, prima che più avanti passi, parmi star bene che del modo del vivere, & studj, & maniere di Monsignor* Bembo *io dia alcuna contezza.*

Fu m. Pietro *per l' ordinario di poco cibo, & nelli studj molto diligente, talche quando alcuna cosa scrivea, perdeva il sonno. Era di difficil contentatura nelli suoi scritti, & spesso li mutava transformandoli in meglio, come si legge, che* Virgilio *faceva, & ho ancho visto il simile nelle rime del* Petrarca *scritte di sua mano: talche in m.* Pietro *apparve piu arte, che natura, anchora che grandissimi lumi portasse da quella.*

Fu felicissimo nella immitatione, & nella sua gioventù a Ferrara fece alcuni versi latini, che furono reputati antichi da huomini dotti, non sapendosi il nome dell' autore.

Nel giudicar le cose d' altri era modesto, & poco biasimava, o per non offendere tanti, come saria stato bisogno, o pure per non li sbigottire, & ritardare dal ben fare. Se havesse veduto alcuno, che poco accurato fosse nella lingua, gli ricordava che leggesse li buoni autori, che cosi farebbe scrittura migliore; & se lo vedea ben parlare, ma non figurato, o non vago, qualche ricordo modestamente gli dava in questo: alcune volte sarebbe stata compositione di persona dotta, & bene intendente, & all' hora più profondamente penetrava le bellezze del poema, o di che si fosse, come di tutti questi modi da me detti si vedono hoggi essempi nelle sue lettere volgari, & latine, & dell' ultimo nel III. *volume delle sue lettere vulgari nella prima del* V. *libro a m.* Hieronimo Fragastoro *& nel* VI. *libro delle epistole latine in una scritta al* Maurolyco *Messanese del* M.D.XXXX. *si che m.* Pietro *nel giudicar le cose d' altri dava, senza molestia, a ciascuno il peso che portare poteva. Vero è che intesi da persona degna di fede in Bologna, che havendoli uno di quei poeti assai inetto portato a mostrare, mentre che di la passava, un suo librac-*

braccio di molti versi in rima, scritto però di buona mano, & pregatolo che per quel giorno, o due, che sopraštava del viaggio, lo vedesse, & che trovando cosa alcuna, che non li sodisfacesse, la notasse con un poco di cera in margine, perche poi si potesse levar senza offesa: tornato il valente huomo per il libro, la vista del quale in pochi versi haveva stracco m. Pietro, *& guardando, nè trovandoli note alcune di cera, tutto allegro disse:* Dunque V. S. l'approva senza eccettione, poiche vedo, che in niuna parte l'hà tocco. *A che m.* Pietro *rispose:* Io l'ho fatto per manco briga, persuadendomi che sia meglio il dirvi, che lo portiate ad un spetiale quando fa candele, & tutto lo attuffiate in un tratto nella caldaja della cera, della quale ne pigliaria a bastanza per sodisfare al desiderio vostro, & al giudicio mio: *& cosi lasciò per quella volta quel buon huomo confuso con la sua goffa poesia. Ma per l' ordinario, come ho detto, era benigno a chi le sue cose dimostrava che erano molti; perche quasi da tutta Italia gli erano portati, o mandati componimenti di varie sorti. Et vedesi chiaramente quanto fosse stimato da tutti, che al suo tempo vissero in Europa, per le epistole loro in stampa, & le risposte di m.* Pietro, *cosi di Germania, come di Francia, Polonia, & altri luoghi. & in Italia li duo primi poeti, che siano stati da* Virgilio *in quà, cioè il* Sanazzaro, *& il* Fragastoro, *mostrarono che conto di lui facessero, quando il* Sanazzaro *sin da Napoli gli mandò a Vinegia i suoi libri* de partu Virginis *prima che alla stampa si dessero, per haverne il suo giudicio; & il* Fragastoro *gli intitolò la sua divina opera* de morbo Gallico, *come ancho si vede. Taccio infiniti altri poeti grandi, che del* Bembo *hanno honoratamente scritto, come* Navajero, Castiglione, *ec. che di ciò i loro versi ne leggono. In somma huomo grande alcuno non è stato, che a honorarlo non s' habbia a gloria preso. E ben vero, che per essere il mondo di imperfettione ripieno, si trovarono ancho di quelli, che lo biasimarono, come già fece* Zoilo, Homero; *ma furono ripresi, o ignoranti, o maligni, cosi poca riputatione ne trassero. Et mi ricordo che essendo in studio a Padova del* XXIII. *fu un Vinitiano nello d' oscuro luogo venuto a luce, & non senza qualche ingegno, se al bene l' havesse rivolto, il quale per fama credito fra*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

alcuni gioveni, che di belle lettere si dilettavano, cominciò a parlare altamente di se, & mal d' altri che nome havesse, & fra gli altri, per farsi piu innanzi, s' anteponeva al Bembo, dicendo che molti errori de' suoi potea mostrare; la qual voce fu tanto odiosa a chi l' intese, che subito tutto il studio se gli rivolse adosso co' versi d' ogni sorte; & non solo di Padoa, ma di Vinegia, & altri luoghi vicini era saettato con sonetti a gran furia; talche l'infelice che'l primo huomo del mondo in quell' arte si teneva, perse la scherma, & confuso s' infermò, & di dolore morì. Tale fine hebbe la malignitade, che a gran torto tentò offendere la innocentia, & singolar' virtù di m. Pietro. Di facultati fu bene accommodato per cortesia di Papa Leone, come di sopra è detto; & perche molto era alla magnificentia volto, le spendeva liberalmente, & teneva una casa honorevole con una famiglia eletta, & di riputatione; oltra li forastieri, a che dava ricapito, & alla sua tavola, si trovavano spesso Signori, & persone degne. Fu pronto ad ajutar bisognosi, & fra gli altri le donne del sangue suo, perche si maritassero, come fecero, honoratamente. Le sue entrate erano per il più de' beni ecclesiastici, ne' quali hebbe questa avertenza, che havere non volle innanzi al Cardinalato beneficii curati; ma commende (a) di S. Giovanni, abbatie, canonicati, & simili, rimordendogli l'animo di havere a render conto a Dio per altri; & anchora che fosse invitato a permutarne alcuno, & con vantaggio nel Vescovato di Trivigi tanto commodo a Vinegia, fare nel volle: simile in questo come ancho nella virtù del dettar rime a m. Francesco Petrarca, col quale, come sono le cose del mondo inferme, si conformò anchora in un difetto, che fu l' haver figliuoli. Imperoche m. Pietro di sana habitudine, & di gratiose maniere fu molto nella sua gioventù caro alle donne, & esse a lui, le quali tanto più amava, quanto più gentili le vedeva, donde molte belle compositioni ne nacquero: perche ad un tempo medesimo & delle donne, & delle Muse era vago, dalle quali le donne nol divisero mai; anzi molte volte nel mezzo delle corti, & delle feste si ridusse i sei mesi intieri in alcuni luoghi solitarii per meglio studiare, come a Ferrara alle ville di m. Hercole Strozzo, in Urbino alla badia della Vellana, & a Ca-

(a) Ebbe da *Giulio* II. il *Bembo* la commenda de' Cavalieri Gerosolimitani di Pola, l'anno M.D.XIII. e però allora e' vestì l'abito di quella Religione. *Leon* X. gli conferì primamente la commenda di Benevento; e dipoi lo fece Gran Priore d' Ungheria. *Bosio Istor. di Malta Tom. II. pag.* 504.

Castel Durante, & altrove: Hora di tale inclinatione, & quasi habito preso per meno offendere gli studj, & altri, si contentò havere pratica con una sola giovane molto gentile, & costumata, che in Roma veduta gli venne, la quale amò caramente, & molte rime ne fece. Di costei hebbe tre figliuoli, duo maschi, & una femina; delli maschi morì il primo, l'altro chiamato Torquato sopravisse, & fecelo allevare con grandissima diligentia nelle virtù, per le quali hebbe i migliori precettori d' Italia; la femina nominata Helena fu similmente ben nutrita, e riuscì & di lettere, & di bei costumi, & d' altre virtù ornatissima, la quale m. Pietro maritò in un gratioso gentilhuomo della sua patria detto m. Pietro Gradenigo: la madre di questi figlioli, non havendosi voluta maritare per l'amore che alli figlioli, & alla grandezza di m. Pietro portava, fece nutrire con essi, fin che visse: la quale cosa procedente da amorevolezza, & bontà naturale, & non da appetito sfrenato alcuno, merita qualche perdono appresso a chi le cose humane con benigno giudicio riguarda; & cosi ancho fu interpretata da Papa Paolo medesimo, quando co la detta occasione tentarono alcuni, anchora che la donna già fosse morta, levargli l'honore del Cardinalato; & certo esso di ciò non si scusava, anzi se ne incolpava grandemente, confessando la sua fragilità, & per questo non diceva male di chi lo riprendeva, ma domandava perdono a Dio, e dicea col mondo, Beatus ille qui minimis urgetur. Fu questo nevo, per dir cosi, nel suo bel corpo; ma per ciò già non l'abbandonò il Signor Dio, che, come ho di sopra detto, lo chiamò, & esso lo intese, & obedì prontamente. Fu sempre dalli dotti, & buoni amato, & reverito, & li Fiorentini medesimi, massime li nobili, come furono più letterati, di m. Pietro più conto fecero, ne si sdegnarono, che uno straniere la sua bella lingua honorasse, & insegnasse, anzi gli ne resero gratie, & lodi. Ben è vero, che alcuni del popolo intesero mal volentieri che un Vinitiano il parlare gli regolasse, & de' poeti Fiorentini giudicio facesse, di che molto si dolsero in scritture: cosa certamente indegna: ma questo è vecchio costume de' plebei, che discordano volentieri dal giudicio de' nobili & de' migliori. Non è già per questo restato, che i pellegrini ingegni e di Fioren-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

renza, e di tutta Thoſcana non habbiano ſtimata ſua Signoria grandemente & honorata: di che anche oggidì fede i lor ſcrittori ne fanno.

Era m. Pietro *di natura amorevole, & ſenza fele; vero è, che alle volte ſi riſentiva, quando a torto gli pareva patir' ingiuria, & per queſto laſciò l'amicitia d' alcuni grandi Signori in corte di Roma al tempo di Papa* Clemente, *da i quali ſi tenne offeſo; non per queſto che di loro male parlaſſe, ma con lettere, & officii più non gl' intratteneva: il che però non durò lungo tempo; perche ad una ſola richieſta di quei Signori lo ſdegno di m.* Pietro *ſi dileguò, & la amorevolezza, & candor ſuo più che mai bello, & puro verſo quelli riſorſe. In ogni età hebbe ſempre amici fedeliſſimi, & frà gli altri nella vecchiezza a Vinegia duo gentilhuomini ſingolarmente, che furono Monſignor* Gabrielle Boldù, *& il Magnifico m.* Hieronimo d'Iſmerio Quirino, *che le coſe ſue con quella cura, & maggiore procuravano, come ſe proprie ſtate li foſſero; & a Roma m.* Carlo Gualteruzzi *il medeſimo fece con tutta la ſatisfattione di m.* Pietro, *il quale per ſegno di gratitudine diede ad uno de' figlioli di quello la commenda di Benevento. Ma in queſta parte non occorre dir molto, che le lettere iſteſſe ſtampate largo teſtimonio ne fanno. Di ſtatura fu più che mezzana; ma non in guiſa che troppo grande pareſſe; aſciutto, & di aſpetto gratioſo, con gli occhi vivi, & il naſo lunghetto, che all' aquilino tirava, della perſona ajutante, della quale nella ſua gioventù fù molto deſtro. Era nel veſtire, & in tutti li portamenti ſuoi polito, nè giamai per vecchio che foſſe, laſciò quella uſanza. Feceſi rader la barba fino all' età preſſo a* LXX. *anni: da poi per conformarſi con li più, fatto Cardinale laſciolla creſcere, la quale canuta & lunga ſino al petto li aggiunſe. Fu ſano per l'ordinario; nè hebbe ſe non tardi un poco di gotta, che quando li veniva, più toſto lo impediva, che lo addoloraſſe: nella viſta anchora patì con la vecchiezza, difetto, ma non già però, che con gli occhiali ſempre non leggeſſe, o ſcriveſſe ſecondo il biſogno. In tali ſtudj, & coſtumi, & amici invecchiato m.* Pietro Bembo, *& fatto Cardinale da Papa* Paolo III. *in Roma vivea con ogni cura di giovare alla Chieſa, & all' anima ſua, penſando più alla futu-*

ra,

ra, che alla vita preſente, dalla quale già molti degli amici ſuoi erano partiti, & con molta dolcezza ſpeſſo ne ragionava. Et come a Dio piacque già fatto molto vecchio, & havendo alcun tempo prima cominciato a ſentire una enfiagione di gambe, & la perſona più debole, che non ſoleva, fu per una poca percoſſa che dette del capo in una porta, da una febricella aſſalito, che lentamente l' andò conſumando, ma non già che non s' avedeſſe del camino che la ſua vita pigliava. Onde il più ragionava de' benificii del Signor noſtro Jeſu Chriſto, & della gloria che per quello apparecchiata ci era, & allegravaſi moſtrando gran confidentia di haverla a godere per la miſericordia ſua. Et la notte medeſima che paſsò a quella, fu viſitato, per la charità, & reverentia che li portava, dal Cardinal Polo, *il quale da vero amico, & chriſtiano gli ricordò alcune coſe pie a propoſito di quel gran paſſo, in che ſi trovava, & fra l'altre gli diſſe:* Monſignor mio Reverendiſſimo, hora è il tempo, che V.S. ſi ricordi del ſogno di Monſignor *Coſimo* noſtro di Fano: *& queſto era, come col* Bembo, & Polo *io havea ragionato, che'l prefato Monſignor* Coſimo *gli era poco avanti che moriſſe dormendo paruto vedere di trovarſi in paradiſo con li Reverendiſſimi* Contarino, Bembo, & Polo, *la qual coſa allhora il Reverendiſſimo* Polo *ritornò a memoria al Cardinal* Bembo; *il quale a queſta voce fattoſi più vigilante diſſe:* Non fu ſogno quello, ma viſione, Monſignor mio: io me ne ricordo benissimo, & ſpero in Chriſto glorioſo di haverlo a verificare hoggi, & riveder quel ſanto figliolo col mio honoratiſſimo fratello il Cardinale *Contarino*; & ſtaremo aſpettando allegramente V.S. Reverendiſſima, quando a Dio piacerà di unirci; & *con queſto, & ſimili ragionamenti, preſo prima divotamente tutti li ſanti, & debiti ſacramenti della Chieſa, rese l' anima al Redentor ſuo a'* XX. *di gennaro.* M.D.XXXXVII. *l' anno di ſua età* LXXVI., *& meſe* VIII. *appunto, laſciando di ſe univerſale deſiderio, & dolore a chi conoſciuto l' haveva. Furongli fatte honorevoli eſſequie, & fu ſepolto nella Minerva, ſopra la ſepoltura del quale il Cardinal* Sadoleto, *ſuo vecchio collega, & amico, gli fece l' epitaphio infraſcritto:*

DEO

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

DEO IMM. S.


Et virtuti, ac memoriae Petri Bembi Patritii Veneti, S.R.E. Cardinalis, cujus ingenii, literarum, eloquentiae, gloria in suo saeculo princeps, & antiquorum laudibus par; gratia autem in amplissimo ordine, in moribus probitas, humanitas, liberalitas, supra communem modum semper existimata sunt; Quod de ejus vita hominum judicium, beata mors sanctissime ab eo, & pacatissime obita, divino quoque confirmavit testimonio.

Et non molto tempo da poi gli fece anchora compagnia in paradiso, come creder si de': imperoche l' ottobre appresso se ne morì. Et parve appunto che quello anno si sforzasse estinguere gli chiari ingegni di Roma: perche dopo la morte del Reverendissimo Bembo *fra termine di un mese ne privò della Signora* Vittoria Colonna, *Marchesa di Pescara, che a' giorni nostri in versi è stata un' altra* Sapho, *& in opere sante, & di charità una Santa* Elisabetta. *La morte del Cardinale non fu di minor dispiacere a Venetia, che a Roma; anzi più, in quanto col sangue era congionto a molti della nobiltà, & li studiosi, che in quella Republica sono non pochi, ne fecero grandissimo cordoglio con tutta Italia, che si vedeva cosi gran lume estinto. Il Magnifico m.* Hieronimo Quirino, *ricordato di sopra, seguendo il corso della sua natural virtù d' amare veramente gli amici suoi cosi morti come vivi, con non poca sua spesa fece fare una bella statua di marmo, & collocarla nel Santo a Padova,*

dova, nella qual città Monsig. Bembo *lungamente era stato con grande sua consolatione, & honore di quello honorato studio, & per memoria di quel Signore gli fece sotto intagliare l' epitaphio infrascritto:*

PETRI. BEMBI. CARD. IMAGINEM
HIERONYMVS. QVIRINVS. ISMERII. F
IN. PVBLICO. PONENDAM. CVRAVIT
VT. CVIVS. INGENII
MONVMENTA. AETERNA. SINT
EIVS. CORPORIS. QVOQVE. MEMORIA
NE. A. POSTERITATE. DESIDERETVR
VIX. ANN. LXXVI. M. VII. D. XXIX
OBIIT. XV. CAL. FEBR. M.D.XLVII

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)



PETRI CARDINALIS BEMBI,

PATRICII VENETI,

HISTORIÆ VENETÆ

LIBRI XII.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

JOANNIS CASAE

Ad Illustrissimum ac Sapientissimum
Venetiarum Principem

FRANCISCUM DONATUM

IN HISTORIAS

PETRI BEMBI

PRAEFATIO.

Multæ sunt artes, Illustrissime Princeps, quod tu minime ignoras, cum ad vitam sustentandam inventæ, tum ad cultum, aut etiam ad jucunditatem voluptatemque ab hominibus excogitatæ: quarum in singulis qui excellenti quadam scientia aliquando præter ceteros præstiterunt, magno apud omnes gentes in honore habiti sunt. Non vero injuria id quidem: nihil est enim præstantius, nihil omnino homini laudabilius, quam de hominum genere bene, quoquo modo possis, mereri: eamque cognationem, quam a natura habeamus, nostra quoque opera, hoc est, laudatis beneficiis,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODËR (2018)

arctius etiam astringere. Quod si harum commoditatum utilitatumque effectoribus tantus honos habendus est singulis, quibusnam tandem aut literarum, aut operum monumentis ejus gloriam digne illustrabimus, si cujus ars ac disciplina tanta sit, ut universa illa contineat ac complectatur? aut si quis harum omnium artium moderator, & tanquam architectus, quatenus quanque, quoque modo progredi deceat, indicet, atque præscribat? Est enim difficilis illa quidem & ardua in præclaris nonnullorum hominum ingeniis, cæterarum omnium princeps ac magistra, minime tibi quidem incognita, facultas quædam. quæ civitatum procurationem sibi vindicet, & Reipublicæ regendæ muneri præposita sit, atque eam artem, civilem rationem, eandemque prudentiam licet appellare: cujus quidem disciplinæ qui compotes sunt, non una modo aut altera re separatim hominibus commodare ac prodesse, sed universam eorum gubernationem suscipere volunt: nec illud efficere solum conantur, illi privatim ut libere, ut tuto, ut jucunde, sed ut bene etiam beateque publice vivant. Quamobrem tanti ac tam præclari operis artifices, non ut reliquarum artium magistri laudibus solum extollendi sunt, sed etiam (si modo dictu fas est) in deorum immortalium numero, quibuscum humanarum rerum procurationem propemodum communem habeant, venerandi atque colendi. Atque horum artificum vestro in senatu maxima omnino facultas est, semperque fuit, id quod res ipsa declarat: nec enim tanta, tamque opulenta ac beata civitas vel constitui initio potuit, vel deinceps tantopere augeri & crescere; nec vero uno eodemque statu, & tanquam habitu, tot secula, id quod nullis gentibus, ut totius vetustatis memoriam quam longissime repetamus, usu evenit, manere, sine eximia quadam prudentia, sineque admirabili ac divino cum patrum vestrorum, tum vestro, qui nunc eam talem tantamque tuemini ac regitis, consilio. Ac video equidem pluribus, quam vos, gentibus aliquot annos dominatam olim esse civitatem unam aut alteram: verumtamen (libere enim dicam quod sentio) imperium bello partum sæpe feritatem, sæpe violentiam atque injustitiam, fortunæ

tunæ quidem certe temeritatem semper habet. at bene domi constituta res, sineque ullo civitatis motu tot seculorum diuturnitate firmata, una eademque Reipublicæ ratio moderata & concors, ea vero tota virtutis est, ac prudentiæ. Itaque in bello illæ atque inter arma cum stetissent, in pace atque in otio conciderunt, quippe quæ non ratione, sed viribus nixæ erant: nec enim quietis, hoc est, parendi vicissim atque imperandi, artes didicerant. vos pacis, id est, juris atque æquitatis studia, quæ vincula sunt civitatis, cum domi coleretis, nihilominus foris belli gloria floruistis. Etenim cum civilis illa, quæ modo a me appellata ratio est, duabus contineatur partibus, bellicarum atque urbanarum rerum scientia & tractatione: illi, cum bellicam laudem nimio adamassent opere, alteram reipublicæ partem incultam propemodum reliquerunt: vos utranque quidem, sed præcipuam, ut par fuit, maxime adepti complexique estis. Ergo ex omni Italia, tanquam e turbulento ac formidoloso mari aliquo, tanta hominum vis ad vos confluit, vestramque in urbem sese, quasi in portum, refert, vix ut jam capere tantam multitudinem suis illa tectis possit: qui cum e suis civitatibus in vestram migrant, protectiores ab injuriis fore domi sese vestræ advenas, quam suæ cives, certe confidunt. Maxima igitur laus vestræ Reipublicæ vobisque magnis clarisque in ea civibus debetur, quæ in eo muner[illegible] quod de humanis omnino muneribus longe præstantissimum sit, una excellat plurimum. Præstant enim alii aliis virtutibus populi, vobis autem id unum proprium perenneque est, rem tueri publicam, hoc est, humanum genus animi ratione, non felicitate aliqua, quæ casum habere necesse est, & varietatem fortunæ propriam, conservare. hæc enim & stabilis ipsa est, & diuturnitatem atque adeo quoad res humanæ ferre possunt, perpetuitatem, quod vestra est respublica consecuta, parere consuevit. Fortunati igitur cives tui. Te vero equidem semper beatum, semper gloriatione dignum existimavi, cum propter multas magnasque virtutes tuas, animi magnitudinem, continentiam, suavissimos, eosdemque castitatis, religionis, pietatis plenissimos mores, dulcem il-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

lam tuam uberemque dicendi copiam, tum vero propter divinam istam animi tranquillitatem atque æquitatem. Cum enim tot annos in hac post hominum memoriam clarissima republica summa cum gloria versatus sis, cumque dignitatis præstantia quamplurimis semper anteieris, communis juris æquabilitatem transisti nunquam, ac ne cogitasti quidem. Quin etiam (memini enim me de hoc ipso Bembo sæpe audire) cum tua te virtus multos jam ab hinc annos ad summam amplitudinem perduceret, tuaque præclarissima patria ad istum honoris gradum, quem unum altissimum habet, ipsa te tollere cuperet atque adniteretur, deque tua gloria sollicita esset, liberasti tu eam omni cura, atque aliis quibusdam, in istum locum magna quadam properatione festinantibus, cum antevertere posses, ultro cessisti. Magnifica vero laus, honorem, tantum præsertim, cujus cupiditate cæteri inflammentur, tam modice concupiscere. Sed eadem tamen ipsa respublica, simul ac data facultas est, jandudum tibi debitam, tibique reservatam dignitatem istam, ad te scilicet eundem cupidissime detulit: neque tamen, ne sic quidem, æquabilitatem animi tui tu illam veterem amisisti: atque hoc ipso in honore maximo gerendo, cum gravitatem ac dignitatem sic adhibeas, quasi reipublicæ humanitatem facilitatemque ut tuam retines. ita nec civitatis maximæ clarissimæque majestas desideranda est, nec optimi præstantissimique civis humanitas requirenda. Quid, quod duarum maxime insignium virtutum, integritatis ac prudentiæ tuæ, duos esse certissimos testes videmus, paupertatem alterius, summam alterius tuam apud omnes gratiam atque authoritatem? quo quidem ex testimonio intelligere omnes necesse est, ita te in republica administranda ad octuagesimum usque annum ætatem contrivisse, ut publicas res sic procurares, ut tuas; sic autem ab iis manus abstineres, ut ab alienis: ita factum esse ut cum tu sic animum induxisses tuum, ut bono civi gratis reipublicæ serviendum esse statueres, illa contra egregiæ tuæ erga se voluntatis tibi præmium, quod habuerit præclarissimum, laudis & gloriæ, tribuere cupierit. Ac mihi quidem

in

in te intuenti verum omnino videri illud solet, quod a sapientibus traditum est. ajunt enim, homines ferreis alios, alios æreis, quosdam argenteis animis gigni: esse etiam paucos illos quidem, sed tamen nonnullos, quibus aurea animorum natura data est, iisque seorsum regendarum civitatum munus a Deo assignatum: illos alios, quo sua quenque aut duritia aut vilitas impellat, ferri: at vos ex illo aureo genere natura ipsos per vos locupletes atque honoratos, ad salutem civium, populorumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam ortos, nec honores concupiscere, & divitias contemnere, & generosarum volucrum ritu, cœlum modo spectare, ubi vobis civitatum rectoribus ac conservatoribus certum locum ac diffinitum esse teneatis. Quæ cum ita sese habeant, tam præclari hominum maximorum cœtus atque concilii instituta, tam diuturnæ reipublicæ moderationem, tam eximiæ civitatis magistratuum descriptionem, opes, & copias, tum res vestras domi bellique gestas, a populis gentibusque aliis audiri, manareque ad posteros, non jam ad vestram modo gloriam pertinet, sed etiam ad eandem ipsam, in qua versamini atque exerceamini, hominum salutis curam. habebunt enim exteræ nationes non modo quod magnopere laudent, quodque admirentur plurimum, sed etiam quod imitari cupiant, undeque exemplum petere possint, qualem esse optimam firmissimamque rempublicam ac statum civitatis maxime diuturnum maximeque expetendum, oporteat. Quare rerum vestrarum historia hæc, quam Petrus Bembus Cardinalis, vir idem clarissimus, idem scriptor unus omnium politissimus, scripsit merito & flagitata jampridem a multis est, & expectata semper ab ominibus. quid enim aut ad delectationem jucundius aut ad disciplinam (est enim historia vitæ magistra) gravius constantiusve esse possit, quam civitatis omnium prudentissimæ leges, mores, instituta, consilia, magnarum quarumque rerum casus atque eventa, de omnium dulcissimo elegantissimoque auctore audire, eoque ipso nec in mendacio gratiam quærente, nec in veritate simultatem extimescente? fuit enim Bembi non stylus modo purus & elegans, sed ani-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

animus etiam ſyncerus in primis ac ſimplex. qui cum ſumma jam ſenectute, patriæ veſtræ rogatu, vel juſſu potius, res veſtras geſtas ſcribere aggrederetur, neque ad hanc ætatem memoriamque noſtram pervenire ſeſe ſcribendo poſſe confideret, ſæpe mecum locutus eſt, & quidem crebro te appellans, cum permoleſte ferret excludi ſeſe tempore a tuarum laudum, tuique ſimilium commemoratione. qua nos re commoti, faciendum nobis eſſe duximus, ut ejus hiſtoriam ad te potiſſimum mitteremus, optimi ſcilicet ſenis virique clariſſimi, atque hominis diſertiſſimi, plenas gravitatis, plenas auctoritatis, plenas dignitatis lucubrationes; ad ſanctiſſimum itidem, e germanoque illo Platonis auro ſenem, in clariſſima poſt homines natos republica principem, civemque unum omnium facundiſſimum. Accipies igitur tu illam, non a nobis quidem, ſed a Bembo per nos tibi miſſam: patriæque tuæ utrunque gratulabere: eadem enim res maxime ſcriptione ac memoria dignas ad hiſtoriam ſuppeditavit, eadem graviſſimum luculentiſſimumque ſuarum rerum geſtarum ſcriptorem ac teſtem peperit.

DUCES VENETI,

Quorum principatus Hiſtoria Bembi complectitur.

LXXIIII. AUGUSTINUS BARBADICUS.
LXXV. LEONARDUS LAUREDANUS.

BIBLIOTEKA PUBLIKE
"MARIN BARLETI"
SHKODER (2018)

IN LIBRUM PRIMUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

BElli Rhetici cauſæ, initium & progreſſus. Rovereti expugnatio. Georgii Sonnembergii cum Antonio Maria Severinate ſingulare certamen. Germanorum Rovereto diſceſſus. Eorundem cum Venetis pugna, & Roberti Severinatis interitus. Ejuſdem belli finis, & pacis leges. Sumptuariæ leges Venetiis: & item ad viarum anguſtias ac pontes ſpectantes latæ. Joannis Bentivoli, atque Daciæ reginæ Venetias adventus. Hieronymi Rhearii & Galeoti Manfredi interitus. Cyprium regnum in provinciam redigitur, & regina ſe ad urbem confert. Vectigal navibus imponitur. Magiſtratus in Africam Tremezeni regis poſtulatu a Senatu mittuntur. Lex de ſuffragiis, & alia de Græcis equitibus lata. Roxolanorum regis ad Senatum legatio. Induciæ Senatus opera inter Federicum Cæſarem & Mathiam Pannoniæ regem dictæ. Cæſaris in Italiam adventus. Lex pro infantibus vulgo quæſitis, & pleræque aliæ leges latæ. Paros inſula a Venetis contra Turcas defenditur. Georgii Cernochii cum Antonii Erici filia connubium. Lex in fures domeſticos lata. Guidimariæ Rubei obitus. Scloporum deſcriptio, eorundemque uſus a Senatu in imperium ſuum introductus. Ingens in Italia frigus. Hermolaus Barbarus patriarcha Aquilejenſis creatur, & quæ inde ſint ſequuta, ac ejuſdem obitus. Venetus magiſtratus Byzantio pellitur. Cives, qui pro patria mortem oppetierunt, ornantur. Quadragintavirale judicium tertium additum. Suffragiorum ferendorum ratio. Quorundam malorum civium ambitus reprimitur. Laurentii Medices & Innocentii Pontificis obitus, atque Alexandri Borgiæ creatio. Inter Pontificem, Mediolanenſium ducem & Venetos fœdus. Giemis Sultani apud Pontificem captivitas. Leonoræ, Herculis Atteſtini conjugis, cum filiis Venetias adventus.

PE-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM
HISTORIAE
LIBER I.

Proœmium

VRbis Venetæ res annorum quatuor & quadraginta ſcribere aggredior, non judicio, aut quod ita mihi libuerit, ſed quodam quaſi fato, vel certe caſu. Nam cum Andrea Naugerio, cui hæc publice cura tradita fuerat, in legatione Gallica vita functo, Decemviri a me collegii decreto petiiſſent, ut, quando is moriens ſua ſcripta comburi juſſit, ipſe ea in re atque munere patriæ meæ opem requirenti ne deeſſem: pudore verecundiaque recuſandi ad variam atque multiplicem, quodque vere poſſum dicere, multo maxime operoſam ſcriptionem me contuli annos natus ſexaginta: ut, niſi Reipublicæ extaret poſtulatio, merito me homines reprehendant id ætatis auſum tantum onus ſuſtinere. bella enim plurima propeque continentia atque maxima cum ab Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ populis & regibus, tum a Turcarum imperatoribus exci-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2013)

excitata, vel terra vel mari gesta, sunt scribenda: quorum quodque justum potius historiæ volumen atque separatum posse conficere, quam uno omnia comprehendi atque contineri, nemo non dixerit. Multa præterea domi vel senatus consulta, vel leges, vel judicia illustria, vel novi magistratus, multi hospitio reges liberaliter accepti, multi honores diis immortalibus habiti, multæ prodigiorum domi forisque prædictiones, tempestatum ac syderum miræ vicissitudines, hujus temporis memoriam exemplis innumerabilibus referserunt: quæ colligere & mandare litteris, nec amantis otium animi est, nec minimæ industriæ. Sed nihil est profecto tam arduum, quin id patriæ charitas exuperet, apud eos viros præsertim, qui præclara in urbe geniti, atque optima in republica educati, suæ civitatis temperationem institutaque adamaverunt. Ita qui rebus tot atque tantis complectendis nunquam sponte curam & cogitationem adhibuissem: mihi enim post Romanos labores bonæ tandem valetudini, quam penitus amiseram, restituto, paterna in villa fundi Patavini majorem anni partem requiescenti, satis erat pascere levioribus tractandis artibus animum; voluntate meorum civium perspecta facile adducor, ut nihil mihi refugiendum putem, dum eorum studiis satisfaciam. Ab illorum igitur com-
1486 mentariorum fine, quos Marcus Antonius conscripsit, exorsus, quo ab fine Decemviris placuit ut initium scribendi facerem, continuato rerum filo, historiam ad hoc diei, si vita suppetet, perducam. tot enim, quot supra dixi, anni inter illius scripta atque hoc tempus interceserunt. Ac eo sane tempore quo in statu esset, quam haberet faciem respublica, satis est ab illo demonstratum: quæ bello Ferrariensi confecto, fœderibusque initis, plus biennium soluta oneribus civitate, & pacato imperio est usa.

1487 Idem autem post hæc & publicæ quietis, & Sabellici librorum finis fuit: pacemque illam & tranquillitatem reipublicæ bellum statim Rheticum excepit: neque ei profuit, quod suo se in otii capto jam portu magna perseverantia continuisset. Ejus belli levissima de causa initium

tium hoc fuit. Erat nonnullarum cum Rhetorum & 1487
Noricorum, tum earum terræ Germaniæ gentium, quæ *Rheticum bellum.*
sunt his finitimæ, Dux atque princeps Sigismundus Federici Romanorum imperatoris frater, homo non malus, sed qui facile malis hominibus crederet. Ei cum senatu Veneto jam inde a majoribus orta necessitudo intercedebat. itaque vetusta consuetudine homines mercaturæ dediti omnibus ex reipublicæ municipiorum vicinitatibus ejus ad oppida libere commeabant, mercatumque in primis celebrem apud Beurenses quotannis fieri solitum, stato tempore petebant. Id cum anno post urbem conditam millesimo sexagesimo sexto feciissent, Sigismundi jussu ipso in mercatu, ad quem fide publica venerant, comprehensi suis cum rebus, custodiæque sunt traditi. Et jam antea Sigismundi opera nostros homines, qui argenti fodinas in Alpibus exercebant, fugatos, conductis jure gentium fecturis & cuniculis deturbaverant: eosque cuniculos, quod essent ipsorum vicis & municipiis vicini, vi atque armis parvo negotio possidebant. Ejus rei causam quærentibus, dictitabant Sigismundi clientelas, quæ in imperio Veneto essent in Benaci lacus ripa, suis e finibus expelli: de qua tamen controversia jactari pridem cœpta per interpretes ab utrisque amice disceptabatur. Itaque cum eos qui ex Reipublicæ municipiis ad ipsorum mercatum vere inito venerant, in vincula conjecissent, omnibus ex eorum oppidis atque agris, tum ex Lepontiis & Helvetiis coacto jam milite apud Tridentum Germani hominum numero ad decem millia; id enim agere constituerant; Gaudentio Amasiano duce in Veronensium fines impetum faciunt. Germanos autem illos diximus, quando nunc quidem omnes eæ ab Alpibus nationes complureſque aliæ, uno nomine Germani appellantur. Flumen est Athesis, ex Arbona monte profluens, quod *Athesis descriptio.*
duobus auctum fluminibus Tridentum fertur, Alpesque reliquas dirimens, vallem plerunque angustam efficit Veronam usque, quam etiam interfecat, ejus fluminis lævam ingressi ripam Germani, ac quindecim millibus passuum con-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1487 confectis, oppidi Rovereti in Alpium anguſtiis laxiore paulo atque apertiore loco poſiti, ſuburbanis ædificiis direptis, pugna etiam cum præſidiariis militibus commiſſa; defenſo municipio ad prædam & populationem ſeſe convertunt: eaque facta, in vicinos oppido pagos tumultuoſe militem recipiunt. Hac re nunciata Senatus decrevit, ut & veterani milites, qui in Carnis & Tauriſanis, quique in Gallia hyemaverant, omnes illico Veronam convenirent, & delectu ſtatim habito novi milites conſcriberentur: creatiſque ad id confeſtim legatis Petro Diedo Veronæ præfecto, Hieronymo Marcello, dat negotium, ut ex uſu reipublicæ bellum adminiſtrent. Julium etiam Cæſarem, qui regnum in Camertibus obtinebat, copiarum reipublicæ imperatorem, accerſitum ex Umbria eodem contendere magnis itineribus jubet.

Rovereti oppugnatio.

Interea Germani ad oppugnationem Rovereti, iis quæ bello eſſent uſui celerrime comparatis, & caſtris ad oppidum poſitis, tormentorum vi, quibus maxime abundat ea natio, muros quatere atque dejicere inſtituunt. Id cum plures dies labore non intermiſſo feciſſent, ac magnam murorum partem aperuiſſent, neque Venetus imperator, qui jam eo venerat, propter Germanorum magnum numerum repellere hoſtem poſſet, ſæpe oppugnare omni miſſilium telorum genere ſcaliſque ad murum poſitis adorti, ſæpe cum clade repulſi, poſtremo oppidum capiunt. Eis in oppugnationibus unum eorum teli genus maxime oppidanos terruit, de quo propter novitatem prætereundum non videtur. Pilas ferreas non magnopere cohærentes, picis atque bituminis plenas, igne incluſo tormentis muralibus impellebant. eæ pilæ muro impactæ infringebantur, ac plures in partes diſpergebantur, quibus ex ſingulis ignis proſiliebat acri cum flamma, ſic, ut quæque earum pars quantumvis parva hominem corriperet: pice autem illiſa retinebantur, ne excuti, ne ve rejici poſſent. ita fiebat, ut neque in muro conſiſtendi, neque quæ opus eſſent adminiſtrandi, neque ſe defendendi militibus facultas daretur. Quod ubi ſemel atque iterum

Pilæ igniferæ.

rum eſt animadverſum, culcitras centoneſque quos habere poterant, aquis immergebant, eoſque pinnis & feneſtris, ex quibus propugnarent, interponebant. iis neque pix adhæreſcere, neque ignis nocere propter humorem poterat. Ita ſe tandem, compluribus ſuorum ante abſumptis, præmunire ac tueri didicerunt. Sed capto oppido, ut diximus, Nicolaus Priolus prætor & milites, qui ad defendendum municipium per Alpium crepidines miſſi hoſtem circumfuſum & ſedentem fefellerant, ſuaque virtute ac fortitudine eorum impetum ad eam diem ſuſtinuerant, in arcem ſe recipiunt. Veneti, qui omnino in ſe longe majus, quam initio crediderant, excitatum bellum viderent, neque in Camerte, quantum oportebat, induſtriæ virtutiſque agnoſcerent, a Roberto Severinate petunt, ut imperium totius belli una cum Camerte adminiſtrandi magna opinione civitatis ſibi delatum læto animo accipiat, & quo celerius fieri poteſt, ſuis cum militibus, & liberis, claris bello adoleſcentibus, viæ ſe det, atque in Rheticum Alpeſque contendat. Robertus, qui, poſteaquam Innocentius Pontifex maximus eum miſſum fecit, in agrum Patavinum ſe contulerat, atque ibi apud oppidum Citadellam, quod ei una cum urbanis ædibus, cumque amœniſſimo ac peramplo apud Veronam fundo & villa, in Ferrarienſis belli exitu Senatus dono dedit, ſine imperio, ſine ſtipendio complures menſes commoratus, ægre ſe ſuoſque milites aluerat, illam ipſam ſibi occaſionem ſuæ vel amplificandæ, vel omnino retinendæ dignitatis dari votis omnibus cupiebat: itaque accepto peropportune imperio, ad bellum proficiſcitur. Eo cum venit, modo in ſpe, modo in metu Veneti ſæpe fuerunt: ſæpe marte ambiguo levibus præliis eſt certatum: ponte etiam navibus impoſito, ut & copiæ tranſmitti, & commeatus ex altera fluminis regione ſupportari facile poſſent, utramque ripam conjunxit. Eodem quoque tempore Germanorum militum centuriæ aliquot in Vicentinos & Feltrinos ſaltus, atque in Carnorum fines repente immiſſæ, plus terroris quam periculi intulerunt, propterea quod Hieronymus

1487

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1487 nymus Saornianus, ſummo in Forojulienſibus natus loco, cujus proavus Federicus ob ſingulare atque præclarum in rempublicam ſtudium, & civitate ab ea, & jure comitiorum donatus fuerat, cum ſuis clientibus, & agreſtium manu, quam celeriter coegerat, atque armaverat, ſuperatis Alpium, quæ adiri non conſueverant, jugis, illos omnia vaſtantes ac depopulantes a tergo aggreſſus ita fregit atque concidit, ut nonnulli timore incitati e montium, in quibus erant, cacuminibus rupibuſque fugientes ſe præcipitaverint: qua de re gratiæ illi a Senatu actæ, militeſque tercentum attributi, quos Hieronymus Jacobo fratri habendos permiſit, cum ipſe pacatæ ac civili ſeſe vitæ, quam militari, mallet tradere. Sed dum reliqua ſic, ut dixi, agerentur, Rovereti arce muralibus tormentis prope diruta, Prætor quique cum eo erant milites, deditionem faciunt.

Germani cum Italo ſingulare certamen.

Et jam ſumma æſtas præterierat, cum veteris exempli res utrunque exercitum ſpectaculo haud magnopere cruento tenuit. Erat Germanorum numero juvenis acer & fortis Georgius Sonnembergius, claro loco natus, qui turmæ equitum præerat. ad hunc cum eſſet allatum, Antonium Mariam Severinatem, imperatoris filium, inter ſuos jactaviſſe, ſi ex hoſtium copia egregius vir quiſpiam equeſtri pugna congredi velit, ſe cum illo decertaturum, proque ſua parte oſtenſurum, quantum belli gloria Itali Germanos antecellant: mittit ad Venetos tubicinem, qui Antonio denunciet, ſe paratum eſſe certaminis fortunam experiri. Remiſſus ad Georgium tubicen refert, expectari cupide illum ab Antonio: itaque die dicta clauſum in campum, atque ad id comparatum, æquo inter bina caſtra ſpatio diverſa ex parte uterque armatus atque adornatus ſeſe intulit: & parva interjecta mora, citatis equis concurrunt. Antonius haſtam in Germani pectus infringit: thorax ægre haſtæ impetum ſuſtinet. tum vero equus Antonii jam incitatior, neque ſat habilis contineri, in trabales campi munitiones ita impegit, ut iis perfractis atque disjectis, ipſo humi prolapſo, Antonius ſe ejiceret.

Ita-

Itaque pedes ex equite factus, ubi hoſtem in equo jam 1487
converſum diſtricto in ſe gladio venientem videt, poſt tignum *trabibus* repaguliſque ſuſtinendis ſolo fixum ſeſe *continet*: ita Germanum aſſultantem, atque ictus de ſuperiore loco adigentem, diſtricto item gladio repellebat, quaque ipſum poterat, appetebat: nam equum lege prius dicta ferire Antonius non poterat. Sed dum crebris ictibus acriter uterque rem gerit, neque quantum vult proficit, propterea quod galea, thorace, cæteriſque ferreis indumentis totum pene corpus protegebatur: Antonius iracundiæ plenus, quod iniquam ſubire dimicationem cogeretur, ſeque ipſe tacite incendens, hoſti cupidius ferienti impetu facto gladium aufert: ille ab ephippiis ferrea, quam gerebat, abrepta clava pro gladio utitur. Tum vero clara ad Germanum voce: *Quid tu autem*, inquit Antonius, *me cogis unum cum duobus depugnare, quorum alteri lex, alteri aliena arma ſunt præſidio? ſi vir es, æquo marte manum conſere*. Ita Germanus exiſtimationem hominum veritus, & magno præterea animo, equo & ipſe deſilit: comprehenſique ſtatim inter ſeſe, atque arcte diu luctati, ambo concidunt. Erant utriſque magna & procera corpora, & vires corporibus pares. Germano tamen cadenti paulum ſuperincubuit Antonius: ſed ejus dexterum brachium a ſiniſtro Germani humero, atque adeo armorum corporiſque pondere ſic premebatur, ut eo uti non poſſet. tum Germanus impedito atque implicito Antonio, ipſe manu dextera liber, abrepta ſica, qua femori Antonii erat alligata, nates ei convulnerat: ea tantum corporis parte ſua illum tegumenta non munierant. Vulnere Antonius accepto, cum omnino nullam defendendi ſeſe viam ſibi reliquam, & facultatem videret, hicæque aciem Germanus ictu altero atque tertio adegiſſet, *Vince*, inquiens, *quando ita voluit fortuna, malo enim non virtute vincis*, gloriam certaminis hoſti dedit: quem quidem victor magno apud ſe honore plures dies ad exercitum habuit, curatoque vulnere, donis etiam additis, ad patrem remiſit.

H. Bembi.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1487 Post hæc paucis interjectis diebus, cum Germani insolentius atque laxius vagarentur, Venetique eos adoriri ex insidiis statuissent, re ab hostibus per exploratores cognita, ipsi in hostium insidias inciderunt: ita excepti a pluribus pauciores, conglobati virtute atque armis se tuebantur, fortiterque præliabantur: ex quibus Robertus modo voce imperatoris curam, modo manu militis operam præstabat. verum crescente hostium multitudine circumseptus jamjamque tenebatur, cum Antonius filius id conspicatus (non enim longe aberat) in confertissimam hostium aciem se injecit, fortissimeque pugnans, aciemque submovens, patri se recipiendi facultatem præbuit: ipse in hostium potestatem venit: reliqui fugati, paucis captis atque interfectis, se in castra receperunt. Neque multo post Camers in febriculam incidit, eoque Veronam delato, rerum & totius belli administratio in Robertum incubuit. Germani autem cum inopia commeatus adducti, qui segniter subministrabatur, tum stipendii fide non servata, indignabundi palam ad seditionem incitabantur: cujus rei periculum eorum præfecti veriti, inducias ab imperatore Veneto petierunt. Sæpius re jactata, non impetratis induciis, nocte intempesta Rovereti arcem incendunt, & prima luce conclamatis vasis omni cum exercitu abeunt. Mirum id Venetis videri, neque satis credere hostem abeundi consilio discessisse: itaque timere insidias, quas etiam essent experti: sed ubi illos longius profectos ab exploratoribus cognoverunt, Rovereti oppidum recipiunt.

Antonii-Mariæ Severinatis in patrem pietas.

Interim Robertus certior factus omnes hostium copias domum discessisse: auxerat enim eam rem atque affinxerat multa rumor: sibi autem miles ex Ravennati & Piceno & Umbria per eos dies accersitus animum addiderat: statuit ulterius progredi, Tridentumque ipsum, si res processerit, obsidere, ut qui ultro ac sine causa bellum Venetis intulissent, scirent atque cognoscerent, bellum gerere in eorum finibus & posse Venetos, & audere. Eo consilio cum legatis communicato, Lucas Pisanus ætate jam gravior, quem Senatus Petro Diedo summise-

miserat, atque illum ad præfecturam Veronensem reverti jusserat, *existimare sese*, inquit, *e republica non esse, tantam rem eo tempore aggredi. Primum, quod credibile non esset Germanorum exercitum, quem ipsi florentissimum paulo ante vidissent, ita jam in ultimas Germaniæ terræ latebras se abdidisse, ut non modo revocari atque restitui, sed etiam adaugeri paucis diebus non possit in tam promptis ad arma capienda populis, tantoque in periculo municipium ad gentes Italas continendas opportunissimum amittendi. Deinde, quod si tum reipublicæ ad hostem repellendum copiarum satis fuit: quanquam quis eum repulit? sua ipse sponte se recepit: sed sit omnino repulsus: ad inferendum tamen bellum, atque in hostium fines irrumpendum, obsidioneque ducendas, id ipsum non suffecturum, præsertim cum existimandum sit omnem Germaniam, ne tantum dedecus admittatur, eo conventuram, vireque suas in communem utilitatem explicaturam. Postremo, quod si offensum in aliquo sit, non esset receptui locus circumventis ab hoste undique mediis in Alpium jugis: tum itinerum angustias esse pertimescendas, quas evadere vix pacati possent. Præstare autem reipublicæ bellum quoquo modo confeciisse, dum oneribus extraordinariis finis imponatur, quam spe melioris victoriæ ipsam periclitari, civesque conflictari tributorum conferendorum quotidie causa. Defessam civitatem bello Ferrariensi otium inglorium laboribus paulo etiam honestioribus, certoque cum fructu præponere, nedum ambiguis & periculosis præferat. Hæc mea quidem*, inquit, *est sententia, qui fortasse vel meo vitio, vel etiam senectutis, omnia timeo: vos consulite, &, quod optimum factu est, id sequamur.*

Tum Marcellus, facto a collega silentio, in hunc est modum loquutus: *Nihil sibi dubitationis dari, si ea ita essent, quemadmodum Pisanus dixisset, quin sit ab invadendis hostium finibus Tridentique oppugnatione abstinendum. quæ enim ejus regionis pars, quod municipium tanti esset, ut cum ejusmodi conflatione belli, totiusque Germaniæ irritatione, consensuque comparetur? Verum habere se rem suo quidem judicio longe secus. Nam neque Germanorum copias sua se sponte dissipavisse: sed cum rei frumentariæ inopia coactas, tum stipendio*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1487 *dio non persoluto egentes, desperantesque, domum quenque suam revertisse: neque qui collectam jam manum, prospereque agentem commeatu supportando alere, stipendiisque repræsentandis retinere, ne diffugeret, non potuerit, eum novo conficiendo exercitui stipem alimentaque subministraturum: multo enim facilius contineri stantia, quam lapsa prostrataque sublevari. Neque vero esse verendum, conventuram contra Venetos Germaniam, quos amicos semper habuerit, ut Sigismundi rebus auxilio sit, qui nullo reliquorum principum consilio, nulla ipse lacessitus injuria, bellum reipublicæ intulerit: præsertim cum Federicus Imperator ejus frater, neque pecunia, neque milite, neque ulla eum re omnino juverit, præ seque potius tulerit, id se nunquam bellum probavisse. Qui a suis negligatur, eum ab alienis exterisque hominibus auxilia impetraturum credere, cujus tandem esset timoris? Quod si dicatur, non jam quidem Sigismundi, aut alicujus privatim causa Germanos principes ad arma capienda conspiraturos, sed plane sua, ne Tridento capto Venetis aditus pateat ad sese: responderi posse, complura esse in Alpibus reipublicæ oppida, diversis acquisita adjectaque imperio tempestatibus, quibus ex oppidis Germaniæ populi adeantur; ab his ipsis non longinquam locis Feltriam, Belunium, quamque in Carnis* Cividalem *appellant: complura præterea itinera vicis & castellis munita, cum hoc in Alpium ad orientem solem tractu, tum vero etiam in Brixianorum finibus ad Moernam atque Licates; in Bergomatium Sebini lacus fauces, vallemque universam Triumpilinorum, quique ad Lepontios, Lariumque lacum saltus, atque angustiæ pertinent. Neque tamen ullo tempore Germanos principes conspiravisse eis ab oppidis atque finibus repellendi Venetos causa: neque nunc, si Tridentum capiatur, conspiraturos: fassuros potius atque affirmaturos, jure id, meritoque Sigismundo accidisse, qui amicæ civitati bellum temere intulerit. Nam quod ad viarum angustias attinet, quantulum esset iter Tridentum usque? id tamen ipsum patefieri ante oportere, quæque sint castella Germanorum ipsa in via, ea esse capienda, ne quid hostile post tergum relinquatur. Extremum autem quod fue-*

fuerit in collegæ rationibus, defessam civitatem belli oneribus 1487
malle quiescere: ad id respicere ipsos non oportere. Tridento enim capto, non eam modo pecuniam, quam hanc in belli partem, paucorumque dierum moram erogari oportuerit, sed illam etiam quæ toto in bello per tot menses esset insumpta, cumulate sarcitum iri, vel magno potius cum fœnore, magnisque utilitatibus repensum & restitutum: vindicatum præterea injurias ab iniquo acceptas hoste: auctum imperii fines: auctum etiam gloriam, nomenque reipublicæ clarius factum. quæ quidem omnia nisi tanti esse, quanti æstimanda jure sunt, majores nostri duxissent, nunquam ipsos tot labores atque tantos perlaturos: nunquam ullum bellum suscepturos fuisse, ut suam & reipublicæ gloriam una cum imperii finibus protenderent. Postremo, occasionis esse rem, ut Tridentum capiatur, vel militibus sua celeritate atque virtute in oppidum non præmunitum irrumpentibus: vel quod repentino nostri exercitus adventu oppidani perterriti, ne diripiantur, deditionem faciant. Itaque ad eos casus eventusque tentandos, in iis quas haberent ipsi copiis satis virium atque præsidii fore. Id si recte cesserit, ipsum illum suum collegam in primis imperatorem summis laudibus laturum, qui ejus rei consilium inierit: sin se oppidum tuebitur, vastatis finibus, incensis ejus regionis castellis vicisque, incusso magno terrore hostibus, exercitum ultorem reduci oportere. Id autem procliviore omnium hominum venia posse tum fieri, quam si jam nunc inulti domum redeant. Porro non horis omnibus rei bene gerendæ facultatem exercitibus dari. quare cum datur, ab his qui præsunt, ea esse magnopere utendum, ne lapsæ temere atque præteritæ recordatione pœnitentiaque diu atque incassum torqueantur. Hac habita oratione a Marcello, Pisanus in collegæ sententiam se traduci facile passus est: itaque ambo imperatori permiserunt, uti de eo, quemadmodum sibi agendum videretur, ita statueret.

Ille, dimissis legatis, ad rem explicandam maturandamque se dedit. Sed quod erat in ipsa Lenæ fluminis ripa, qua Tridentum, quaque Roveretum est, inter utrunque oppidum, ter mille ab Rovereto passus castellum Petra

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1487 loco alto atque edito, viæ imminens ſic, ut Petrenſibus invitis ea commeari tuto non poſſet; Petram in poteſtatem ſuam redigere, & itineris & commeatus cauſa, & quod ita Marcellus cenſuerat, ne quid inimicum poſt ſe relinquerent, primum omnium decrevit. Iis conſtitutis rebus, propterea quod a Rovereto venientibus ob præcipitem montis & crepidinum declivitatem aditus ad Petram omnino nullus erat, ab altera ejus montis parte, qua adiri facile poterat, caſtellum oppugnare inſtituit. Tranſmiſſo itaque Atheſim per eum pontem, quem initio fecerat, exercitu, atque adverſo flumine ſeſquihoræ itinere confecto, ad Callianum vicum quod ultra Petram eſt paſſus circiter mille, ponte altero navibus impoſito iterum Atheſim exercitum traducit, atque in planitie ſexentorum ferme paſſuum, quæ a montis radicibus ad flumen pertinet, conſedit, præmiſſis equitibus levis armaturæ, qui præcurrerent, atque, an manus aliqua hoſtium cogeretur, cognoſcerent, ſibique renunciarent. Equites ſpretis imperiis prædæ ſpe vagari, & populationem facere cœperunt. Interim cum Tridentini pontem eſſe factum cognoviſſent, non Petrenſibus modo, ſed ſibi etiam ſuiſque rebus veriti, ſoluto exercitu, oppido non communito, imparati ab rebus omnibus, a Georgio Petræplanæ principe, quod eſt caſtellum ultra Tridentum, impetrant, uti cum iis, qui eo ſe receperant, militibus, coacta celeriter agreſtium & montanorum hominum manu, ire obviam properet, hoſtemque ſi poteſt, moretur, dum a Sigiſmundo auxilia conveniant. Ille collectis, quos ei caſus obtulit, militibus, & tum ſuorum, tum eorum qui Beſinum vicum in ſummis alpium Calliano imminentium culminibus incolebant, rapto agmine ad mille hominum numero, magno cum tympanorum & cornuum ſtrepitu eo de monte ſe demittere incipit: atque ut ſe jugum implicabat, agmenque partim ſe oſtendebat, partim latebat, magnæ ad ſpeciem eſſe copiæ iis equitibus, qui prædatum ierant, videbantur; magnæ ſuccedere, & priores conſequi exiſtimabantur. itaque cum propius, majoreque cum ſtrepitu deſcen-

ſcenderet, illi in fugam vertuntur, atque in alios incur- 1487
rentes, eos in fugam vertunt: jamque permixti paſſim equites peditesque tumultuoſe revertebantur. Id cum fieret, adeſſentque Germani, fuga magis hoſtium, quam ſua virtute incitati, manus Venetæ, quas ea planitiei pars exceperat, retrocedere, ac fugere contendunt, atque in aciem imperatoris, qui acceptis de ſuorum fuga nunciis eo properabat, implicantur: tum imperator, quantum temporis exiguitas patiebatur, ſuos perterritos fœdeque fugientes increpitare atque convertere, hoſtem ſuſtinere ac reprimere adnixus, fortiterque diu pugnans, ingenti cæde utrinque facta, urgentibus Germanis cum ſuorum globo in flumen dejicitur, ibique periit: reliqua multitudo magis magiſque perterrita pontem fuga petere contendit. Id conſpicatus Andreas Burgius præfectus militum, ſperans, ſi pons reſcindatur, fore ut milites equiteſque ablata fluminis tranſeundi facultate continerentur, ſeque in hoſtes neceſſario converterent, accurrens ſolutis retinaculis pontem propulit: quæ res in contrarium, atque ipſe exiſtimaverat, vertit; propterea quod timor conſilium plerunque non recipit. qui enim ſemel fugæ ſe mandaverant, ea ſpe, ut ſi flumen tranſire poſſent, in tuto ſeſe crederent futuros, ubi pontem ſublatum viderunt, plerique omnes ſe in flumen præcipitaverunt, & armis equique depreſſi atque impliciti perierunt: pauci ripam tenere potuerunt, quod flumine maximo, rapido, et vorticoſo impediebantur: ut eſſent omnes, qui ab hoſtibus pugnantes interfecti ſunt, quique vi fluminis rapiente interierunt, circiter mille. Unus Guidus Maria Rubeus cum ſua equitum turma pugnæ initio per medios hoſtium cuneos viam ſibi armis & virtute cum feciſſet, atque in campum evaſiſſet, Germanos exultantes in ſe convertit quibus cum dimicans, quid in bello animis conſtantiaque poſſent, palam fecit. eorum enim partem cecidit, reliquos disjecit, fugavit: atque ita clarioem ſibi victoriam ex hoſtibus victoribus, quod raro fieri aſſolet, comparavit. Reliqui centuriones, equitumque præfecti, cæterique qui

Roberti Severinatis interitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1487 fuga ſe abſtinuerant, per montium invia, ſuperatis jugis; nonnulli naviculis excepti ad Roveretum redierunt: ex quibus fuit Rubeus, qui ſe atque ſuos magno labore noctu flumen trajecit. Interfecti ex Germanis permulti, non incruentam ſuis eam Venetorum cladem fecerunt. Veneti complures dies reintegrandis copiis conſumpſerunt: neque interea Germani iis in locis quidquam moverunt, quando clade non multo leviore accepta quam illata, exercitu & ipſis reparando opus fuit. In Vicetinis tamen & Feltrinis Alpium jugis, atque in Benaci lacus regione, ea manu quam conficere per occaſiones poterant, utrique ſæpe congreſſi, cæde facta, caſtelliſque aliquot vel captis vel incenſis, ſeſe invicem inferendis cladibus intentos paratoſque tenuerunt. Arcum autem municipium, quod quidem abeſt tria millia paſſuum a Benaci littore, magnis & obſeſſum antea & expugnatum viribus, cum propterea quod ei bello cauſam dederat, inita de finibus altercatione cum vicinis ſibi in ora lacus populis, Sigiſmundoque ad arma capienda incitato, tum quod ejus oppidi principes Veneti hoſtes nominis exiſtimabantur, ſenatus incendendum & diruendum cenſuit. Burgius interea proditionis apud Decemviros accuſatus, quod pontem ad Callianum, ut exercitum in fraudem conjiceret, dolo malo propuliſſet, atque in vincula conjectus, Marci Beatiani ſenatus ſcribæ, qui ei bello cum legatis interfuerat, teſtimonio abſolutus eſt, ordinibuſque redditus.

Miſerat ante eos dies ad Sigiſmundum Innocentius Roma Paridem Epiſcopum Auximi, qui eum hortaretur, uti bello finem imponeret: *non eſſe tempus, imminente regno Italiæ & Romanis rebus Turca, ut duo potentiſſimi ad illum repellendum populi leviſſimis de cauſis armis inter ſe decertarent, odiiſque mutuis contererentur: ipſo arbitro ſuarum cum Senatu Veneto diſcordiarum, ſi vellet, uteretur: ſe ei pro rerum æquitate non defuturum*. Is apud illum Legatus dies aliquot tractandis pacis conditionibus fuit. Venetias deinde cum mandatis eſt profectus: quibus a Senatu non probatis, re infecta Romam rediit de menſe

ſe ſeptembri, cum ante idus ſextiles Severinas imperator 1487
interiiſſet. Egerat illud idem etiam cum Senatu Veneto Pontifex per ſuum apud ipſos internuncium Nicolaum Francum Epiſcopum Tauriſanorum, qui civitatem & hortari & monere non deſtiterat: ſed nihilo minus irritus omnis ejus conatus fuit: quoad feſſus belli diſpendio Sigiſmundus (alere enim exercitum non poterat) miſſis ſæpe inter eos legatis fœdus cum Venetis percuſſit idibus novembris. Fœderis conditiones fuerunt, uti bello ablata, quæ antiquitus eorum, qui amiſiſſent, fuerint, reſtituerentur: & negotiatoribus Venetis damna illata ſarciretur: quæ ſupereſſent inter eos res, quibus de rebus non convenerat, de iis Innocentii judicium eſſet. Is finis belli Rhetico fuit. Milites deinde in hyberna ſunt deducti, dimiſſuſque ob rempublicam ſegniter geſtam Julius Camers. Roberti vero duo liberi, Gaſpar atque Antonius, in reipublicæ militiam conſcripti, ſexcentis equitibus præficiuntur: centurioneſque aliquot, qui egregiam operam navaverant, donis militaribus aucti: quorum uni etiam dos filiæ numerata, auri ternæ libræ. Erantque jam Sebaſtianus Baduarius, Bernardus Bembus, pater meus, legati ad Innocentium profecti cum aliis de cauſis, tum ut apud illum de caſtellis Nomio & Ivano captis a Veneto exercitu, de quibus erat lis, diſceptarent.

Pax inter Venetos & Sigiſmundum.

His ita conſtitutis rebus, quod exhilarata pacis nomine civitas jam etiam ante hoc bellum in omnem luxum domeſticum ſeſe effuderat, inſequentis anni initio leges ſumptuariæ revocantur. Itaque cœnis pavones, phaſianæ aves, lautioreſque epulæ, cubiculis ſtragulæ veſtes ex auro, argento, purpura interdicuntur: omnis ornatus muliebris decem auri libras excedere non permittitur: ampla delatoribus præmia, ſervis inſuper libertas decreta. Quamquam caverant etiam patres in Rhetici favore belli, ne alea, ne ve ullo alio præter ludum latruncularium cum in urbe, tum per XXV. millia paſſuum extra urbis fines in pecunia luderetur, exceptis nuptiarum celebritatibus, & cauponis, & ea fori parte, quæ ad columnas eſt, atque

1488
Legum multarum latio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1488 que ipſa fori porticu : edictumque ne iis in locis luſio auri unciæ partem quintam excederet. Viarum etiam urbanarum anguſtiis proſpectum eſt, ſublatis tabernarum pluteis, qui in vias prominebant : ponteſque lignei, quibus univerſæ prope urbis inſulæ aquis interfluentibus diſcretæ conjungebantur, ex lateribus, & lapide Iſtrico publice tota urbe fieri cœpti. Atque inter hæc Joannes Bentivolus Bononienſis, ejus oppidi princeps, viſendæ urbis & ſalutandorum patrum cauſa Venetias venit : atque a Senatu liberaliter acceptus, cum plures dies ea in re atque ſtudio conſumpſiſſet, donatus civitate, ac jure comitiorum, domum rediit. Quo quidem tempore infans biceps Patavii natus eſt, vixitque horas aliquot. Eum nos pueri ad urbem vidimus, cum pro miraculo circumferretur. Eorum duorum capitum utrunque ſuo cum collo atque cervicibus a ſummo ita pectore ſuſpendebatur, ut toti corpori eſſe par atque proprium poſſet : utrique ori eadem ſpecies inerat. Poſt eos dies Regina Daciæ, Roma domum rediens, Venetias & ipſa ſe contulit : acceptaque regio apparatu, urbe inſpecta, ſuburbiiſque perluſtratis, viæ ſe reddidit. Eo tempore Hieronymus Rhearius, qui Sixti Pontificis Maximi beneficio duorum in Flaminia oppidorum, Fori Livii, & Fori Cornelii, regnum obtinebat, ſuo in cubiculo a ſuis civibus trucidatus, atque in forum de feneſtra projectus, fœdum ſpectaculum populo præbuit, implicuitque inteſtinis exteriſque bellis atque incendiis civitatem : quæ quidem incendia vix ægreque nobilitatis interitus, & multorum hominum conſecutæ cædes reſtinxerunt. Neque multo poſt Galeotus Manfredus, Faventiam item obtinens, admiſſis noctu ab uxore ſicariis, ſuo & ipſe in lectulo confoſſus, oppidum tumultu & ſeditionibus implevit. Hæc ſenatui nunciata, eum a rei maritimæ cura non averterunt. Erat jam antea ſane rumor, claſſem ingentem a Bajaſete Turcarum Rege comparatam, in mare Aegeum vela facturam. Itaque Franciſco Priolo claſſis præfecto deſignato mandarunt patres, maturaret proficiſci : & quoniam exiſtimabant Baja-

Jo. Bentivoli Venetias adventus.

Reginæ Daciæ Venetias adventus.

XVIII. kal. maj.

pr. id. kal. jun.

jaſetem eo quidem maxime tempore mentem atque animum 1488
ad Cyprum inſulam adjeciſſe, eo quo celerius poſſet contendere juſſerunt. Is menſe aprili conſcendens, Corcyram, deinde una cum Coſma Paſcalico legato Methonem adnavigavit : quem ſubſecutus Nicolaus Capellus item legatus, auxit earum, que Methone erant, longarum navium numerum : quibus cum navibus præfectus (erant autem triremes vigintiquinque, minora navigia longa plus minus decem) die quinto Cyprum attigit. Ea intellecta re, Turcarum claſſis omnis generis longarum navium, cum a Cypro non longe abeſſet, mare Iſſicum prætervecta, ſine ullo uſu in Helleſpontum rediit.

Auxerat Cypriam patribus curam, quod intelligebant Ferdinandum regem Neapolis, in Federici filii ſui nuptias regina pellecta, occupandæ inſulæ occaſionem quærere. Ea erat Catherina Venetiis oriunda e gente Corneliorum clara atque illuſtri, quam Marcus Cornelius pater Jacobo Luſiniano regi Cyprio in matrimonium collocaverat, numerata regi pecunia dotis nomine auri ad libras mille. Eam rex brevi tempore profluvio ventris ſublatus prægnantem reliquit, ſcriptis tabulis, quibus illam regni hæredem naſcitura cum ſobole inſtituerat ſub Veneti Senatus tutela : quo a Senatu Corneliam, tanquam reipublicæ filiam, publica interpoſita fide accepta, uxorem duxerat. Itaque poſt mortem patris natus filius anno vertente natali ſuo diem cum obiiſſet, novaſque res nonnulli eo in regno principes molirentur, claſſe ad inſulam celeriter miſſa cum legatis, & Cornelio patre, qui reginæ aſſiderent, eos Senatus facile tumultus compreſſit. Tranquillitate inſulæ reſtituta, mulier vidua auctoritate reipublicæ quindecim jam annos poſt viri mortem pacate regnum obtinuerat, cum per internuncios Ritium Marinum Neapolitanum, qui regi Cyprio perfamiliaris fuerat, & Triſtanum Cibeletum Cyprium, cui erat ſoror e reginæ famulis, Ferdinandus rex clam eas, quas dixi, nuptias procurabat. Ii cum a Rege miſſi in inſulam deſcendiſſent, a præfecto claſſis capti, atque in vincula conjecti

Catharina Cornelia Cypri regina.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)
BIBLIOTEKA QENDRORE SHKODER 559

1488 jecti sunt, Venetiasque transmissi: tametsi Tristanus, qui, propterea quod post regis Cyprii mortem tumultu excitato Andream Cornelium reginæ patruum interfecerat, exulque factus fuerat, sui pœnas sceleris se persoluturum sciebat; adamante, quem in annulo gestabat, per os in stomachum recepto, aqua insuper, quæ metalla dividit, epota, dum portaretur, interiit. Iis permoti rebus Decemviri (quanquam quidem non Ferdinandi modo artes, sed Turcarum quoque insidias, incœptaque timuerant: neque nihil etiam ab rege Syriæ propter vicinitatem metuebant) Georgio Cornelio reginæ fratri dant negotium, uti se ad sororem conferat, eique persuadeat, ut relicta regni procuratione reipublicæ, ab urbem revertatur, atque in patria malit, interque suos, quod reliquum est vitæ, secure atque tranquille degere, quam in remota suspectaque insula alienigenis hominibus sese, vitamque suam credere. Cornelius parvulo navigio, ut celerius iter faceret, parte itineris confecta, brumalibus diebus in Cyprum transmisit, & sorori, quam ob causam venisset, exposuit. Novitate rei permota, recusare illa, neque sibi persuaderi velle, *uti regnum opulentum relinqueret, mulier regio victu, regiis honoribus assueta, quæque sciret, quam nullo præcipuo jure, quamque parce in republica viveretur: satis esse dicere, si se mortua, ea insula in reipublicæ potestatem redigatur.*

Georgii fratris suasu regnum Reip. largitur.

Contra Cornelius niti, rogareque, *Ne pluris terram Cypriam, quam natale solum, quamque rempublicam faceret: casus humanarum rerum esse incertos: fieri momento horæ posse, ut regno expellatur, tam potentibus regibus quasi obsessa atque præcincta, ejus insulæ dominationem affectantibus, quamplurimis etiam Cypriis principibus a fœmina sese regi non obscure indignantibus. His eam casibus & periculis una modo re atque consilio pulcherrime ire obviam posse, suum si regnum, quoniam liberis careat, reipublicæ fidei jam nunc vivens florensque commiserit. Dum insidiarum & suspicionum tempora non plenissima fuerunt, eam regno suo frui, non permisisse solum rempublicam, sed etiam uti*

uti frueretur adjuvisse: idque ipsi incundissimum accidisse. 1492
Nunc autem, cum nihil a quoquam tuti sit, cum omnibus a vicinis regibus, atque etiam a longinquis & magno sejunctis atque separatis mari omnes artes adhibeantur, & tanquam retia ei insulæ tendantur, quibus capi & teneri possit: Senatum ad id descendisse, quod unum sibi visum esset omnium impendentium malorum & periculorum remedium: quorum si reliqua ipsa nihil timeret, num illud non perhorresceret, quod, nisi præsidio celerrime comparato insulam Senatus firmavisset, æstate illam proxima Turcarum classis occupavisset, atque ipsam vel fugæ sese dare coegisset, vel captam Byzantium duxisset? quod eam casus aut offensio aliqua compellere, turpiter uti faciat, potest: præstare, id incredibili reipublicæ gratia, suique facti summa cum gloria celebritateque antevertisse. Occasionem esse variam, multiplicem, subitam: non singula hostium consilia provideri semper posse: non semper homines in tempore adesse: inter intimum Adriatici maris sinum, Cypriaque littora multum terrarum, multa maria interesse. hæc illi cogitanda, hæc in primis pensitanda esse. Quod si nulla necessitas urgeat, quid esset tandem aptius atque commodius ad ejus famam nominis sempiternam, quam suæ illam patriæ regnum nobilissimum tradere, ut in annalibus referatur, Venetam rempublicam a sua cive Cypri insulæ opulentissimæ imperio auctam, atque condecoratam fuisse? omni eam in regione nomen regium obtenturam. Si optio ipsius sit, cum tot annos apud Cyprios vixerit, decore eam cupere suis etiam a civibus aliquando, suaque in patria se salutari atque conspici: splendorem suum fratri, sororibus, propinquis, familiæ, demum ei urbi, in qua nata alitaque sit, communicare. Nullius unquam fœminæ, neque etiam viri, tam gratum adventum reipublicæ fuisse, quam ipsius futurum. Quod si Venetiæ abjectum aliquod oppidulum esset, locoque obscuro atque ignobili situm, esse tamen ejus pietatis, atque humani plane animi, quam terra nascens cœlum hauserit, revisere eam velle, seseque suis omnibus tanto post tempore ostendere. at cum sit omnino urbs, omnes alias urbes, quas sol aspicit, prope excellere omnium hominum consensu prædicetur, atque ipsa in Italia omnium sit ejus terræ urbium opportunissima, quidnam esse causæ posse, quamobrem

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1488 *obrem a Senatu atque a republica tanto post tempore invitata, non se eo libentissime conferat? Quod regina sit, quod multos annos secure atque feliciter regnarit, gratiam esse Senatui, a quo id acceperit, referendam: eam gratiam pessime relatum iri, si Senatum, se vocantem, omnibusque honoribus prosequi cupientem, despexerit. Postremo, cum ipse ei frater sit, atque is frater, cui multum illa semper tribuerit: si hoc non impetret, non tam eam adduci non potuisse, ut reipublicæ satisfaceret, quam se noluisse, omnes homines existimaturos: eoque se nomine magnam totius civitatis invidiam subiturum, liberisque relicturum. Itaque flecti se sineret, & cum sibi ipsa in præsentia consuleret, tum in posterum respiceret ad suos. Nihil esse laudabilius, quam secunda fortuna moderate uti, neque in summo semper gradu velle consistere. Deos etiam immortales consuevisse, quibus se diu benivolos præstiterunt, eos aliqua non jucunda re interdum probare, an se homines esse natos reminiscantur. nullas eam preces posse illis gratiores adhibere, nullam potiorem victimam cædere, quam eorum voluntati atque numini sese præsto esse profiteri. Deorum autem voluntatem eam esse existimare nos oportere, quæ patriæ sit, optimeque constitutæ reipublicæ.* Hæc Cornelius cum dixisset, homo apprime eloquens, non doctrina ille quidem, aut sapientiæ studiis, sed naturæ quadam vi liberali atque munere, regina obortis jam lachrymis, ubi primum fari potuit, *Si tibi hoc ita frater videtur, & mihi*, inquit, *videtur: aut, ut videatur, meo animo imperabo: sed magis a te patria regnum meum*
1489 *acceperit, quam a me.* His dictis, constitutoque quid facto opus esset, anno insequente jam inito, classis præfectus legatique re divina facta, in Famagustæ oppidi foro, regina inspectante atque jubente, reipublicæ vexilla erexerunt, Cypriumque regnum in provinciam est redactum. Regina post hæc supellectili regia imposita, Cornelio cum fratre naves longas conscendit, atque ad portus Veneti angustias æstate media appulit: exceptaque ab Augustino Barbadico civitatis principe, & patribus, qui ei obviam ierant, ad Nicolai fanum, quod est in portus littore, magna omnium ordinum, atque adeo omnium hominum in cymbis impositorum prosequentium-

tiumque lætitia, ipsa vecta Bucentauro navi, media inter patres, matronasque nobilissimas civitatis, urbem est ingressa, quod ante id tempus Venetarum fœminarum contigerat nulli: lætissimusque is profecto dies civitati fuit. Asulum subinde oppidum in Taurisanis collibus ei a Decemviris dono datum, atque auri quinquaginta libræ in annos singulos constitutæ pensionis nomine: tum muneris in præsentia decem libræ. 1489

Superiore anno autem (ut ad eas res, quibus de rebus ante dicendum fuerat, revertamur) ne civitatem onerariarum navium numerus, proventusque deficeret, Senatusconsultum factum est, quæ in navibus exterarum nationum mercaturæ causa imponerentur, ea fisco deberi, vino Cretico excepto: pro quo tamen portorii nomine Venetis magistratibus pares amphorarum numero auri semuncias mercatores solverent. tum quicumque navem magnam onerariam fabricandam institueret, uti ei quæstores de triginta auri libris commodarent, eodem Senatusconsulto continebatur. Post hæc cum Tremezeni rex, quod est oppidum Aphricæ non longissime a freti angustiis contra Hispaniam situm, a Senatu per legatos petiisset, uti civem Venetum eo mitteret, qui suis in oppidis tribus jus reipublicæ hominibus diceret, Senatus censuit, quo regiæ postulationi satisfieret, uti magistratus crearetur, eoque mitteretur, ad quem centesima mercium omnium, quæ merces eis in oppidis venderentur, perveniret: estque ad ea oppida omnium primus Aloisius Pizamanus missus. Eodem tempore Senatus jussu in Idri lacus ripa, loco alto atque edito, quo in loco Anfo Brixiani agri vicus est, magni arx operis, crebræque munitiones institutæ, ac tertio confectæ anno, omnem illam oram tutiorem, ac celebratiorem reddiderunt. Eodem quoque anno Decemviri legem tulerunt, ne apete Suffragia inirentur: qui secus feciſſet, suffragiorum jure, magistratibusque annos duos careret. De Græcis item equitibus, qui reipublicæ militiam facierent, lex est lata: qui eorum coloniæ nomine ad insulam Zacynthum ire vellent, uti iis agri publice darentur, in primisque Theo- 1488 *Leges multæ & Senatus consulta.*

doro

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1488 doro Palœologo, ſi eo mittere aliquem ſuorum vellet, propter ejus ſummum in rempublicam ſtudium, ſummam fidem, ſingularemque conſtantiam. Regis etiam Roxolanorum legatio cum precioſarum pellium muneribus ad Senatum venit, petiitque ut ad ipſorum littora reipublicæ onerariæ naves longæ ad mercaturam exercendam mitterentur. Ea de re, propter longinquitatem itineris, navigationiſque tædium atque pericula, quod Mœotis erat palus emetienda, nihil eſt impetratum. Legati, qui duo erant fratres, honorifice accepti, veſte uterque aurea, & auri libra publice donati, Romam profecti ſunt.

1489 Inſequente vero anno, de quo paulo ante dicere incœpimus, Franciſcus Gonzaga, qui Mantuæ regnum a majoribus traditum obtinebat, in reipublicæ militiam conſcriptus eſt: eique Senatuſconſultum eſt miſſum, quo ex Senatuſconſulto equitibus cataphractis trecentis, ſagittariis qui equo uterentur, quadringentis, militibus ducentis & quinquaginta præeſſet. Cum autem Mathias Pannoniæ rex, homo rei militaris ſcientia atque gloria clarus, bellum Federico Imperatori duobus exercitibus intuliſſet, uno in Carnos, altero in Liburnorum fines immiſſo: Senatus vicinitate belli adductus, per Antonium Bolduum, Dominicum Bolanum legatos, illum ad Federicum, hunc ad Mathiam miſſos, eorum regum animos jam exulceratos leniit: itaque induciæ inter eos dictæ.

Federici Cæſaris in Italiam adventus.

Earum induciarum tempore, ſolutus belli occupationibus Federicus Tridentum venit, omnem illum Italiæ tractum, qui a lacu Benaco ad Aquilejam ſecundum Alpes eſt, ſi per Venetos liceat, animi cauſa perluſtraturus. Ea intellecta re Senatus Hieronymum Barbarum, Dominicum Grimanum, qui poſtea Cardinalis fuit, Paulum Triviſanum, Hieronymum Leonem legatos ad eum miſit, qui ei venienti obviam Roveretum profecti ſunt, reiquepublicæ nomine illum ſalutatum exceperunt. eaque poſtea legatio, quoad is in Italia fuit, ei præſto omnibus in reipublicæ locis fuit, atque uti pro copia loco-

corum quam maximi ei honores haberentur, ſtudium & 1489
diligentiam adhibuit. Federicus Benacum primum inviſens, omniaque littora biremi circumvectus, ejus præſertim oræ quæ ad meridiem vergit, aſpectu atque fragrantia, quod eſt pomi medici plena, mirifice exhilaratus, tum aquæ perlucidiſſimæ amœnitate oblectatus, piſcationibuſque delectatus eſt. Capitur eo in lacu prope medio, quaque altiſſima eſt aqua, piſcis clarus *Carpio* ab incolis dictus, pedis plerunque longitudine: qui omnino piſcis alibi non capitur: eum piſcem capere atque cognoſcere Federico voluptati fuit. Veronam deinde, tum Vicetiam, Baſſianum, Tauriſum, Cornelianum, Forum Julii, Aquilejam, Portumque Naonis, qui locus in ipſius ditione eſt, lento itinere pervenit. E Naonis vero Portu tres legatos ad Senatum miſit actum gratias, quod per ejus loca tam liberaliter, tantiſque honoribus ſuſceptus fuiſſet, tamque benivolam in ſeſe civitatis voluntatem cognoviſſet. Ab Aquilejæ finibus ſuum in regnum conceſſit. Eodem tempore ut infantibus vulgo quæſitis, qui publice alebantur, quorumque magnopere numerus excreverat, largius uberiuſque eſſet, in Senatu lex eſt perlata, ut navalium urbanorum magiſtratus in annos ſingulos tritici molita *ſeſtaria*, quæ appellant, ducenta, vini amphoras duodecim eorum curatoribus darent: iiſque rebus ex reipublicæ horreis, ſylvæ cæſæ ad ignem domeſticum carros ducentos eorum præfecti adderent. Terruit non multo poſt civitatem, quod ad diem tertium idum ſextilis duæ turres omnium, quæ in urbe eſſent, maximæ atque altiſſimæ, noctu de cœlo tactæ conflagraverunt, culminibus incendio late ſpectabili abſumptis: una quæ in foro eſt, cujus erat culmen inauratum, altera quæ eſt media in urbe ad Franciſci. Senatus poſt hæc legibus aliquot promulgandis operam dedit, quæ leges ad portoria urbis conſervanda pertinerent. Etiam in Mariæ clarum miraculis, unde ei nomen eſt, templum exædificatum jam eo luculentiore opere, quo ipſum anguſtius eſt, ut ejus artificii elegantia & ſonaptus aliorum temporum magni-

Benaci deſcriptio.

Mariæ miraculorum ædes & cœnobium.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1489 tudinem exæquarent, extremo anni die virgines inductæ sunt.

1490 Anno insequente, quod in urbe sævire pestilentia cœperat, triumviros sananda civitate Senatus creavit: isque postea magistratus nunquam est creari desitus. Eo anno cum increbruisset rumor, Bajasetis regis classem non multarum navium in Aegæum provehi, ut Nicolaum Sumaripam e Paro insula, quam obtinebat, expelleret, eaque potiretur: Nicolaus Capellus legatus cum triremibus quatuor Zacynthum contendit, ei præsidio, si opus esset, futurus. Sumaripa ubi adesse legatum cognovit, insigne Venetum sustulit, seseque reipublicæ addixit. Neque multo post Joannes Cernoichius, cujus erat magnum in Illyrico nomen, magna auctoritas, legatos ad Senatum misit, cupere sese, ut Georgius filius suus Antonii Erici senatoris filiam in matrimonium duceret: petere, ut sibi id facere Senatus voluntate liceret. Ea de re consultus Senatus censuit, uti nuptiæ fierent. Erat eo tempore Antonius reipublicæ nomine Ferrariæ magistratus, qui Prodominus appellabatur: itaque facta potestate ad urbem venit, Georgio filiam spondet. Ea dum per legatos in Illyricum traducitur, pater moriens filio regnum tradit: ita nuptiæ inter lachrymas & gratulationem concelebratæ, clariorem exitum habuerunt. Guidus Maria Rubeus paulo post Venetiis moritur magno totius civitatis dolore: funus ei publice atque magnifice factum, laudatusque a Sabellico est. Ejus stipendium, equitumque numerus. duobus ejus liberis æquis partibus distributus. Eodem anno tametsi pacata neque ullo bello implicata esset civitas, rei militaris tamen studium non neglexit. Invaluerat jam in bellis consuetudo, invento Germanorum nobis tradita, ut milites fistulis ferreis uterentur: quibus fistulis glandes plumbeas magna vi ignis impetu mitterent, atque hostem e longinquo vulnerarent. Eæ erant fistulæ ad formam atque imaginem eorum tormentorum, quibus muri oppidorum dejiciuntur, nisi quod illa ex ære fusili fiunt, maximique sæpe sunt ponderis, ut carris so-

Guidi-Mariæ Rubei interitus.

Scloporum usus ex Germania in Italiam traductus.

lidis-

lidissimis ferratisque ac magno jumentorum numero egeant, 1490
quibus sustineri atque regi possint. Fistulæ e ferro sunt, gestanturque singulis ab militibus singulæ ligneis alligatæ armamentis, per quæ capiuntur, & pulvere ad ignem celeriter comprehendendum idoneo infarciuntur, & glande immissa humeris sublatæ in hostem convertuntur. Eo telo qui uti scirent, ut reipublicæ suppeterent, peritissimos ejus rei homines undique conquisitos accersitosque, Decemviri suas ad urbes miserunt, qui juventutem instituerent: atque ut agrestes maxime homines id armorum genus docerentur, singulis in vicis pagisque uti duo puberes ei artificio assuefierent, edixerunt: atque iis omnium onerum immunitatem concesserunt, quo studiosiores & diligentiores unum ad id munus obeundum reliquis liberati oneribus ac tributis fierent: eosque puberes die dicta ad suum quosque oppidum quotannis signo glande feriendo convenire voluerunt: qui vicisset, ejus toti pago aut castello vacationem esse munerum annuam, eo excepto munere, quo ad Medoaci fluminis derivationem tenebantur, imperaverunt. Inter hæc cum antea fures domestici lege antiquitus instituta pœna multo leviore plecterentur, quam ii, qui eandem domum non incolerent: qua ex re fiebat, uti aucta servorum & inquilinorum audacia, omnibus pene in domibus furta exercerentur, majoribus in comitiis mense sextili lex est perlata, qua lege eadem esset in servos reliquosque fures contubernales pœna constituta, idem jus, qua pœna, quoque jure in alienos exteroſque fures animadvertere civitatis magistratus consueverant.

1491 At ea quæ subsecuta est hyeme, tantus tamque perpetuus invium rigor fuit, ut omnia urbis æstuaria congelaverint, neque pedibus modo, sed in equis etiam homines ex agris ad extremum urbis marginem commeatibus importandis sine periculo ventitarint. magistratusque Mestrinus ad Secundi fanum, quod est in mediis ad urbem vadis, curru pervenerit. quibus quidem diebus etiam in media latissimaque urbis via, per quam unam naves onerariæ magnæ permeant, constricto glacie mari, niveque superad-

Glacies mira in Venetis æstuariis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1491 dita, admiſſis per ludi ſpeciem equis, Græci haſtati equites concurrerunt. Vini, ficus, oleæ, anni aliquot intra Alpes, Atheſimque atque Padum flumina, exuſtis ſuper terram arboribus, proventum anguſtiorem habuerunt. Vere inſequente Innocentius Pontifex Maximus per ſuos internuncios ejuſmodi ſententiam Tridenti pronunciavit: *Quod Veneti a Sigiſmundo laceſſiti bello Rhetico ſe defendiſſent, impenſaſque magnas eo in bello feciſſent, Nomium & Ivanum caſtella jure ab iis capta atque retenta ſibi videri.* A Senatu tamen petiit, *vellet ea ipſa Sigiſmundo ultro reddere:* id ſe propterea cupere oſtendens, ne pax inter ipſos inita, ea de cauſa violaretur. Cujus auctoritate moti patres, præſidiis abductis, Nomium & Ivanum Sigiſmundo reſtituerunt. Obiit per eos dies mortem Romæ Marcus Barbus Pauli ſecundi Pontificis Maximi fratris filius e Cardinalium collegio, vir & doctrina, & probitate, & ſanctitate vitæ, & Romanorum civium gratia egregie inſignis: quique comitiis pontificalibus Sixti morte habitis, parum abfuit quin a collegio ſummum locum adipiſceretur. Eo mortuo Innocentius Patriarchatum (ſic enim appellant) Aquilejenſium, quem is multos annos obtinuerat, Hermolao Barbaro legato apud ſe Veneto attribuit. quod ubi civitas intellexit, tametſi Hermolaus ad Senatum ſcripſerat, coactum ſe a Pontifice veſtem ſenatoriam mutaviſſe: quoniam tamen ſacerdotiis cooptari cives Veneti, qui legati Romæ eſſent, lege prohibebantur, graviter tulit auſum illum contra leges patrias facere. Auxit ejus rei magnopere invidiam, quod antea ex Hermolai literis, quas ad Senatum de Barbi morte dederat, more inſtitutoque majorum comitiis ſenatoriis præjudicium patres fecerant, cujus ipſi civis nomen ad id adipiſcendum ſacerdotium Innocentio commendarent: itaque deceptos in eo ſeſe ac prope deluſos querebantur. Erat omnino Hermolai, propter ejus ſummam in literarum atque optimarum artium ſtudiis præſtantiam, magnum apud exteras nationes nomen, apud ſuos quidem certe maximum: nam ad doctrinæ ſingularem opinionem etiam

Marci Barbi Card. obitus.

VI. vel VII. id. mart.

Hermolaus Barbarus Aquilejenſis Patriarcha eligitur ab Innocentio.

vitæ

vitæ perpetuam innocentiam adjunxerat: ſimul is multum patris opibus, & gratia, qui ſummo proximum in civitate magiſtratum gerebat, multum clientelis, neceſſitudinibus, propinquitatibuſque pollebat: quibus tamen in rebus omnibus ſatis ſibi præſidii non habuit, cum pluris a patribus una legum charitas majeſtaſque quam ullorum civium omnibus aucta nominibus dignitas atque claritas, fieret. Decemviri enim literas ad eum ſevere ſcriptas dederunt; mora omni excuſationeque ſublata, ſacerdotium repudiaret: id ſi non faceret, patrem magiſtratu remoturos, & bona ejus publicaturos præ ſe tulerunt. At pater, perſpecta civitatis voluntate, omnibus tentatis rebus, cum jam eam flecti & leniri poſſe diffideret, ægritudine animi eſt mortuus. Filius non molto poſt Romæ, editis Plinianis caſtigationibus, immenſi prope laboris opere, privatus plebejo morbo periit. eum vitæ finem Hermolaus habuit, omnium ex ſua civitate, qui ante illum nati eſſent, Latinorum & Græcorum literis plane doctiſſimus. 1491

1492 *Zachariæ Barbari, Hermolai patris, mors menſ. Decemb.*

1493 *& Hermolai menſ. jul.*

Eo tempore ab Hieronymo Marcello literæ Byzantio venerunt: erat is Venetus eo in oppido vetere conſuetudine magiſtratus: quibus literis Marcellus Senatum certiorem faciebat, ſibi ab rege imperatum ſtatim Byzantio diſcederet: ejus rei cauſam fuiſſe, quod rex diceret Marcellum ſuis de rebus & conſiliis ad Senatum ſcripſiſſe: velle ſe atque decreviſſe, poſthac ſuo in oppido ei magiſtratui locum non eſſe: fœdere tamen, quod cum Venetis haberet, uti antea tenebatur, ſeſe teneri. His de cauſis Senatus ad regem Dominicum Triviſanum legavit, qui prima ad navigandum idonea tempeſtate proficiſceretur. Neque multo poſt, anno inſequente vix inito, regis legatus ad Senatum venit, expoſuitque patribus, quas ob cauſas Bajaſetes magiſtratum eorum Byzantio removiſſet: erant autem fere illæ ipſæ, de quibus ad Senatum Marcellus perſcripſerat: adjunxitque illud idem etiam omnibus aliarum nationum magiſtratibus fuiſſe denunciatum, quod Rex Marcello imperaviſſet. Iiſdem diebus antequam menſis januarius decurreret, ornandi eos cives cauſa, qui 1491 1492

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1492 qui pro patria mortem oppetiiſſent, Senatus decrevit, uti Damiani Mauri ejus claſſis præfecti, quæ prior bello Ferrarienſi Padum flumen eſt ingreſſa, hoſtium caſtellis aliquot in ripa fluminis vi captis, bellicis ex laboribus mortui, duabus filiis dotis nomine quadraginta auri libræ ex publica pecunia darentur: ſacerdotii autem nomine, ſi ei vitæ ſe dederent, ſenæ libræ. Poſt dies paucos, cum eſſet nunciatum, Bajaſetem regem claſſem & exercitum parare, Senatuſconſultum eſt factum, uti ſexdecim triremes naves, alteraque navis oneraria magna reipublicæ quæ ad anchoras erat deligata, confeſtim ornarentur: altera quæ aquam non tetigerat, deduceretur, atque inſtrueretur. Sed eo tamen anno eis navibus reſpublica non eſt uſa, claſſis exercituſque comparatione a Bajaſete penitus intermiſſa.

Quadragintavirale novum conſilium.

Neque multo poſt majorum comitiorum lege, quam Lucas Piſanus conſiliarius tulit, quadragintavirale judicium tertium duobus prioribus eſt additum. Nam ſunt in urbe magiſtratus duo, quos appellare in civilibus actionibus licet: unum ab judicibus urbanis, alterum ab iis qui publice in oppida atque provincias ad jus dicendum mittuntur. Ii tamen ipſi per ſe magiſtratus nihil ſtatuunt, niſi de minimis quibuſdam rebus. ſed ante eum diem ad alterum tantummodo eorum duorum judiciorum quadragintaviralium, quæ antiquitus ſunt inſtituta, res ab aliis judicatas deducebant: illi ſententias ferebant, quibus aut probarent, quæ deducebantur, aut reſcinderent: eas ratas haberi oportebat. Alterum judicium vitæ neciſque habet poteſtatem: aliuſque ad eos judices magiſtratus cauſas defert. Illud igitur judicium quadraginta virum ex duobus, apud quos ex provocationibus, quæ ad duos illos magiſtratus fiebant, diſceptabatur, cum actionum & cauſarum multitudini non ſufficeret, tertium ſimile ita eſt inſtitutum, ut veteri illi alteri ab urbanis judicibus, huic recenti & novo ab exteris interpoſitæ judicibus appellationes proponerentur. ea re provocantium querelis aditus, & juris perſecutio duplo facilior & expli-

plicatior eſt facta. Aliam etiam magnopere utilem civitati legem majoribus comitiis Antonius Tronus conſiliarius paucis poſt menſibus tulit: qua lege ferendorum ſuffragiorum nimiam creandis magiſtratibus licentiam, quæ ferri jam non poterat, facile ſuſtulit. Porro ante id tempus ſuffragiorum ferendorum ratio erat ejuſmodi. Loculi lignei tornatiles pedis altitudine bini, civibus per ſubſellia conſedentibus, alter praſinus, albus alter afferebantur. Eorum loculorum ſuperiore parte detecta, patulaque, uti manus inferri poſſet, media in anguſtum atque arctum pars contrahebatur eouſque, ut uni modo ſuffragio viam interius daret, extrinſecus ad circumferendum captu multo eſſet etiam habilior. Infima erat pars plurimorum ſuffragiorum capax: eaque detrahi, atque reponi poterat. detrahebatur autem numerandorum ſuffragiorum cauſa. In eorum loculorum utrum quiſque vellet ſuffragium inferebat. Id erat glandula parvi pomi ceraſi magnitudine, ex tela facta, non quidem ſolide compacta atque firmiter, ſed conſuta leviter, quod, in quem cecidiſſet loculum glans, ſentiri poſſe nolebant. Itaque pugno etiam clauſo manum lege in utrunque loculum demittebant, ut ea quoque recognoſci non poſſet; quo in loculo ſuffragium eſſet relictum. Nam quæ album in loculum glandulæ cecidiſſent, eæ candidato favebant: quæ in praſinum eſſent conjectæ, iis glandulis candidati repellebantur. Hæc cum ita eſſent antiquitus conſtituta, ambitio, cui plane locus omnibus in rebuſpublicis ſemper fuit, eo licentiæ creverat, ut qui ſuorum aliquem creari magiſtratum volebat, & ipſe ſummis prehenſam digitis glandulam album in loculum palam projiceret, & qui ei proximi erant, idem uti facerent, poſtularet. Illi candidatorum veriti invidiam, non ſuo plerumque judicio, ſed ad gratiam ſuffragium aperte ferebant: ea re fiebat, ut indigni ſæpe homines, propterea quod vlus aut opibus, aut propinquitatibus, aut omnino clientelis valuiſſent, bene de republica meritis optimiſque civibus anteferrentur, magiſtratuſque adipiſcerentur boni rejecti ac repulſi ja-

1492 *Lex de ſuffragiis ferendis.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1492 si jacerent. Eam ad perniciem atque malum cum plures latæ leges nihil profuissent, uti e civitate tolleretur, una omnino Antonii legislatio saluti atque decori civibus fuit. Nam qui bini ad eam diem loculi patuli atque aperti, binos erant per ministros publice circumferri soliti; eos & a superiore tectos parte, & una conjunctos, inter seque continentes fieri statuit oportere: iisque ambobus sic connexis & conglutinatis, unum tantummodo in superiori parte laterorsum os dedit, eique ori tubum prominentem circumduxit semipalmæ spatio, ad interiores loculorum aditus obtegendos: quem per tubum recta utrunque ad loculum manus inferri apte posset. rursus eorum loculorum prior, tuboque proximus is collocabatur, cujus loculi glandulæ candidatos rejiciebant. Id ea causa excogitaverat Antonius, ut si quis aliter atque ipsi liberet, suffragio ferendo cuipiam favere cogeretur, is, dum manum per tubi os ad posteriorem loculum protenderet, quod is esset loculus cujus suffragia magistratum crearent, apertis clam digitis in anteriore sineret loculo glandulam decidere. Ita cives unum simulando, alterum dissimulando, illud re, quod cuique esset prius, audacter efficerent, neque deprehendi aut cognosci posset quid fecissent. Ea lege post id tempus civitas majoribus in comitiis, atque in Senatu, & Decemvirum collegio creandis magistratibus semper est usa: liberumque illi judicium ab gratia atque invidia semper fuit. tametsi capitalibus, cæterisque omnibus in judiciis, uti, si cui non liqueret, is eo deferri posset, tertium etiam loculum adhibuerunt, eumque sejunctum a duobus atque separatum esse voluerunt.

Neque vero minus Decemviri ante anni exitum alia ex parte surgentem malorum civium ambitum severo judicio repressérunt. Erat in quadraginta viris rerum capitalium judicibus, qui omnes in Senatu adhibentur, Gabriel Bonus, eorumque magistrum gerebat. Creantur autem semel a collegio magistri numero omnes duodecim. Eorum magistrorum tres bimestre tempus apud Principem omnibus rebus præsunt: habentque cum in senatu, tum vero etiam majoribus in comitiis ferendi leges potestatem. post eos tres, item alii ex eodem numero tres eodem loci tantundem temporis præficiuntur, usque eo quoad octo menses abeunt, quod est ejus collegii temporis universum spatium. Eo cum esset in magistratu Gabriel, Franciſco Falerio auctore, Principi & reliquis ex ejus collegio patribus legem a se scriptam proposuit, qua lege civibus omnibus, qui re familiari angusta uterentur, quadraginta annos natis, auri libra singulatim ex publica pecunia quotannis daretur, qua se stipe honestius, liberosque suos alerent: qui intra eos annos nati essent, annum autem vigesimum quintum excederent, ii semilibram eodem nomine acciperent. Eam ipse legem ferre ad Senatum majoraque comitia statuerat: itaque ut consultis Patribus ferretur (id enim fieri aliter non poterat) eis tradiderat legendam. Patres ubi legem inspexerunt, quæ morem improbi exempli in rempublicam induceret, ut unus temere civis tantum pecuniæ publicæ cæteris civibus elargiretur: idque nulla alia de causa eum & Falerium esse aggressos animadverterent, nisi uti civium gratiam ad magistratus adipiscendos aucuparentur: Principi negotium dederunt, ut utroque ad se vocato, eos moneret, ne quod amplius ea de lege verbum facerent. Illi cum dies aliquot silvissent, multorum autem civium, quorum vitæ lex erat opportunissima, vocibus increparentur, suam ipsorum dignitatem ab eis negligi: si legem ferrent, sese quos vellent magistratus adepturos, principesque civitatis vestigio futuros: ut si quid ejus facere possent experirentur, curam & studium adhibuerunt. Ea re ad collegium delata, Decemviri Gabrielem Bonum, & Franciscum Falerium statim comprehensos, atque in vincula conjectos, in Cyprum insulam deportandos curaverunt, pœna capitis adjecta, ab oppido Nicosiensium uno tempore si emigravissent. Binos autem scribas fisci reipublicæ, quibus illi usi fuerant ejus legis consultoribus, & tanquam administris, in Cretam insulam exulatum miserunt, eadem eis pœna

Gabrielis Boni legislatio.

1492

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1492 pœna propoſita ab Rhytymna Cretæ oppido diffugientibus. Atque hoc omnino Decemviri gravioris animadverſionis eſſe judicium voluerunt, non tam quidem ut de iis ſupplicium ſumerent, qui legem, tametſi pernicioſam, nequedum tamen ad Senatum tulerant, poterantque per ſe ab ea re deſiſtere, quam ut reliqui etiam cives ab ejuſmodi quicquam in poſterum cogitandi conſilio ſimilis timore pœnæ duorum civium exemplo abſterrerentur.

Laurentii Medices obitus V. id april. & Innocentii Pontificis. VIII. kal. aug. Alexander VI. Pontif. III. id. aug.

Ejuſdem anni vere Laurentius Medices Florentinus, excellenti vir ingenio, qui principatum in ſua civitate obtinebat, vita functus eſt. æſtate media Innocentius. Ille tres reliquit liberos, qui omnes brevi tempore & principatu & civitate ejecti, exulatum abierunt. Hujus locum Alexander Borgia Valentinus, opibus & largitione nixus tenuit. atque hoc plane tempore civitas prope quievit. Inſequente autem jam in ver progreſſo anno, ut firmatis inter ſe trium maximarum Italiæ civitatum rebus tempora etiam pacatiora fierent, ab Alexandro Pontifice Maximo & Venetis, & Joanne Galeatio adoleſcente regnum in Mediolanenſibus obtinente, auctore Ludovico patruo, qui civitati ejus nomine præerat, fœdus in XXV. annos percuſſum, atque uno eodemque die ab ſingulis concelebratum eſt: quo quiſque fœdere ad reliquorum ſociorum ditiones defendendas, hoſteſque propulſandos teneretur. Et quod erat ea tempeſtate Romæ Giemes Sultanus, Bajaſetis regis frater, homo magni inter ſuos nominis, qui ab eo armis regno pulſus Rhodum confugerat: Rhodii, ne bellum in ſe converterent, eum ad regem Galliæ, rex ad Innocentium rogatu ejus miſerat: itaque is ab Alexandro adhibitis cuſtodibus aſſervabatur, cum ne fratri renovare bellum poſſet, cujus rei cauſa quadringentæ ab eo auri libræ quotannis Pontifici dependebantur, Romamque mittebantur: tum ut eo nomine Bajaſetem a bello Chriſtianis inferendo abſterreret. Eſt in fœdere additum, ut ſi Veneti armis a Bajaſete laceſſerentur, Alexander eis Giemem traderet, cujus auctoritate atque gratia contra illum uti poſſent. Ei fœderi Herculeſ

1493 *Fœdus inter Pontificem, Venetos, Mediolanenſium, & Ferrarienſium duces.*

1493 *Leonoræ, Herculis. Ateſtini conjugis, cum filiis Venetias adventus.*

les Ateſtinus Dux princepſque Ferrarienſium, Ludovico ſuadente, paucis poſt diebus ſe adjunxit. His confectis rebus, cum prope omnia ſpectare ad quietem viderentur, Leonora Ferdinandi regis Neapolitani filia, Herculis Ateſtini uxor cum duabus filiis, altera Ludovici, altera Franciſci Gonzagæ uxore, atque Alfonſo cum filio, & ejus uxore Anna Joannis Galeatii ſorore, conſcenſis ad Padi ripam navibus ſecundo flumine in æſtuaria, Venetiaſque ſe contulit, ut urbem læto illo tempore inviſerent: quibus quidem fœminis uti quamampliſſimi honores haberentur, Senatus decrevit. Itaque & obviam eis publice itum in Bucentauro navi, qua in navi a magna Senatus parte atque a matronis centum triginta, tota pene civitate circunfuſa, atque adnavigante, ſunt exceptæ: & per eos dies, quos in urbe confecerunt, nullum eis genus publicæ voluptatis aut liberalitatis defuit: nam & choreæ electiſſimarum fœminarum a principum liberis in comitio celebratæ ſunt, & bellaria magni & operoſi ſumptus data, & ludi tota urbe, certaminaque multifariam edita. Quibus ex omnibus unum novum civitati fuit, ut complures cymbæ, quibus in ſingulis quatuor fœminæ remigarent, curſu propoſitis præmiis contenderent. quo in certamine prope mira res accidit: quæ a civitate animadverſa, diei ſpectaculique lætitiam & hilaritatem conduplicavit: ut quemadmodum Leonora duabus cum filiis & nuru aderat, quarum cauſa ea fiebant, ita cymba, qua in cymba mater cum duabus filiis ac nuru remos impellebat, vicerit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN LIBRUM SECUNDUM C. AUGUSTINI CURIONIS EPITOME.

NEapolitani belli, a Carolo VIII. Galliæ rege gesti, initium & causſæ. Aquarum maxima in Gallia citeriore inundatio. Judicia quædam Venetiis facta. Caroli ad Venetos legatio. Naxii in reipublicæ Venetæ fidem accepti. Ferdinandi senioris Neapolitani regis obitus. Inter Alfonſum Neapolitanum regem & Alexandrum Pontificem colloquium & fœdus. Classis contra regem Thracium apparatus. Florentinorum ad Senatum pro consilio petendo legatio. Scardona & Clissa se sponte Venetis subjiciunt. Caroli regis in Italiam adventus. Joannis Galeatii Mediolanensium ducis obitus. Petrus Medices Florentia pellitur. Caroli regis in Italia res gestæ. Bajasetis legatus a Senogalliæ principe violatur. Venetorum longæ naves in Britanniam missæ fluctibus absorbentur. Alfonsi regis Neapoli discessus, ejusdemque obitus, cui Ferdinandus filius in regno succedit. Giemis Sultani obitus. Ferdinandi regis Neapolitani fuga: & Caroli ingressus. Turcarum ex Galliæ regis victoria metus. Hispaniæ regum ad Venetos legatio & classis in Siciliam missa. Federici Cæsaris obitus. Maximiliani regis ad Senatum legatio. Fœdus inter Venetos, Pontificem, Hispaniæ reges, Ludovicum Sfortiam, & Maximilianum contra Carolum regem initum. Novaria ab Aloisio Gennabensi capitur. Caroli regis ex regno Neapolitano discessus. Venetorum atque sociorum contra Carolum apparatus. Pugna ad Tarum. Res in Liguria cum Gallis gestæ. Eorum, qui fortiter pugnarant, ratio a Senatu habita. Veneti, Mediolanenses, & Ligures e Caroli imperio exules fiunt. Novariæ per socios obsidio. Pax inter Ludovicum Sfortiam & Carolum regem facta, ejusque leges. Contareni de Ludovico Sfortia interficiendo consilium. Caroli in Galliam reditus.



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE

LIBER II.

VIx eæ mulieres domum redierant, cum ab Carolo rege Galliæ, ejus nominis octavo, certus homo ad Senatum venit, cujus oratio ejusmodi fuit: *Quoniam Carolus in Italiam cum exercitu sit venturus ad regnum Neapolitanum, quod ad se jure hæreditario spectaret, in suam potestatem redigendum: scire eum cupere, quo in se animo civitas esset futura: vellet ne, qua in amicitia & necessitudine adhuc quidem egregia & constanti secum fuisset, in ea etiam in posterum manere.* Civitas nova intellecta re, quæque magnam rebus Italis commutationem afferre allatura videretur, consulto Senatu, ne regi in se invidiam prima omnium excitaret, præsertim cum fieri posset, uti is vel per sese, ut sunt plerumque hominum mobiles ad omnem ferme impetum animi, ab incepto desiste- 1493 *Caroli VIII. regis ad Venetos legatio.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1493 ſteret : vel difficultate atque magnitudine belli gerendi adoleſcens, neque rei militaris gnarus, abſterreretur: vel aliqua interpoſita mora, atque a cæteris regibus impedimento explicare ſe non poſſet: reſpondit, *ſe quidem omni tempore pacem bello prætuliſſe, optareque ut & ipſe quieſceret, & reges principeſque Italos quieſcere permitteret: ſed ſi veniat, ea de cauſa nihil moturam, neque ab ejus amicitia receſſuram*. Pero (id enim erat ei nomen) accepta civitatis voluntate Romam abiit: eumque alii poſtea regis interpretes duo paucorum menſium ſpatio cum eiſdem fere mandatis ſeparatim ſunt ſubſecuti: quibus interpretibus idem eſt reſponſum datum, quod Pero ante acceperat. Sed omnino ad eam belli ab rege capeſſendi cauſam, quæ ab illis prædicabatur, quod ei regnum Neapolitanum hæreditatis nomine deberetur, etiam aliæ cauſæ accedebant: ex quibus una hæc fuit. Galeatio Sfortia, qui Mediolani regnum obtinebat, complures ante annos per inſidias interfecto, Ludovicus frater, uxore Galeatii e regni procuratione (quam illa, ut Joanni Galeatio filio ſuo admodum parvulo, in fide atque officio civitatem contineret, poſt viri mortem ſuſceperat) reliquiſque adminiſtris paulatim dejectis, ipſe ſe ei rei præpoſuerat, annoſque treſdecim præfuerat: fratris autem filium, cui ſe regnum procurare præ ſe ferebat, ita porro aluerat, iiſque moribus inſtituerat, ut omnem curam videretur adhibuiſſe, ne puer ullam ad frugem perveniret: non rei militaris, non literarum ſtudia, non denique artem ullam & diſciplinam regiam edoceri illum voluerat, adhibitis etiam ad puerile ingenium depravandum corruptoribus, quorum ille convictu in omnem luxum atque inertiam aſſuefieret. Ei nondum plane puberi Alfonſus Ferdinandi regis filius Iſabellam filiam in matrimonium collocaverat, ex eaque is etiam liberos procreaverat, ad regni tamen ſui gubernaculum a patruo nullam in partem admittebatur. Id cum graviter ferret non Alfonſus modo ſocer, aſſiduis prope filiæ literis lachrymiſque permotus, ſed multo etiam magis avus Iſabellæ Ferdinandus,

Neapolitani belli cauſſæ.

dus, primo petere a Ludovico cœperunt, vellet pro ſua 1493
fide atque juſtitia fratris ſui filio non adulto modo atque firmo, ſed etiam plane jam viro, atque adeo duorum filiorum patri, aliquando tandem regnum tradere, ſuique illum imperii, ſuarum rerum compotem facere. Ea poſtulatio cum ſæpius interpoſita nihil profuiſſet, gravioribus apud illum expoſtulationibus & querelis non ſemel egerunt: poſtremo eo rem deduxerunt, ut dicerent, ſeſe illum bello perſecuturos, ni Joanni Galeatio, qui cum affinitatem, uti cum rege, contraxiſſent, regiam poteſtatem remitteret. Horum ille regum minas atque potentiam veritus, ne tam amplæ civitatis principatum atque imperium ulli tradere cogeretur, quod ſuum unius efficere in animo magnopere habebat, filiiſque ſuis relinquere, cum intelligeret Galliæ regibus in regnum Neapolitanum jus eſſe, celatis ea de re Alexandro Venetiſque quibus cum paulo ante fœdus percuſſerat, ad ſpeciem ſalutandi regis, legationem maxime celebrem ad Carolum miſit, hortatum, ut id bellum ſuſciperet, ſuaſque illi opes, copiaſque pollicetur: facillimum factu eſſe, modo Alpes trajiceret, atque in Italiam ſe oſtenderet, eo regno potiri. Ea tanti hominis hortatio apud Carolum momenti plurimum habuit. Altera fuit ejus rei cauſa in Antonio, qui Salernum a majoribus ſuis traditum obtinuerat. Is cum ob Ferdinandi regis inimicum in ſeſe animum ſedibus patriis exceſſiſſet, ſeque in Galliam ad Carolum contuliſſet, prope quotidianis eum ſermonibus admonebat, ut tam propriam regni opulentiſſimi capiendi oblatam ſibi a diis immortalibus facultatem, ne prætermitteret. Ferdinandum hominem eſſe avarum, crudelem, nulla fide, nulla juſtitia: omnes ejus regni principes, omnes populos illum odiſſe: facilius eſſe negotii rem, eum regno expellere, præſertim Galliæ regibus, quorum nomen atque auctoritas illis in regionibus maxime omnium tum vigeret, fueritque semper plurimi. Alexander etiam Pontifex Maximus moleſte ferens Virginium Urſinum ejus familiæ principem, actum eſſe a Franciſco Cibo

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1493 Cibo, Innocentii Pontificis ante ſe Maximi filio, oppidum Anguillariam in Sabatini lacus ripa, quod erat in Pontificum Maximorum ditione, abeſtque ab urbe XVI. millia paſſuum, nulla facta ſibi ab ipſo ejus rei poteſtate, coemiſſe: quoniam Virginius a Ferdinando fovebatur, ne quid facere invitus cogeretur: Carolum & ipſe ad id ſuſcipiendum bellum hortabatur, vindicandi ſeſe de adverſo ſuis rebus ſuæque dignitati rege cauſa. Quas ad res omnes etiam illud adjungebatur, quod ex Gallis principibus iis, qui apud Carolum auctoritate gratiaque pollebant, nonnulli rerum Italicarum, Romanique Pontificis, qua erat iter faciendum, occaſione ampliſſimis ſacerdotii dignitatibus ſeſe iri auctum, & honeſtatum confidebant: alios exercituum, & regendorum populorum, quos eſſent ſubjecturi, ſpes & cupiditas incendebat. multi etiam ſua levitate & novarum rerum ſtudiis movebantur, ut regem ad profectionem impellerent.

Interim autumni menſibus tota fere citeriore Gallia ejuſmodi tempeſtates, tamque continentes pluviæ fuerunt, ut in Bergomatium finibus aqua denos quinos pedes præter conſuetudinem excreverit, ædificiiſque quamplurimis dirutis, ac pontibus lapideis abreptis, magnum puerorum & mulierum, magnum etiam virorum numerum repentino impetu oppreſſerit. Neque in Brixianorum finibus flumina non ingentem ſtragem ediderunt. Atheſis quidem cum Veronæ urbis magnam partem pervaſiſſet, & complures domorum parietes ſubruiſſet, etiam pontem firmiſſimum medio in oppido dejecit. Medoacus & ipſe ripas non uno loco tranſgreſſus, optimam Patavini agri partem illuvie vaſtitateque fœdavit. Padus omnino utriuſque ripæ vicinitates ita eſt depopulatus, ut omnia luctu & mœroribus impleverit. atque hanc quidem eſſe quaſi deorum immortalium ſignificationem, quæ Gallorum in Italiam adventum portenderet, omnes pene homines interpretabantur, & prodigii loco ducebant: erantque permulti, qui maxime ad Venetos, quod eorum regionibus & oppidis aquæ magnum detrimentum intuliſſent,

Ingens fluviorum exundatio in Gallia ciſalpina.

ſent, eam rem, atque id prodigium exiſtimabant pertinere. Ordo rerum me admonet, ut duo civitatis judicia hoc ipſo facta tempore ſilentio ne obruam. Erat in civium nobilitate Joannes Georgius, homo ferox, nullaque pietate, qui ab Antonio Bernardo Tauriſanorum prætore ob maledicta in deos, aliaque ſcelera exul ejus oppidi factus fuerat, damnatuſque ut ſi eo rediret, lingua ei amputaretur, manuſque altera præcideretur. Is Tauriſum alio prætore cum revertiſſet, virginemque vi adhibita violaviſſet, Decemviri miſſis illo ſuis rerum capitalium miniſtris atque vindicibus, Georgium comprehendi, deque eo Antonianum ſupplicium medio in foro ſumi juſſerunt: eo ſumpto, Venetias adductum in Cretam deportari mandaverunt. Neque multo poſt Antonius Bolduus Triumvir ex advocatis reipublicæ Dominicum Bolanum Candiani filium collegam ſuum accuſatum acceptæ eo in magiſtratu ab reis & litigatoribus pecuniæ ad Senatum detulit. Cum Senatus eum comprehendi, atque ex vinculis cauſam dicere juſſiſſet, ille autem fuga ſe judicio eripuiſſet, abſens damnatus eſt, ut intra menſem ſe carceri dederet, Caniam Cretæ oppidum exulatum deportandum: quod ſi non faceret, comprehenſo cervices abſcinderentur, bonaque publicarentur, magnis propoſitis præmiis iis, qui eum aut vivum magiſtratibus tradidiſſent, aut ipſi occidiſſent.

Poſt hæc de adventu Gallorum fama percrebreſcente, ac Ferdinando rege exercitum & claſſem ad hoſtes repellendos comparante, atque omnibus Alexandrum Pontificem Maximum pollicitationibus, ut ſuarum partium eſſet, ſollicitante, Ludovicus veritus, ne ſi inter eos conveniſſet, Ferdinandus, præmiſſis in Galliam ſuis & Alexandri celeriter copiis, e regni eum procuratione atque faſtigio ante Caroli adventum expelleret, ereptamque filii ſui genero dignitatem atque imperium reſtitueret: a Senatu petiit, ut quos haberet milites equiteſque, ad Ollii fluminis ripam, quod eſt in Brixianorum finibus, juberet proficiſci, uti regem eo eundo conſilio abduceret:

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1493 ret: aut, si id non posset, ipsi flumen transirent; seseque tuerentur. Ea re a Senatu non impetrata, quod diceret, sibi id necesse ejus tam firmis rebus non videri, iterum ad Carolum legatos misit rogatum, ut maturaret Alpes transmittere: sese ei de pecunia commodaturum, suasque copias cum illo conjuncturum, ubi primum terram Italiæ attigisset. Carolus, qui plures jam menses in ea modo prædicatione consumpsisset, velle se Neapolim armis suam facere, atque iis, qui apud illum plurimum poterant, partim bellum suadentibus, partim dissuadentibus, nihil etiam nunc constituisset, quod pro firmo atque certo haberetur: acceptis Ludovici tum hortationibus diligentioribus, tum pollicitis; fœdus cum Ferdinando & Elisabeta Hispaniæ regibus percussit, nonnullis eis oppidis in Pyrenæo saltu gratis restitutis, quæ pridem oppida Aloisius rex ejus pater a Ferdinandi patre pignoris nomine acceperat. deinde ad diem nonum calendarum januarii, adhibitis totius Galliæ principibus, statuit omnibus aliis omissis rebus proficisci. De eo cum esset amicorum literis celeriter Ferdinandus certior factus, primis anni diebus e venatu lectulum petens, acri urgente pituita, intra biduum est mortuus, cujus Alfonsum majorem natu filium Federicus natu minor, reliquique Neapolitani principes regem salutaverunt. Alfonsus, regno patris inito, per legatum Venetum, qui paulo ante ad Ferdinandum venerat, insolitisque ab eo & obviam itionibus, & aliis honorum generibus exceptus fuerat, a Senatu petiit, ut cum Ludovico ageret, ne is Carolum ad profectionem incitaret, prædemque se apud illum constitueret: nihil ipsum ullo tempore moturum, quo minus is regni Mediolanensis procuratione quoad vellet, uteretur. Senatus ea de re cum apud Ludovicum Alfonsi verbis egisset, eumque esset magnopere hortatus, ne Gallis in Italiam veniendi auctor adjutorque esset, ille autem nihil ejusmodi respondisset, quo se ab eo consilio remoturus videretur: ne frustra operam insumeret, destitit, neque amplius eam cogitationem est aggressus. Miserat ante eos dies ad Se-

1494 *Ferdinandi, Neapolitani regis, obitus, VIII. kal. febr.*

na-

natum Carolus Philippum Argentonium legatum: si se 1494
respublica in belli Neapolitani societatem cum ipso conjungeret, quam vellet ejus regni partem sibi deposceret: nihil illum recusaturum: id si non vellet, quod pollicita esset se ab ejus amicitia non discessuram, in eo perseveraret: jussum se esse apud Patres moram trahere, omniaque regis consilia cum ipsis communicare. Ad hæc civitas ita respondit: *Tantas esse Caroli regis ad id gerendum bellum facultates, tam præsentem omnium rerum copiam, ut sui auxilii nihil indigeat: itaque se more exemploque majorum, qui bella nisi lacessiti non fecissent, quieturam: nec partem sibi ejus regni postulaturam, cujus nullum ipsa jus habeat: cæterum, quod aliis regis nunciis dixisset, pollicitaque esset, ab eo non recedere, regisque benivolentiam sese plurimi semper facturam. ipsum quidem eo nomine & nunc libenter vidisse, &, si maneat, eo libentius visuram, quo erit etiam urbana mora & quotidianis collocutionibus familiarior: quæque regis intererunt, pro sua vetere in patrem ejus atque ipsum necessitudine, ea in dies, ut ipsi nota sint, curaturam.*

Iisdem prope diebus Senatus Bartholomæo Collioni Bergomati imperatori suo, quod multa bella singulari virtute, fide incomparabili gessisset, remque militarem superiorum imperatorum negligentia collapsam restituisset, quodque de republica optime meritus, auri libras decies centies ei moriens testamento legavisset, statuam equestrem æream inauratam in Joannis & Pauli area ponendam censuit. Ea tempestate vita functus est apud Naxios Joannes Crispus, qui eam ex Cycladibus insulam tresque alias obtinebat, Rhenem, Scyrum, Melum, duobus liberis parvulis ex pellice relictis. Is propterea quod avare atque crudeliter regnaverat, civitas, concilio coacto, statuit reges ulterius non perpeti. Erat tum forte fortuna in insulæ oppidique portu Nicolaus Capellus legatus, eo cum sex longis navibus ad piratas insequendos profectus. itaque nacti occasionem cives, plebisque omnis, ipsis cum natu majoribus, matribusque familias infantes in ulnis gestantibus,

Bartholomæo Bergomati statua equestris ponitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1494 tibus, cumque virginibus & pueris, legatum adierunt, oranteſque uti ſe reciperet : mori enim malle omnes, quam amplius ſub tyrannis eſſe; miro ſe ſtudio reipublicæ dediderunt. Nicolaus, principibus eorum liberaliter appellatis, reliquam turbam ſolatus, civitatem in reipublicæ fidem recepit, civemque Venetum, qui præeſſet, juſque diceret, attribuit. Naxii paucis poſt diebus legationem ad Senatum miſerunt, quæ apud Patres ſacramentum diceret, ſe in ejus fide perpetuo futuros. Ea legatione adhibita Senatuſconſultum factum eſt, uti Naxii, qui ſponte in deditionem venerant, reciperentur : recepti autem non eſſent, niſi prius Criſpi liberis, & eorum matri alimenta præberentur. Itaque omnis inſularum earum proventus illis, quoad viverent, dono datus eſt eo nomine. Interea cum inter Alexandrum, quem quidem multis de cauſis magnopere pœnituerat. Carolum regem ad id bellum incitaviſſe, atque inter Alfonſum, qui ambo ad Vari vicum venerant, ut ipſi inter ſe colloquerentur, iis conditionibus eſſet fœdus amicitiaque inita, ut Pontifex regem in Romanæ reipublicæ fidem reciperet, omnique illum ab hoſte, qua poſſet, tueretur : ille autem Pontifici ob tributi veteris reliqua, auri libras mille ſe repræſentaturum, in annos vero ſingulos quadringentas perſoluturum polliceretur : deſponſa etiam filia Giufredo Alexandri filio, ut ſocietas eo pignore firmaretur : utrique ſe ad bellum communire modis omnibus, explicareque cœperunt. Fuerat ea in re Alexander, ut ſunt hominum mutabilia ſæpe ingenia & voluntates, Virginio ipſo uſus interprete, qui etiam illum, & Alfonſum lautiſſime ſplendidiſſimeque ſua in domo tunc ſuſcepit. Erat enim Virginii oppidum Vari, de quo diximus, vicus. Iamque Alfonſus claſſe longarum navium amplius triginta, onerariarum maximarum duodeviginti, ad Liguſtici maris oram infeſtandam, naveſque hoſtium, quæ Genuæ inſtruebantur, impediendas comparata, equitatu peditatuque cogendo, eque Brutiis educendo, atque in Galliam mittendo diſtinebatur : cum ob Bajaſetis regis novos motus, qui & claſſem & exercitum

tum comparabat, reſpublica & ipſa parare claſſem inſtituit. 1494

Itaque primis comitiis Antonio Grimano claſſis præfecto declarato, naves longas, quas confectas habebat, deduci atque inſtrui jubet : quibus cum navibus Antonius menſe quintili ſolvens in Illyricum trajecit. Eo tempore Florentinorum legatio ad Senatum venit petens, propterea quod Carolus rex a civitate poſtulaverat, ut per eorum fines exercitum ducere ſibi liceret, uti Senatus conſuleret, quid ipſis eſſet ad regis poſtulata reſpondendum : tum hac tota in cauſa atque adventu regio quid cavere, qui præſtare ipſos opus eſſet, pro ſua fide atque conſilio exiſtimaret : magnopere enim ſe ejus prudentiæ tribuere, confidereque optimum factu id futurum, quod Senatus cenſuiſſet. Senatus unum modo exiſtimans fore, ut quidquid Florentinis conſuluiſſet, neque Carolum neque Alfonſum lateret; legatis reſpondit; neſcire omnino ſe tam ardua in re : tamque caſibus & eventui propoſita, quid præſtaret : quod ſi ſe plures in unam ſententiam conjecturæ, quam in alia omnia traherent, non tamen id audere ipſis dicere : propterea quod fortuna plerunque in bellis dominatur, temereque facta ſæpe melius quam ratione atque conſilio ſuſcepta ceciderunt : itaque auxilium a Diis immortalibus implorandum : eos unos ſcire, quid quaque in re quenque aut ſequi aut fugere oporteat. Antonius Venetiis profectus cum eſſet in Illyrico, legati ad eum ab Scardona, atque ab Cliſſa venerunt, qui dicerent, cupere ſua municipia ſub reipublicæ imperio eſſe, orare ut ab eo reciperentur. Antonius legatos cohortatus, ut reipublicæ voluntatem expectarent, literas ea de re ad Senatum dedit, Corcyramque contendit. At Alfonſi claſſis, cui Federicum fratrem præpoſuerat, mare Liguſticum invecta, Objecto Fliſco Genuenſi non minimæ inter ſuos auctoritatis, militibuſque ad Veneris portum expoſitis, atque ab hoſtibus repulſis, infecta re Triturritam rediit. Confecerat autem per eos dies Genuæ Carolus itemque Ludovicus claſſem ſatis idoneam ad hoſtem repellendum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1494 Itaque & adverſo prælio ſuorum, & claſſis hoſtium timore perterritus Federicus, neque amplius tentandam iis in locis fortunam belli ratus, ſeſe recepit. Ea ſpe lapſus Alfonſus, ſuas cum Alexandri copiis conjunctas copias in Flaminiam propere miſit, quod intelligebat Caroli exercitus præmiſſam jam partem Padum flumen trajeciſſe. Eæ cum Ariminenſium finibus copiæ appropinquarent; Pandulfi eorum principis rogatu, qui erat in reipublicæ militia, ſuiſque rebus veritus tam ſuſpecto atque ambiguo tempore, opem a Senatu poſtulaverat; Georgius Emus eſt eo miſſus, qui auctoritate reipublicæ oppidum fineſque tueretur. per quos dum ii pacate iter facerent, Alexander, Joannis Galeatii frater nothus, qui erat in Ludovici partibus, Parma fugiens ad eos ſe contulit, ut contra patruum eſſet. Erant in eorum exercitu Ferdinandus Alfonſi filius, magnæ ſpei adoleſcens: Nicolaus Urſinus, qui Petilianum oppidum in Hetruria obtinebat, belli rebus atque artibus clarus: Virginius item Urſinus, de quo ſuperius diximus, Romanæ factionis princeps: Joannes Jacobus Triultius Mediolanenſis, homo magna inter ſuos gratia. hos eſt paulo poſt Guidus Ubaldus Urbinas dux, princepſque Metaurenſium ad Ceſenam conſecutus. atque ii omnes equitum cataphractorum duum millium quingentorum, militum octo millium numerum habebant. Ad eos cum præmiſſæ Caroli atque Ludovici copiæ appropinquaviſſent, univerſi congredi non ſunt auſi: itaque aut oppidi plane firmi, aut fluminis interjectu munitis caſtris complures ſe dies continuerunt. per occaſiones tamen parvulis minutiſque præliis, quid utrique poſſent, aliquoties periculum fecerunt. At Carolus, qui Aloiſium propinquum ſuum, principatum in Genabenſibus obtinentem, & Julianum Cardinalem Sixti Pontificis Maximi fratris filium, & Antonium Salernitanum, de quo ſupra dictum eſt, Genuam cum pedeſtri exercitu miſerat, ut naves jam paratas conſcenderent; ſuique itineris ratione habita ſe ſubſequi juſſerat, ut ingreſſum in regnum Neapolitanum ſuum mari etiam aperiret; cum reliquo exercitu bene

ne magno, planeque paratiſſimo, primis ſeptembris diebus Alpes trajecit, atque Aſtam venit. ibi illum Ludovicus cum muliebri uxoris Beatricis comitatu, & Joannes Galeatius fratris filius, Herculeſque Ateſtinus ſocer obviam progreſſi venientem exceperunt: qui cum de rebus utriuſque Ludovicus collocutus, cum eiſdem illis, quos adduxerat, Ticinum rediit. Ea itio atque reditio itinerum omnium poſtrema Joanni Galeatio fuit: profluvio enim ventris, ut videbatur, lectulo impoſitus, ut vero creditum eſt, veneni a patruo dati hauſtu, inſequente menſe periit. tantum in animis mentibuſque hominum mala regnandi cupiditas atque ambitio poteſt. Carolus inter hæc Aſtæ cum eſſet, Aloiſium Genua, mutato conſilio, accerſivit, ibique juſſit eſſe. Erat autem Aloiſii oppidum Aſta, quod quidem ejus avia dotis nomine a patre Mediolani rege acceperat. Ipſe puſtulis correptus eſt, eoque in oppido commoratus dum convaleſceret, itineri deinde ſe dedit, atque ad diem duodecimum calendarum novembris Placentiam pervenit. Proceſſerat eo una cum illo Ludovicus, qui poſtridie ejus diei de fratris filii morte nuncio accepto, Mediolanum rediit, urbemque in veſte regia perambulans, ſalutari regem ſe non modo paſſus eſt, ſed maxime omnium voluit: neque enim minus id deliberatum propterea fuit, quod Joannes Galeatius moriens duos liberos Franciſcum & Mariam ſuperſtites reliquiſſet.

1494 *Caroli VIII. in Italiam adventus.*

Jo. Galeatii obitus, XIII. kal. novemb.

Carolus, qui antequam e Gallia proficiſceretur, tametſi Florentinis oſtendiſſet ſe per eorum fines iter Neapolim eſſe facturum, per Flaminiam tamen ire conſtituerat, ob eamque rem exercitus ſui partem eo miſerat, cum Laurentii Medicis Florentini civis ſuaſu, qui cum Petro Medice propinquo ſuo, cujus erat in poteſtate civitas, magnas atque acerbas ſimultates exercebat, tum Ludovici, qui eundem Petrum, quod is, uxore ex Urſina gente ducta, in eorum atque Alfonſi partes ſe traduxerat, ingenti odio proſequabatur, ire Florentiam decrevit. Ea res Florentiam perlata, civitatem ad novum atque ſubi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1494 tum capiendum consilium perpulit. Rex post hæc Placentia profectus, dextra se per Tari fluminis vallem flectens ad Apuanos, in Apennini radicibus municipium, legatos Florentinorum obvios habuit, quos ad regem civitas, ut cum eo agerent, ne inimico ad sese animo accederet, misit. Ejus legationis Petrus Medices princeps fuit. Is cum regem a se alienatum Laurentii & Ludovici maledictis calumniisque comperisset, omnibus illum conditionibus lenire, benivolumque sibi reddere est aggressus. itaque tria civitatis oppida in Apennini jugis, quæ Genuensium antea fuerant, tum Pisas & Triturritam in præsentia regi tradere, certasque quotannis, quoad is in Italia esset, pecunias tributi nomine, atque equitatum pollicitus, cum illo in amicitiam rediit. Quibus intellectis rebus civitas incitata, illum & Joannem & Julianum ejus fratres urbe finibusque suis expulit, domo eorum opulentissima direpta, bonisque fisco addictis: quorum duo se Venetias contulerunt. Joannes Petro natu minor Bononiæ primum, deinde in Tifernatibus apud propinquos suos complures se menses continuit: erat tamen e Cardinalium collegio. Rex, Apennini superato jugo, Lucam, inde Pisas venit: idque oppidum a Florentiæ imperio, ditioneque removit, & sui juris, liberumque jussit esse: quod quidem civitas, plebsque omnis cupidissime arripuit. Florentiam paucis post diebus est profectus, libris que auri duodecies centies imperatis, in reipublicæ formam civitatem redegit. Pisis libertati restitutis, senatores, reliquique cives concilio coacto, magistratus qui Florentia venerant, ex oppido suisque vicis & castellis expulerunt: ex sese, quos visum est, magistratus creaverunt. Leones marmoreos depictosque, quod est insigne Florentinorum, e foro, locisque omnibus sustulerunt. In exilium qui essent a Florentinis magistratibus missi, ii ut in oppidum atque in suos quisque lares remigrarent, edixerunt. Iisdem diebus ea Gallici pars exercitus, quæ in Flaminiam præcesserat, tribus in agro Forocornelienſium & Forolivienſium tum vi, tum deditione captis castellis, Faventia-

Petrus Medices, cum fratribus, Florentia expellitur.

tiaque in suas partes traducta, a Bretinoro vico, qui eos 1494
recipere noluerat, & indignantes oppugnareque aggressos sustinuerat, Apenninum trajicere, atque ut cum rege se conjungeret, iter facere cœpit. Ferdinandus cum omnino Gallos intercludere, morarique non posset, suis cum ducibus, quo itinere venerat, Romam rediit.

At Veneti, ubi Carolum magna cum manu Padum flumen trajecisse nunciatum est, legatos ad eum mittere decreverunt, qui ei honoris gratia præsto essent: seque ad omnes casus præmunire constituerunt. Missi legati Dominicus Trivisanus, Antonius Lauredanus, regem Florentiæ convenerunt, eumque postea sunt subsecuti. Illis ipsis diebus Joannes Senogalliam obtinens, Juliani Cardinalis frater, Bajasetis regis legatum, qui Anconæ navi expositus Romam proficiscebatur, Alexandro pensionem annuam librarum auri quadringentarum Giemis nomine dependi solitam afferens, intercepit, ablataque pecunia dimisit. Carolo Senas urbem transgresso, Alexander Virginium & Nicolaum Alfonsi exercitus duces, & Ferdinandum regis filium, qui Romæ appropinquaverant, intra mœnia recepit, ut & loca tuta hostibus præripere, & adversarios cohibere atque reprimere, & urbem ad Gallos repellendos velle communire magnopere videretur. Veruntamen paucis post diebus Carolo Romam recta veniente, Ferdinandum reliquosque duces est hortatus, uti Roma proficiscerentur, neque Gallos, quibus quidem jam nihil esset impeditum, expectarent. Illi, quos omnia plane deficerent, Pontifici paruerunt, Tiburque cum ea quam habebant manu se contulerunt. Alexander, qui quidem Gallos veritus de capienda fuga non semel cogitaverat, demum in Hadriani molem commeatu & tormentis communitam se recepit. Carolus omni cum exercitu pridie 1495
calendarum januarii Romam venit, pauloque post cum inter ipsum atque Alexandrum Ascanio interprete de pace sermones haberentur, Ascanius autem duras nimium & severas conditiones Alexandro imponeret, Alexander eam hominis audaciam compescendam ratus, Cardinalium con-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 concilio ad ſpeciem quærendarum ab eis ſententiarum coacto, illum, qui ad concilium venerat, retinuit, nec niſi pace cum rege facta dimiſit. Romæ Carolus complures dies commoratus, Alexandrum, qui cum fœdus certis conditionibus percuſſerat, ſeparatim primo, deinde publico in concilio ſalutavit, ejus ad pedes advolutus, ſolemnibuſque ſacris miniſtrante illo interfuit. Poſt hæc *XVII. kal. febr.* Pontifex Epiſcopum Maclovienſium, cujus unius magnopere conſiliis rex omnibus in rebus nitebatur, petente rege, Cardinalem creavit: naveſque onerariæ viginti commeatum e Gallia provincia regis exercitui ſupportantes, ad Centumcellarum portum appelluntur. Iiſdem prope diebus ex tribus Venetorum longis navibus, quæ publice in Britanniam ad mercaturam exercendam mittebantur, duæ in Oceano tempeſtatis vi abſorptæ ſunt fluctibus: quibus in navibus complures ex ipſa nobilitate cives, reliqui amplius quingenti perierunt: mercium ad quater mille auri libras ſumma deperdita. quod quidem antea nunquam acciderat, ut ejuſmodi naves, terra non tacta, mari atque undis abſumerentur: tametſi anno ab urbe condita milleſimo decimoſexto duæ item naves longæ onuſtæ mercibus eo ipſo in mari ventorum contumelia impactæ littoribus ſunt amiſſæ.

Alfonſus Ferdinando filio Neapolitanum regnum tradit,

Dum ea Romæ apud Carolum geruntur, Alfonſus ſuis rebus plane diffidens, Ferdinando filio Neapolim accerſito regnum tradit, Federico fratre adhibito: eumque uti Deos immortales vereatur, monet. Ea oratione apud filium habita, in arcem, quæ eſt in oppidi littore, & mari undique alluitur, quæ *caſtellum ovi* appellatur, noctu ſe contulit, ut naves longas conſcenderet. quod tum facere auſtro magno coorto vento prohibitus, paucis poſt diebus nactus idoneam tempeſtatem in Siciliam tranſmiſit, eoque anno in Panormitano agro privatus moritur. *& moritur XIII. kal. dec.* Ferdinandus, profecto patre, regni principibus quatuor, qui erant in cuſtodia, primum omnium dimiſſis, oppidum in veſte regia una cum Federico patruo perequitavit: ſalutatuſque rex cum ſe ad carceris parietem contuliſſet, reclu-

recluſis patefactiſque foribus, rebelles aliquot damnatoſ- 1495
que complures & libertati & municipio reſtituit: privatas publicaſque injurias omnes remiſit, pollicituſque eſt ſe proſcriptos quoſque revocaturum. Militibus deinde appellatis, eos ſtipendio donavit, atque oppida novis præſidiis firmavit. Carolo ad diem quintum calendarum februarii Roma profecto, Velitraſque progreſſo, Cæſar Borgia, Cardinalis, Alexandri filius, quem quidem pater Legati nomine Carolo dederat, ut obſidis loco apud illum eſſet, noctu aufugit: ne ve patris voluntate videretur id feciſſe, non Romam, ſed Spoletum ſe contulit. Eodem tempore miſſi a rege milites, qui ex fœdere Hoſtienſem, & Centumcellarum, Anxuriſque arces, quoad is in Italia eſſet, cuſtodirent, repulſi ſunt ab Alexandri cuſtodibus: arcem enim Hoſtienſem, quam Julianus Cardinalis exædificaverat, præſidiiſque firmaverat, cum is Alexandri Pontificatus initio nihil illi fidens ſpeculatoria biremi ſe ex ea ſuſtuliſſet, conſcendenſque Fabritio Columnæ, amico ſibi homini, & magni ac erecti animi viro, illam commendaviſſet, Genuamque ac deinde in Galliam eſſet profectus, Alexander, Nicolao Urſino Petilianorum principe cum exercitu eo miſſo, acri obſidione cinctam expugnaverat, ſuique juris fecerat. Rex Velitris profectus Fortini montis oppidum munitiſſimum, quod quidem capi poſſe niſi longa obſidione non videbatur, paucarum horarum ſpatio cepit, itemque Ferentinum, quæ utraque in Ferdinandi erant partibus. Ea re confecta, ſuum hominem ad Pontificem miſit: ni pactis, quæ ſunt in ipſorum fœdere, ſteterit, ſeſe primum omnium ſua in illum arma converſurum: quo accepto nuncio, Pontifex regis militibus arces tradidit. Ferocior regis militum impetu primum in Alfonſi ditione caſtellum in Caſſinati ſalu, & militibus & commeatu communitum, vi captum diripuerunt, propugnatoribus incolisque omnibus ad unum interfectis, quod præmiſſi ad oppidanos de deditione nuncii, ab iis male accepti fuerant. Id caſtellum ſancti Joannis mons ab incolis appellatur: tenebatque ab Aterni

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 ni regulo, quo uno nemo erat Ferdinando regi charior. Itaque hoc ſucceſſu rerum ſuarum Carolus cum exercitu equitum militumque numero triginta millium, in regnum Neapolitanum ingreſſus, ad Caſſinum venit: quo in oppido Ferdinandus cum eſſet, haberet autem milites numero ad quatuor mille, equites alteros totidem, oppidanos cohortatus, ne ſe diripi ſinerent, ſed fortunæ cederent, ſeque in aliud tempus reſervarent, oppido profectus, Capuam ſuis cum copiis contendit. Caſſinates, eo profecto, ſeſe Carolo dediderunt. Ad quem non intermiſſis itineribus Capuæ appropinquantem, Cajetæ civitas legatos miſit, ei ſe oppidum tradituram, imperataque facturam. Cajeta in deditionem recepta, Capuani & ipſi regi oppidum tradiderunt. Capuam ubi rex venit, Giemes, quem Roma ſecum abduxerat, in morbum incidit, cujus ſuſtinere vim non potuit. At Ferdinandus cum Neapolim petiiſſet, ejus exercitu intra mœnia non admiſſo, ipſe cum ſuo comitatu equitibuſque paucis eſt receptus: qui voluntate civitatis intellecta, quæ Gallos expectare ne diriperetur, nolebat, combuſtis duabus navibus magnis ex tribus quas in portu habebat, ne in manus hoſtium pervenirent, tertia Objecto Fliſco tradita, equos prope trecentos egregiæ ſobolis ſuis civibus amiciſque diſtribuit. deinde Neapolitana arce, quam appellant *Novam*, militibus reliquiſque rebus ad obſidionem ſuſtinendam idoneis apprime communita, cum Federico patruo, & uxore Ferdinandi avi ſui atque filia, in inſulam Megarem ſeſe contulit. Ex ea inſula, quæ eſt non longe ab oppidi littore, Neapolitani reges arcem muntiſſimam effecerunt. Carolo recta Neapolim cum exercitu properante, Virginius, Nicolauſque Ferdinandi duces; quod intellexerant civitatem legatos de deditione ad Carolum miſiſſe, Nolam ſe cum ea, quam habebant, manu receperunt. quos præmiſſi Caroli equites cum inſequerentur, Nolani Gallis portas aperuerunt, retentis interceptiſque Nicolao atque Virginio, qui ambo in Gallorum poteſtatem venerunt: tametſi jam ante a Carolo petiiſ-

tiiſſent, ut in ſuam fidem ſeſe reciperet, idque eis Carolus eſſet pollicitus. itaque in eo fides eſt regia deſiderata. 1495
Carolus intellecta Ferdinandi fuga, Neapolim venit, *Carolus Neapoli potitur.*
præmiſſis ſuis ducibus, ne militum & equitum introitu oppidum egregium atque opulentum diriperetur. Eo potitus, per legatos Venetos, perque literas Senatui gratias egit, quod otium ſibi atque benivolentiam, quam pollicitus fuerat, præſtitiſſet.

Ferdinandus ſuis cum mulieribus & ſupellectili bene magna, navibus longis duodecim ad Aenariam trajecit, inſulam & ſitu & opere munitiſſimam: abeſt a Neapoli duodeviginti millia paſſuum. Interim fama de adventu, deque ſucceſſu rerum Caroli ad Turcas perlata, propterea quod rex palam dictitaverat, Neapolitano regno capto, ſe in Turcas profecturum, eiſque bellum terra marique illaturum, tanta fuit ejus rei opinio, tantuſque omnes eas gentes terror invaſit, ut in Illyrico, Epiro, Acarnania, Macedonia, qui maritimas earum regionum oras atque portus incolebant, ſe introrſus reciperent, atque in longinquas a littoribus, & remotas latebras abderent. Literæ etiam ab Antonio Grimano ad Senatum venerunt, cum ad Naupactum Aetoliæ littora navibus longis præterveheretur, Turcas eam eſſe claſſem Gallicam verentes, omnes aufugiſſe, vacuaque littora cuſtodiis reliquiſſe: ut quilibet exiſtimare potuerit, ſi ſe modo Carolus illis in locis oſtendiſſet, parvo eum negotio omnes eas regiones in ſuam poteſtatem redigere potuiſſe. Bajaſetes quidem rex jam inde cum primum Florentiam Carolum eſſe ingreſſum cognovit, veteres triremes reficere, novas inſtituere cœpit: militibuſque ſuis & equitibus edixit, ſe compararent, ut cum vellet, ſibi præſto eſſe poſſent. Eodem quoque tempore & naves ſexaginta, quibus in navibus erant militum ſena millia, equites ſexcenti, ab Hiſpaniæ miſſæ regibus, ut Siciliæ præſidio eſſent, Trapanitam appulerunt, & Laurentius Suares, quem iidem reges legatum ad Senatum miſerant, Venetias venit. Cauſa mittendi fuit, quod timuerant, ne Carolus, Neapolitano

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 litano regno capto, in animum induceret, etiam Siciliam insulam, quæ aliquando Galliæ regibus paruisset, eodem quo Neapolim jure velle suam facere. Ii cum suis rebus timerent, Gallorum audaciam atque potentiam veriti, existimabant Venetos vicinitate periculi adductos, quod magnum regem in Italia pollentem viderent, eodem in timore versari, propterea quod res omnes publicæ, validæ præsertim atque firmæ, suspectæ ac formidolosæ sunt regibus. Itaque Suari mandaverant, ut salutato Principe, & Patribus, eos certiores faceret, *Sese, quo ipsi animo in Carolum essent, eodem esse Venetos existimavisse. quod si cavere sibi ab illo cuperent, se paratos esse una cum ipsis omnem fortunam experiri. scire se, qua prudentia, qua fide Senatus Venetus esset: nemine cum rege libentius, quam cum ipso, fœdus percussuros. venturum in societatem periculi Alexandrum Pontificem Maximum, qui nihil æque cupiat, atque hoc, ut ipsos & Venetos sibi conjunctos habeat, quorum armis, si quid durius accidat, se munire ac tueri possit. eo socio non minimum roboris atque virium, plurimum quidem certe auctoritatis in commune accessurum: ut magnopere sperandum sit, si consenserint, omnia prospere atque feliciter casura.* Ea legati oratio gratissima fuit Patribus, quos jam Caroli rerum successus circunspicere sesemet, & vereri multa cogebat, quæ ambiguo adhuc eventu belli non æstimabantur. Huc accedebat, quod Ludovicus ipse diffidere Carolo cœperat, cum ob ejus literas imperiosiores ad se missas, quibus eum literis rex Neapolim evocabat: tum propterea quod Joannem Jacobum Triultium, quem quidem ipse Mediolano expulerat, exulemque fecerat, hominem sibi multis de causis inimicum, Carolus suam in fidem apud Neapolim receperat: postremo, quod Aloisium propinquum suum, quem Astæ relictum supra demonstratum est, inde postea discedere Carolus noluerat. Eæ res, quod nonnullam ostendebant in Caroli animo inesse de Ludovici fide suspicionem, Ludovicum item suspensum animi fecerant, quantum regi esset credendum. de eo ipse apud lega-

legatum Venetum questus ei ostendit, *libenter se ab Gallis discessurum, fœdusque cum republica renovaturum*. Erant 1495
præterea in urbe Maximiliani regis legati, cujus pater Federicus Imperator eo anno mortem obierat, qui Senatum in Gallos incitare non desistebant. Eorum oratio, propterea quod Maximilianus Ludovici fratris filiam in matrimonium duxerat, eratque cum eo plane conjunctissimus, ex ipsius ore Ludovici mitti propemodum videbatur. tametsi Maximiliano quidem ipsi omnis erat ad Gallorum opes atque potentiam invisa molestaque accessio: quem quidem etiam recens accepta insignis injuria contra Carolum stimulabat, Margarita filia sua cum dote plures ante annos ei tradita, cui tamen Carolus propter ætatem puellæ nondum se adjunxerat, repudiata, Annaque Armoricarum gentium regina, quam Franciscus pater Maximiliano spoponderat, sibi a Carolo prærepta, & uxore ducta. Interim Neapolitanis arcibus duabus partim vi, partim precio expugnatis, magna Calabrorum populorum, magna Brutii, magna etiam Apuliæ parte in deditionem recepta, Carolo non jam ea qua consueverat facie facilitateque legatos Venetos admittente, nonnihil etiam interdum jactante, *brevi fore, ut qui se noluerant in Italiam trajicere, Neapolimque capere, eos suæ malivolentiæ pœniteret:* de fœdere inter eos sanciendo diligentius est agi cœptum per eorum omnium legatos apud Senatum: ad quem quidem Ludovicus eam ob rem novam etiam legationem miserat. Suares quidem ipse jam ab initio suarum hortationum Patribus dixerat, jussum se ab regibus, *quamcunque fœderis legem Senatus juberet, in ejus verba jurare: satis sibi fore, si unum modo sciirent, Senatum ita statuendum judicavisse.* Nam omnino Alexander, qui jam Gallos esset expertus, dixissetque palam, *si redeant, se Venetias, ne eos iterum videat, profecturum:* cupidissime avidissimeque illum ipsum expectabat diem, quo se cum republica reliquisque conjungeret.

Itaque pridie calendas aprilis fœdus initum ab iis, sancitumque est in annos XXV. majestatem Romani Pontifi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 *Fœdus inter Pontificem, Imperatorem, Hiſpaniæ regem, Venetos, & Mediolanenſium ducem adverſus Carolum.*

tificis, dignitatem, libertatem, jura eorum, ditioneſque omnium tuendi & muniendi cauſa. quo ex fœdere equitum trigintaquatuor millia, peditum viginti confecta parataque habere univerſi tenerentur, ſuo cuique ſigillatim attributo numero. Is erat, equitum quidem Alexandro quatuor millium, Maximiliano ſex, Hiſpaniæ regibus octo, reipublicæ totidem, Ludovico item octo; peditum vero ſingulis quatuor millium. quem ſi quis equitum peditumque numerum propter longinquitatem itineris, ac rei bene gerendæ celeritatem mittere in tempore non poſſit, ei ſit in ſocios eorum ſtipendium conferendum auri ſexcentenæ libræ: ii exercitum pro illo conficiant. Quod ſi claſſis bellum indigeat, quibus adeſt parandarum navium facultas, ii tantam, quanta opus erit, parent, ab reliquis pro ſua cujuſque parte ſtipendium attribuatur. ea lex ejus fœderis fuit. quo omnino in conficiendo cum tot adeſſent legati; tot civibus tractandæ rei adhibitis, toto demum vocato ſæpius & conſulto Senatu: tanta tamen fuit juſſu Decemvirum in Patribus reliquiſque omnibus continendæ vocis cura, ut Philippus Caroli regis legatus, cum in curiam quotidie ventitaret, atque ab legatis reliquis appellaretur, nihil ejus tamen cognoſcere potuerit. Itaque cum poſtridie ejus diei, quo die ſcripta lex eſt, in curiam vocatus, a Principe fœdus eſſe percuſſum intellexiſſet, & nomina fœderatorum cognoviſſet, mens pene hominem reliquit: tametſi Princeps ei dixerat, *Ea quæ feciſſent, non propterea eſſe facta, uti bellum cuiquam inferrent; ſed ut, ſi inferretur, propulſarent*. Demum is, revocato ad ſe pauliſper animo, *Quid*, inquit, *meus rex in Galliam reverti non poterit?* Tum Princeps, *Ille vero*, inquit, *poterit, ſi redire amicus volet, noſque illum rebus omnibus juvabimus*. quo reſponſo accepto diſceſſit: atque ubi curia egreſſus, remenſis quas aſcenderat ſcalis in aream deſcendit, ad ſcribam Senatus, qui eum comitabatur, converſus, *Rogo te*, inquit, *ſodes, mihi eum ſermonem recenſeas, quem Princeps mecum habuit: nihil enim jam ejus memini*.

Petie-

Petierat a Senatu Alexander, antequam de fœdere eſſet confectum, vellent Patres pro ea, qua ſemper civitas fuerat in Romanos Pontifices pietate, equites levis armaturæ quingentos, milites bis totidem præſidii ad ſe cauſa mittere: ea enim factione, quæ regi ſe adjunxerat, Romanorum principum, omnia ejus conſilia magnopere impediebantur. Itaque percuſſo ſtatim fœdere, Patres juſſerunt ex illis qui Ravennæ hyemaverant equitibus, quique ibi adhuc quidem morabantur, is ut Romam numerus celeriter contenderet: tum ut Hieronymo Georgio, qui apud Alexandrum legati munere fungebatur, pecuniam quæſtores eveſtigio curarent, qua is pecunia mille in urbe milites conſcriberet. Literas ad Ludovicum præterea dederunt, ipſe quoque idem faceret, mitteretque alteros totidem Romam milites equiteſque: quo fultus auxilio Pontifex, dignitatem poſſet ſuam facilius atque honeſtius tueri. Legati poſt hæc qui ad Carolum a Senatu miſſi fuerant, domum ſunt redire juſſi. 1495

Carolus rex Neapoli diſcedit.

Ipſe vero interea Carolus, cognito, de quo dictum eſt, fœdere, veritus ne ſi moram Neapoli traheret, dum ii novas copias cogerent, exercituſque conjungerent, ab eis intercluderetur, ne in Galliam reverti poſſet, ſtatuit optimum eſſe quamprimum diſcedere, ſperans, ſi modo antequam ii omnibus ad bellum rebus inſtructi paratique eſſent, proficiſceretur, Italiæ itinera ſibi ipſum illis etiam nolentibus patefacturum. nam mari tantum exercitum trajiciendi navium ei facultas non erat. quam enim Genuæ paraverat claſſem, ea maxima coorta tempeſtate afflicta, atque in littus ad Populoniam ejecta, nullum ei uſum præbuerat: cujus quidem præfectus & princeps Salernitanorum Antonius pedibus ſe ad eum contulerunt. Interim a Ludovico maxime omnium ſe deceptum diſſitans, avertere ab illius imperio Genuenſium civitatem ſummo ſtudio concupivit. itaque Petro Fregoſio Cardinale, qui dux eorum fuerat, ſuas in partes traducto, eum, & Objectum Fliſcum, & præfectum ex ſuis Seguſianorum principem cum navibus longis undecim, quas

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 habebat ex ſua claſſe reliquas, eo miſit: ipſe, equitum & militum octo millibus regni præſidio relictis, ad diem tertiumdecimum calendarum junii cum reliquo exercitu Neapoli profectus viæ ſe dedit. Alexander, ad quem quidem Veneti de Carolo id, quod accidit, opinione exiſtimantes futurum, ut nuncio de fœdere accepto, in Galliam redire contenderet, Pontificis timentes rebus, jam ante eos dies alteros equites levis armaturæ quingentos ex iis quos ab Epiro Laconiaque accerſitos celeritate præſtantiſſimos habebant, miſerant, quibus ad omnes caſus uti poſſet; regem Romæ appropinquantem, Cardinalibus Romaniſque principibus adhibitis, non expectare decrevit: ſeptuſque equitum numero duum millium, peditum trium millium quingentorum, diſceſſit, atque Urbem veterem biduo venit. Illis diebus Carolus certum hominem ad Senatum miſit, qui ei diceret, *Suum regem nulli unquam homini ſupplicaviſſe: ſcire tantum velle, utrum civitas amico in ſe, an hoſtili animo eſſet.* Ad ea Princeps ita reſpondit: *Prudentium eſſe hominum, planeque ſapientum, aliorum interdum voluntati ſe permittere, aliorum opem poſcere, precari: illud in ipſo eſſe, amicus ne an inimicus reipublicæ velit eſſe.* Is poſtea nuncius, & Philippus regis legatus una Venetiis diſceſſerunt.

Florentini autem cum intellexiſſent Venetos cum Pontifice ac Ludovico, reliquiſque regibus conſenſiſſe, Carolumque Neapoli, ut in Galliam rediret, diſceſſiſſe, novas militum copias celeriter conſcribere, ſeſeque præſidio communire cœperunt, ut ſi Carolus ea vellet iter facere, oppidumque ingredi, repellere illum poſſent: ſtatuerat enim civitas, nullis iterum conditionibus eſſe regem mœnibus recipiendum. Pontifice profecto, Carolus Romam venit, atque ad Alexandrum legatos miſit, velle ſe eum alloqui: plurimum utriuſque intereſſe, ſibi ejus rei fieri poteſtatem. Colloquio non impetrato, Tuſcanellam, in via Caſſia oppidum, quod quidem magna oppoſita ruricolarum manu Gallos intromittere noluerat, ejus milites, itemque Fiſconis montem vi ceperuut. quod ubi Senatus cognovit,

rei-

reipublicæ ſocium, & quidem omnium dignitate princi- 1495
pem a Gallis violatum, bellique factum a Carolo initium in fœderatos: eoſque homines, cum intra fines imperii vel reipublicæ vel Ludovici veniſſent, a maleficio non temperaturos exiſtimaret: præter id, quod in Gallia terreſtrium copiarum comparabatur, decrevit, uti Antonius ea cum claſſe, quam civitas illis ipſis auxerat diebus, ad Saſonem inſulam accederet, ut in Apuliam trajiciendi, cum juberetur, mora ei nulla fieret: optimum enim eſſe ſtatuerat, ſi Galli furere inciperent, ea etiam a parte illos laceſſere. Carolus, relicta Florentia, quæ ſe præſidiis firmaverat, Piſas, deinde Lucam venit. Pontifex, qui Peruſiam erat profectus, equitibus quos a Venetis & Ludovico acceperat, reverti juſſis, Romam rediit. Hæc dum agerentur, Aloiſius princeps Genabenſium, Aſtæ a Carolo relictus, Salaſſis adjuvantibus, tum e Gallia tranſalpina, atque ab Helvetiis milite celeriter accerſito, vaſtatis Ludovici finibus, tranſmiſſo furtim Pado flumine, Novariam per proditionem cepit. Erat eo in oppido civis, cujus fratris fundos valde quidem fructuoſos Ludovicus poſt ejus mortem dolo malo ſuorum cuipiam addixerat, ipſo ad ſepulcrum in judicium ſiſti juſſo. Is fraternos ulciſcendi manes ſtudio, milites Aloiſianos, recluſis bene mane portis, intra mœnia recepit. ita Galli apertius eodem tempore alterius regnum ſocii reipublicæ invadere, ac priores bellum gerere cœperunt.

Illis ipſis diebus Patres conſulto Senatu decreverunt, uti quina millia Italorum equitum nova conſcriberentur: bina millia ex Epiro Græciaque præter illos, qui imperati jam erant, accerſerentur. Franciſco autem Mantuanorum principi Senatuſconſultum prius in annos quatuor renovatum eſt, ſtipendiaque uberiora conſtituta. tum ſcriptus una Roduſfus ejus patruus. ſcriptus etiam ante eos quidem menſes Guidus Ubaldus Feltrius, qui regnum in Metaurenſibus obtinebat, cum equitibus quadringentis ſeptuaginta. Illis autem diebus Hannibal Bentivolus Joannis filius cum quadringentis, & Panius Manfronius Vicetinus,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 tinus, qui Neapolitano in regno tunc erat, cum ducentis: equiteſque ab Epiro Acarnaniaque ad littus Venetum advecti circiter mille. Exercitu deinde luſtrato, milites equiteſque in fines Brixianorum juſſi procedere: creatique legati Malchio Triviſanus, Lucas Piſanus, ad exercitum profecti ſunt. Senatus etiam ſcriba Bononiam miſſus, qui Joannem Bentivolum in officio contineret. Itaque cum rex paulo poſt ad eum miſiſſet, petens ut itineris per ejus fines oppidumque faciendi facultas ſibi fieret, impetrare nihil potuit. Auri præterea quingentæ libræ Ludovico petenti mutuo a Senatu datæ, deinde etiam trecentæ. Poſt hæc Senatuſconſultum factum eſt, uti militum in Gallia & Venetia quina millia imperarentur, ex Helvetiorum pagis bina millia accerſerentur: qui autem jam tum pedites equiteſque conveniſſent, ii omnes in Parmenſem agrum mitterentur. Neque multo poſt alio Senatuſconſulto Franciſcus imperator dictus eſt, eique res militaris permiſſa. Præfectus etiam Græcis equitibus Bernardus Contarenus datus: tum vexillum imperatorium publice Franciſco miſſum: qui, facto ad Ollium flumem ponte, exercitum traduxit, & firmato munitionibus ponte ab ea ripa quæ in Cremonenſi agro eſt, alterum pontem in Pado flumine navibus impoſuit, atque ex utraque ripa foſſa & vallo aggereque prælto muniit. tum exercitus in Parmenſem eſt agrum traductus. Ejus rei literis acceptis, imperator a Senatu juſſus eſt, ſi Galli, dum redeunt, ei moleſtiam exhibeant, ipſe autem ſine reipublicæ incommodo poſſe id fieri videat, in eos impetum faciat: ſin res in anguſto ſit, prælio abſtineat, ſuoque ſe loco atque milites contineat. quod ſi pacati iter faciant, nihil eis noceat, ſed ſinat intactos diſcedere. Eo accepto nuncio imperator, ad Tari fluminis pontem ducto exercitu, qui pons abeſt a Parma oppido paſſuum millia quatuor, caſtra poſuit: cumque eo Ludovici equites bis mille, milites totidem, Joanne Franciſco Severinate duce conveniſſent, exercitum traduxit, atque ad Oppianicum vicum, qua Gallis erat iter faciendum, in ipſa Tari fluminis ripa, quod pedibus tranſmitti

Franciſcus Gonzaga fœderatorum principum imperator.

mitti poterat, neque enim ripas præltas habebat, conſe- 1495
dit non omnino pleno exercitu, quod non omnes, qui expectabantur, erantque jam in itinere, equites pediteſque convenerant. reliquæ Ludovici copiæ apud Novariam diſtinebantur: ad quem quidem a Senatu petentem, ut Græcos equites ei mitteret, quibus eo bello uti poſſet, Senatus Bernardo Contareno præfecto ſexcentos miſit.

Rex Luca profectus per Apennini juga ad Apuanos Ludovici municipium venit. Oppidani Joannis Jacobi Triultii ſuaſu ſeſe regi dediderunt: quos tamen paulo poſt ejus milites pace fracta diripuerunt, oppidumque incenderunt. Ex eo loco rex Triultium cum prima acie præmiſit, qui montano confecto itinere ſe expectaret, exploratoreſque mitteret, ut quid hoſtes molirentur, ſcire poſſet. Interim imperator, præmiſſis equitibus, atque militibus, quot viſum eſt, ad Gerulam vicum, qui a Foro Novii abeſt paſſuum millia tria, uti regis itinera cognoſcerent, locumque caſtris caperent, poſtridie ejus diei mane cum reliquis copiis omnibus eo venit. erat autem univerſus exercitus equitum ad duodecim millia, militum prope altera totidem. Ibi cum eſſet imperator, a ſpeculatoribus certior factus eſt, Triultium cum equitum cataphractorum & militum Helvetiorum manu præmiſſum, e jugis in planitiem ad Forum Novii deſcendere. Ille autem, ut poſtea cognitum eſt, vicum illum magnopere opportunum, in quo ſe regiæ copiæ confirmarent, atque ab Apennini itinere reficerent, capere volebat: eoque partem ſuorum præire juſſerat: ipſe cum reliquis ſe, ut ſequeretur, comparabat. Ea intellecta re, imperator Græcos equites ſexcentos præmiſit, qui eos impedirent: ipſe cum equitum firmiorum agmine illis præſidio eſt ſubſecutus. Græci velocitate ſua uſi, ubi primos venientes conſpexerunt, in eos impetu facto, prælioque commiſſo, univerſos repulerunt: repulſos uſque ad caſtrorum munitiones conſecuti, complures eorum occiderunt, complures captivos fecerunt, uno ſuorum tantummodo amiſſo, quem parvi tormenti globus e vallo miſſus trajecerat. Eo

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 mortuo, captivos prope omnes interfecerunt, capitaque abſciſſa in caſtra revertentes attulerunt circiter quadraginta. Triultius ſibi ſuiſque veritus extremum in jugum ſe ſe recepit, regemque ibi triduum expectans eſt commoratus: quo ſi tempore Venetus illum adortus eſſet, ea ſe manu defendere non potuiſſet: quo capto, reliquum exercitum expugnare haud maximi negotii fuiſſet. Ea re ab imperatore, atque ab legatis & principibus jactata; quod exiſtimabant, ſi primam aciem prælio viciſſent, Carolum reliquaſque copias Lucam reverſuras, ſeque in tutum recepturas: ne qua eos manus elabi effugereque poſſet, ab illo aggrediendo deſtiterunt. quanquam poſtea fuere, qui crederent Severinatem, qui ejus conſilii princeps fuerat, non eam ob cauſam, de qua dixi, ſed propterea quod ex Ludovici præſcripto regi magnum fieri detrimentum nolebat, ne civitatis ex eo Venetæ nomen exiſtimatioque augeretur, ſummopere in concilio, id ne fieret, obſtitiſſe. Civitas interea cum intellexiſſet regem magno animo in Venetos impetum facturum, quos imparatos adhuc plurimis ab rebus eſſe audierat, permota, largitiones in ſacrarum virginum collegia, preceſque ad omnia templa fieri juſſit, votaque pro ſalute patriæ publice ſuſcepta ſunt.

Rex triduum illud tormentis bellicis ex ære magni ponderis impeditiſſimis itineribus per invia atque abrupta montium convehendis moratus, non iis modo quæ priore itione ſecum habuit, ſed illis etiam quæ cum reliquo exercitu in Flaminiam præmiſerat, cum omnibus copiis Forum Novii ante meridem ſe contulit. Eo die remiſſi Græci equites uſque ad regis caſtra compluribus cum Gallorum capitibus ad imperatorem redierunt. E Foro autem Novii miſſus tubicen a Philippo Argentonio, qui regis nomine itineris propter caſtra faciendi facultatem ab legatis peteret: ea non impetrata, quod legati dicerent, niſi rex capta ab ſe atque ſuis ſociorum reipublicæ oppida reſtitueret, ſe id non conceſſuros, ad regem reverſus ſpem pacis omnem ſuſtulit. Ea intellecta res magnum attulit

tulit Gallis timorem, qui e collibus caſtra Veneta pro- 1495
ſpexerant in ampliſſimum tabernaculis porrecta campi ſpatium: viſumque eis eſt tantis oppoſitis hoſtium copiis rem ipſorum in anguſto eſſe. itaque vulgo qui ſapientiores erant, tribuni duceſque magis magiſque regi ſibique verebantur, graviſſimumque omnibus impendere caſum atque periculum arbitrabantur. qui quidem timor ea quæ ſecuta eſt nocte auctus conduplicatuſque eſt: magnæ enim pluviæ, ingentiaque tonitrua, & crebræ atque terrificæ coruſcationes fuerunt, ut cœlum prope diſcedere videretur, ultimamque plurimi ſibi noctem illam fore ea Deorum immortalium quaſi denunciatione moniti crederent. Solet autem fere ſemper accidere, ut cum ſemel vehemens aliquis mentes hominum inceſſit timor, etiam iis quæ timenda non ſunt, animi eorum magnopere perturbentur. quam ob rem cum parum in ſomno, multum in conſiliis inter ſe fuiſſent, orta vix luce, qui fuit dies pridie calendas julias; Caroli præfecti aciem inſtruxerunt; atque iter facere cœperunt. Interim conſultis legatis, principibuſque reliquis, quidnam eſſet potiſſimum agendum, legatis prælium diſſuadentibus cum propter Senatuſconſultum, de quo ſupra dictum eſt, tum vero etiam quod complures equitum turmæ, militumque centuriæ nequedum venerant: nam & Pandulfus Ariminenſium, & Joannes Piſaurenſium principes, & Paulus Manfronius cum ſua quiſque cataphractorum equitum copia, innumeriique milites expectabantur: tandem Gallos aggredi, qui reipublicæ ſociorum oppida cepiſſent atque incenderiſſent, præliumque committi placuit.

Erant Gallorum copiæ tres in acies inſtructæ: quarum in priore magnam ſpem duces habebant, quod eam & numero equitum, ac militum robore munierant: eique addiderat quatercentos ex cohorte regia eorum, qui ſagittis in equo utebantur: quos quatuor millibus Helvetiorum militibus, quibus maxime confidebant, immiſcuerant. In media erat acie rex, eaque prope omnis Galliæ nobilitas continebatur. ab poſtremæ lævo latere impedimenta ſeque-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 quebantur: tormenta omnibus aciebus erant præpoſita: eæque acies non ita magno inter ſe relicto ſpatio conſtipatæ, celeriter, uti ſi poſſent Venetos effugerent, vadebant. Interea nuncii ad Venetorum caſtra, qui pacem ab legatis peterent, fallendi gratia mittebantur. Ubi id imperatori nunciatum eſt, militibus ut arma caperent imperavit: ipſe deinde armato exercitu, & inſeſſis equis copias omnes ita diſpoſuit, ut ex iis novem acies efficeret: quarum quinque equitum cataphractorum eſſent, tres militum, equitum levis armaturæ una. quæ res impetum exercitus imminuit: nulla enim earum ſatis virium ad hoſtem propellendum habebat. Erat inter utrunque exercitum Tarus, de quo dictum eſt, flumen, quod ea nocte creverat: ejus autem vallis planities impedita non ripis modo fluminis, ſed glarea etiam, grandibuſque ſaxis, tum & virgultis, &, quod magnæ pluviæ fuerant, lubrico & lacunoſo cœno, ut inæquabilem & difficilem tranſitum daret. Gallorum prima acies cum ante caſtra Veneta perveniſſet, armari milites conſpicata, magnum in eos pilarum ferrearum numerum tormentis immiſit: quas tamen prope omnes ſupra militum capita vis ignis impetuſque abſtulit, ne magnopere nocerent: percommodeque ea in re accidit, quod tum cœlum erat pluvium, ut ſua Galli tormenta, quorum magnum numerum habebant, amplius exercere non potuerint. Tum vero imperator moras omnes poſthabendas ratus, magno ipſe animo, & rei bene gerendæ fiduciæ pleno, quem etiam provehebat adoleſcentia, inſtructo exercitu, conſtitutoque quid fieri oporteret, ac permiſſa patruo reliquas acies ſubmittendi poteſtate, ſigno pugnæ dato, & tranſmiſſo pedibus flumine, regis exercitum, qui quidem mille paſſuum iter eoque amplius jam præceſſerat, citato gradu inſequi cœpit: eumque prope medium aſſecutus, in regis aciem, quæ ſe converterat, impetum fecit. Prælio acriter commiſſo cum fortiſſime ab utriſque pugnaretur, Rodulfus acie una maxima atque pleniſſima, cui Antonius Feltrius Guidi Ubaldi frater nothus præerat, juſſa conſiſtere, altera caſtris præſidio eſſe,

prid. id. jul.

Prælium ad Tarum flumen.

ſe, neque ſe loco ambas movere, donec ipſe eas vocet, 1495
imperatorem ſubſecutus, cum ſecunda acie in Gallorum globum ſeſe injecit, acerrimeque pugnans eum disjecit: neque imperatori modo auxilium peropportune attulit cum illius acie ſe conjungens, ſed magnum etiam addidit ſuo adventu ejus militibus animum. Itaque ambæ acies parvo temporis ſpatio magnum Gallorum numerum occiderunt, magnum ex ſuis amiſerunt. Rex cum paucis relictus, admonitus a ſuis pugnantibus ſe ſubripuit. Eodem fere tempore acies tertia, cui Severinas præerat, primam Gallorum aciem conſecuta, pedem ſtatim retulit, non auſa, vel potius non juſſa progredi. Omnibus autem equitum aciebus, quæ ad regis exercitum contenderunt, idem fere perincommode accidit, ut & flumine tranſeundo, & ripis ſuperandis, & ſaxis pervadendis & virgultis, ac cœnoſa via conficienda, multa etiam pluvia, non ſolum ordines ſervari non potuerint, ſed complures prolaberentur, complures ſe medio itinere continerent, multi aliorſum flecterent, ut parva eorum pars prælio interfuerit. nam milites plerique omnes, exceptis ducentis, Genua Veneto duce, pauciſque ex imperatoris comitatu, qui equitibus interjecti ejus latus muniebant, pugnam detrectaverunt. At vero Itali equites levis armaturæ, quos una cum Græcis imperator juſſerat ab hoſtium tergo levum latus montium capere, atque ab latere adverſo in eos impetum facere, ubi impedimenta conſpexerunt, in ea ſpretis imperiis prope omnes convolaverunt, cuſtodibuſque aliquot occiſis, ea rapere atque abducere contenderunt: quos Græci equites imitati, idem fecerunt, exceptis eorum ducibus, qui cum paucis ad hoſtes laceſſendos contenderunt. Ea res magna ex parte reipublicæ victoriam interpellavit: nam ſi in hoſtium acies ab latere, ut debebant, eratque eis imperatum, ii omnes impetum feciſſent, Galli ſe pugnæ ſubducere ſine certa clade non potuiſſent. tametſi alia etiam ex parte caſus adjumento atque præſidio Gallis fuit: duæ enim equitum acies, quemadmodum Rodulfus imperaverat, ne ſe loco moverent,

præ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 prælio non interfuerunt, expectantes quam is in partem eas vocaret. ille autem a Gallis interfectus fuerat. ita qui repulsi atque fracti fugæ se mandare cogitabant, restituto ab reliquis aciebus, quæ regi auxilio venerant, prælio, se continuerunt. Pugnatum igitur est acriter, ut ante dictum est, ab utrisque, cædesque ingens facta: eoque res horæ spatio deducta, ut neutris plane victoribus, defessis potius pugnando, quam permittentibus Venetis, Galli se celeriter subriperent: ac magna impedimentorum parte direpta, cumque iis regio tentorio, & cubiculo, & supellectili sacra, qua rex in templo utebatur, signisque militaribus aliquot amissis, tantum itineris quantum lassitudine atque vulneribus confecti poterant, contenderent, noctemque illam magno cum timore sub dio sine tabernaculis, sine castris exigerent. Imperator sua in castra rediit. Desiderati sunt ex Venetis circiter mille quingenti: quorum non minimam quidem partem vel iniquitate loci detentam, & vagam, vel acceptis vulneribus, aut suffossis equis prolapsam & morantem, calones lixæque Galli, quorum permagnus erat numerus, qui ab equitatu leviore disjecti se ad acies referebant, desertos a reliquis militibus plures singulos adorti securibus interfecerant. Ex iis qui fortiter pugnantes interierunt, fuere, præter Rodulfum, imperatoris præfectus militum Ranutius Farnesius Romanus, claro loco natus, vir magna virtute, Alexandri Farnesii illius, qui postea Pontifex Maximus creatus, Paulus tertius dictus est, patruelis frater; & familiaris imperatoris comitatus parte plus media, tum præfecti equitum viri fortissimi duodecim, centuriones quatuor. Bernardinus autem Montonius, multis vulneribus acceptis, equo dejectus, inter cæsorum corpora repertus, per suorum humeros relatus in castra, servatusque est. In ipso vero prælio Nicolaus Ursinus, quem Nolæ captum a Gallis dixeramus, & rex custodiri jusserat, pugnantibus omnibus elapsus, ad legatos Venetos contendit, suamque operam reipublicæ pollicitus, Gallos prope fractos esse eos, si quævis una ipsorum acies insequatur, terga daturos

ros confirmans, contestansque Deos; id ut legati mandarent, magnopere suadebat: qui, perculso temere exercitu, militibusque aut dispersis, aut pedem referentibus, eam rem aggredi non sunt ausi. Ex Gallis interfecti sunt ad mille, atque ex iis dux vigilum regis, itemque sagittariorum, & magistratus is, quem ipsi *magnum Maressalem* appellant, aliique præfecti militum decem: tum nothus Bojus, primæ fere apud regem auctoritatis, & magni inter Gallos nominis, vulnere accepto, duoque magnorum principum liberi, & sacerdos regius, aliique captivi facti, cum eo prælio ex Venetorum exercitu nemo vivus in hostium potestatem venisset. 1495

Caroli regis fuga.

Postero die rex ante lucem igne plurimo facto, ut ejus copiæ ibi esse viderentur, sine ullo strepitu abiit, celeritateque usus, quam longissime potuit, antecessit. Veneti mane consequi regem cum vellent, Taro flumine, quod ea nocte creverat, impediti restiterunt. Tum Severinas, qui prælio cum suis abstinuerat, imperatori legatisque sese obtulit, si sibi equitatum leviorem traderent, se regem remoraturum, dum ipsi cum reliquo exercitu veniant. Re impetrata, cum equitibus mille quingentis Italis profectus, longiore itinere per occasionem suscepto, quod flumen creviisset, consequendi regem eo die volens tempus omisit: quem postea cum esset consecutus, ei dux ministerque itineris potius, quam morator fuit. Aream prope usque: ut id quod petierat ab imperatore legatisque, propterea videretur petiisse, ut illum in tuto sisteret. Id ab eo de Ludovici sententia esse susceptum ea res indicio fuit, quod Bernardo Contareno ab Ludovico petenti, uti se cum suo equitatu extremum regis agmen aggredi sineret, Ludovicus non permisit. Eo biduo magnus equitum conscriptorum, multo major militum numerus ad exercitum Venetorum venit. Imperator subsidente flumine cum exercitu profectus, cum rex bidui eum itinere præcederet, consequendi regem facultate amissa, Græcos equites levissimos sexcentos misit, qui ejus agmen carperent, quaque possent, exercitui nocerent. Ii

dum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 dum iter facerent, multa in via cadavera Gallorum paſſim jacentia conſpexerunt : ut plus etiam, quam credebatur, exercitui regio eſſe illatum cædis appareret . atque ii quidem equites poſtremum regis agmen celeritate conſecuti, compluribus interfectis, præda etiam facta ad imperatorem redierunt. Eo de prælio a Senatu ſupplicatio decreta eſt, gratiæque Diis immortalibus actæ, quod civitatem magnopere ſuſpenſam, tantarum rerum expectatione, fuga hoſtium liberaviſſent: Nicolaoque Urſino auri libræ decem dono datæ . Sed rege Carolo Neapoli profecto, ut pauliſper ad ſuperiora revertamur, Veneti de claſſe regia in Liguriam miſſa, ut ſupra demonſtratum eſt, certiores facti, ſuum hominem cum pecunia Genuam ad naves onerarias, quibus ad mercaturam uti civitas privatim conſuevit, habetque in portu fere ſemper multas, militibus rebuſque omnibus ad bellum propulſandum idoneis celeriter armandas, contendere juſſerunt: cum Ludovicus item inſtrui naves longas aliquot ibidem juſſiſſet. Pollicitæ præterea ſunt procurantibus Patribus fœderatorum legationes Genuenſium magiſtratui, ut libentius contra Gallos arma caperent, ſe curaturas effecturaſque, uti eis Florentinorum civitas Serezanam, Serezanulamque, ac Petram Sanctam in Apennino oppida reſtitueret: ejuſque rei petentibus ipſis Senatus prædem ſe dedit . Fuerant ea oppida complures ante annos Genuenſium magiſtratus, qui publicæ privatæque pecuniæ, quæ in ærario vulgo deponitur, præeſt, ob eamque pecuniam dominis ternas centeſimas quotannis ſolvit: ſed ab iis qui civitati tum præerant, pignoris nomine ad rempublicam Florentinorum pervenerunt, tercentum auri libris mutuo ab illa eis datis. Ea ſibi reddi oppida civitas magnopere ſtudebat, erantque illa ipſa, quæ Carolo tradere Petrus Medices pactus fuerat. Regis igitur claſſis ad littora Genuenſium appulſa, cui quidem etiam ex Apennini jugis rex equites aliquot, peditesque Gallos quingentos auxilio miſerat, totam illam oram, quæ ad orientem ſolem ſpectat, in ejus poteſtatem redegit, Portu Veneris excepto.

ita

ita belli ab Carolo initium ea etiam ab regni parte in 1495
Venetorum ſocios eſt factum. Poſtremo cum Galli, Paulo & Objecto ducibus, ſucceſſu rerum elati, pedibus Genuam aggrederentur, civitas armata illos fudit fugavitque eo ipſo die, quo rex ad flumen Tarum adverſo cum Venetis prælio dimicavit . Tum pridie id. naves onerariæ longæque majori ex parte reipublicæ inſtructæ opibus, obſeſſam in portu Rapalo claſſem Gallicam, Rapalique arcem expugnaverunt, navibus omnibus cum earum præfecto captis: quibus in navibus mulieres erant captivæ permultæ, virgineſque ſacræ aliquot ſuis e Cajetæ fanis abreptæ atque violatæ, aurumque item ſacrum & argentum, ac fores æneæ portarum affabre illæ quidem factæ, magnoque comparatæ pretio, quas arci Neapolitanæ Galli detraxerant. Pauloque poſt Carretii principes, qui Finarium oppidum a Genuenſibus acceptum obtinebant, Intemelium oppidum, quod ad occidentem ſolem eſt, & Galli occupaverant, recuperaverunt: omniſque utrinque ora brevi ad Genuenſes rediit . atque hæc quidem in Liguribus geſta ſunt. Cumque ad Ludovicum ſigna Caroli regis quatuor e Gallorum capta navibus Genuenſis civitas dono miſiſſet, Ludovicus, magno reipublicæ merito id ſe facere pronuncians, duo eorum legato apud ſe Veneto dedit . Eodem quoque Genuenſes tempore legationem Venetias miſerunt, quæ Senatui gratias ageret, quod ea quæ feliciter contra Gallos geſſerant, ejus liberalitate atque ductu primo, & initium & incrementum & poſtremo etiam exitum habuiſſent.

Imperator autem Claſtidii cum eſſet, regem ſubſequens, Ludovico poſtulante, equites militeſque ad bis mille, Dertonam Alexandriamque Senatus jussu præſidio miſit. Eodem etiam petente, ut reſpublica legatos ex principibus civitatis ad ſe duos mitteret, qui ſecum rebus omnibus tam ambiguo tempore præſent, uti ſui cives, omneſque homines cognoſcerent, ei ſe curæ, regnumque ſuum eſſe, Lucam Zenum, Andream Venerium legatos Senatus creavit. Ab iis legatione propter ætatem renunciata,

Mar-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 *Senatus Veneti liberalitas in eos qui strenue rem ad Tarum gesserunt.*

Marcus Georgius, Benedictus Sanutus, ad id muneris eorum loco Mediolanum sunt ire jussi. Inter hæc Senatus decrevit, ut eorum qui fortiter atque amanter ad flumen Tarum contra Gallos rempublicam gesserant, vel viventium vel mortuorum ratio haberetur. Itaque imperator Rodulfi patrui equitatu stipendioque auctus est, nomenque ei clarius datum, ut latissime imperator appellaretur: præterea dono quotannis auri triginta libræ constitutæ, centumque in stipendium in præsentia missæ. Auctus & Bernardino Montonio equitum numerus ad mille, sexque auri libræ dono datæ in annos singulos: quæ quidem etiam nunc ad inutiles servato annos, ultimumque senium, & vitam modo producenti pecunia penditur. Nicolao item Nonio tum equitum Græcorum auctus numerus, tum vero etiam stipis summa, qua in annos singulos a republica donatus antea fuerat, amplior facta. Rodulfi vero liberi in reipublicæ fidem recepti, pensioque librarum auri decem victus annui nomine eis data: decretumque, uti maribus singulis equitum turmæ singulæ præfectique earum attribuantur, quoad ipsi exercere se per ætatem possint: fœminis, cum erunt nubiles, dos e pecunia publica pro earum gentisque nobilitate numeretur. Farnesii duobus liberis maribus equites quadringenti, quos primo a republica stipendio pater eorum habuerat, cum præfecto dati, dosque ampla fœminis publice pollicita. Vincentii Corsii liberis patris equitatus datus: filiæ, quam unam reliquit, dos auri librarum quadraginta constituta: intereaque dum fit nubilis, in virginum sacrarum collegio uti victus publice subministretur, Senatusconsulto additum. Alexandri Beraldii Patavini equitatus Francisco fratri, qui cum illo ea in pugna fuerat, vulneribusque acceptis superfuerat, & pensio annua, quæ ei a Quæstoribus curabatur, attributa. Idem in Roberti Strotii item Patavini fratre superstite servatum. Literæ præterea publice ad legatos datæ; curarent, ne quis, qui bene de republica meritus esset, ab ipsis præteriretur, quin de eo ad Senatum scriberent: ex eorumque literis in complures, complu-

pluriumque liberos fratresque Senatus pietas liberalitasque 1495
extitit.

At vero interea rex septimo post prælium die Astam ingressus fugæ finem fecit, confecto cum timore ac labore viæ, tum commeatus non omnino magna inopia exercitu. Nam ut sunt ad conferendas manus, præliaque committenda Galli omnium prope hominum paratissimi atque fortissimi, ita ad perferendos paulo diutius labores, inediamque tolerandam, supra cæteros animus eorum mollis infirmusque est, omnisque illa ardens ac vehemens brevi tempore virtus elanguescit atque restinguitur. Paucis post diebus edicto magistratuum Gallorum, Veneti, Mediolanenses, Liguresque omni e Gallia, quæ in imperio Caroli erat, exules facti sunt, pœna iis qui recepissent, constituta. Itaque Petrus Pascalicus Venetus, qui Lutetiæ Parisiorum philosophiæ studiis sacrisque literis operam dabat, servili veste sese occultans in Morinos aufugit. Deinceps autem cum Ludovicus legatique Novariam omnes copias adduxissent, hostesque crebris ex oppido excursionibus eos lacesserent, secundiora cum iis fere semper Veneti prælia fecerunt: quibus in omnibus Bernardi Contareni virtus egregia extitit. Postea vero quam communi consilio oppidum obsidione cingi placuit, & Aloisius regis propinquus, quique cum eo erant in oppido equites milites ve numero ad millia octo, inopia frumenti laborare commeatusque cœperunt, quod ante hostium adventum ejus rei nullam curam habuerant, missi ad eos furtim cum jumentis frumentariis equites regii ab eodem Contareno sæpe intercepti, sæpe una cum iis ii qui ex oppido regiis equitibus subsidio venerant, cæsi fugatique sunt. Neque rex interim novas copias, ut Aloisium obsidione liberaret, e Gallia quotidie postulare, accersere scriptis ad suos magistratus atque ad uxorem literis intermittebat: quas ad literas illa se jam viros, qui velint Alpes trajicere, omnino nullos habere, regi respondit: fœminas viduas se permultas habere, quarum viri in Italia periissent. Ab Helvetiis etiam per legatos atque inter-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 terpretes idem petebat: ſed ſtipendiorum inopia, ne rem conficeret, impediebatur. Quin etiam ea de cauſa ex Helvetiis, quos habebat, milites centum, ex Germanis alteri otidem, ad Venetos tranſierunt. Tum vero ab iis ſuburbana ædificia incenſa, tormentaque muralia oppido propius admota, & obſeſſi modis omnibus acrius premi cœpti: quibus in rebus adminiſtrandis Nicolaus Urſinus fiſtulæ glande plumbea ſupra renes percuſſus, pro mortuo ſublatus, atque in caſtra relatus eſt, neque poſtea ei bello interfuit. Gallos igitur qui obſidebantur, magis magiſque in dies rerum omnium egeſtas atque inopia premebat, ut equis in eſcam uti cogerentur: complureſque corruptis farinis, aut pane furfuraceo veſcentes, tum aquæ potu, quo Galli Germanique minime omnium uti aſſolent, interirent. Percuſſerat autem paulo antea nummum æreum Aloiſius, cum pecunia eum defeciſſet, qui pro argenteo polleret. Hæc cum crebris occulte nunciis literiſque regi ab Aloiſio ſignificarentur, quorum plerique ab hoſtibus intercipiebantur, nonnulli noctu, magniſque imbribus profecti, diverſis atque occultis itineribus ad regem perveniebant, ſeque ille perpaucos poſſe ulterius dies obſidionem ſuſtinere diceret, deceptum autem & deſtitutum quereretur: rex ab hoſtibus pacem petere conſtituit. Itaque per Argentonium tentare imperatorem ea de re cœpit. Ab eo ad legatos, ab iis ad Ludovicum, cujus cauſa bellum gerebatur, re delata, ſæpius deinceps eo libentiſſimo jactata, qui jam quieſcere, quam alendis exercitibus conteri & bello periclitari malebat, induciæ primum factæ, deinde Aloiſio cum paucis abire Novaria permiſſum.

Demum pax ab rege, atque ab Ludovico circiter nonas octobres concelebrata, iis conditionibus, ut Novaria Ludovico redderetur: tum ex libris auri vicies centies, quas ab Ludovico rex in Neapolitanum bellum mutuo acceperat, mille ei & quingentæ rependerentur, quingentæ regi cederent: Ludovicus autem naves Gallicas in Rapali captas portu, nunciis regiis reddendas curaret: & Triultium, cujus bona publicaverat, exulemque ipſum fece-

Pax inter Carolum VIII. & fœderatos principes.

fecerat, ab exilio revocaret, in integrumque reſtitueret: 1495
ne ve auxilia Ferdinando regi mitteret: & Carolus quantam vellet claſſem in Liguribus comparare poſſet: eaſque ob res Genuæ arx Herculi Ferrarienſium principi vice obſidum traderetur, quam ille regis nomine biennium obtineret. quam quidem ad pacem celerius ſanciendam ea etiam cauſa regem impulit, quod Helvetiorum multo major, quam ipſe petierat, manus domo tandem egreſſa, ut regi auxilio eo in bello eſſet, partim Vercellas ad regem venerat, partim appropinquare nunciabatur; omnes numero ad viginti millia. quibus quidem jam ſtipendium, quod rex pollicitus fuerat, arroganter ac ſeditioſe poſtulantibus, rex perſolvere non poterat, emuncta creberrimis ingentibuſque in bellum theſauris regi ſubminiſtrandis tranſalpina Gallia, viciniſque regibus fere omnibus, accepta ſuperioribus menſibus mutuo ab eis pecunia, prorſus exhauſtis. Itaque cum intellexiſſet eos unos qui venerant, nocturna concilia de ſe capiendo habuiſſe, veritus ne ſi reliqui Helvetii propius acceſſiſſent, vim eorum ſubterfugere non poſſet; pace ſtatim facta eos ſero veniſſe ad ſpeciem queſtus, atque in Taurinos propere abiens, domum, qua conditione potuit, remiſit.

Ea de pace cum rege ineunda Veneti ab ejus interpretibus, tum a Ludovico ſæpe invitati, conſulto Senatu reſponderunt, ſe ſe omnino, niſi de ſociorum voluntate atque conſilio, quibus cum fœdus percuſſiſſent, nihil acturos: nam quoniam ex iis, quæ eo in bello geſſerat Ludovicus, quantum ei eſſet credendum, non ambigue cognoverant, novo ſe fœdere implicari cum tam infido homine plane nolebant. Id ægerrime cum ferret Ludovicus, exiſtimans Venetos alieno ab ſe ſe animo eſſe, quæſtuſque apud legatos, Senatum omnia alia, præterquam de ſua ſalute, cogitare, ſuis militum præfectis clam imperavit, uti flumina, qua eſſet exercitui reipublicæ tranſeundum, ſi domum redire vellet, communirent, naveſque abigerent, ne trajicere ſe invito poſſet. Ea per amicos reipublicæ delata res ad legatos, magnopere eos commovit,

Ludovici ſortiae in Venetos perfidia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 quod tantis objectis fluminibus iter se impeditissimum habituros intelligebant, Ludovici exercitu munitissimis in locis se opponente. pontium autem efficiendorum facultatem sibi datum iri non videbant, præreptis navibus, quibus imponi possent. Tum illud etiam timebant, ne, si vis adhiberetur, perfidia Ludovicus sua Gallos sibi adiungeret, ut rerum dominus, & pacis ac belli arbiter videri posset. Hæc versantibus legatis, Contareno adhibito, neque satis tutum ejus rei exitum reperientibus, ubi omnes paulisper conticuerunt, *Ego*, inquit Contarenus, *iter vobis domum, si annuitis, patens atque tutum comparabo.* Ad ea cum legati, quonam id tandem modo, quove consilio esset effecturus, ab eo quæsiviissent: *Hodie*, inquit, *ut consuevistis, vos & Ludovicus una eritis communibus de rebus consulturi: aderunt cum illo sui duces, vester vobiscum imperator, præfectique: fores claudentur: disceptabitur. tum ego illum, tanquam allocuturus, hoc vobis gladio confossum atque confectum dabo: ea re patrata, neminem ex ejus ducibus ferrum educturum certo scio. quis est enim eorum omni non fœmina timidior? aut quis illum non pessime odit, uno aut altero excepto? qui tamen ipsi ad Carolum legati de pace profecti adesse non poterunt. Ludovici etiam exercitus ipso mortuo ad vos signa transferet, si se receptum iri intelliget, præsertim spe largitionis aliqua oblata. quod si fit, ejus quoque regnum vestris in manibus versabitur. ita ille, ut meritus est, suorum scelerum pœnas pendet: vos reipublicæ injurias nullo dispendio ulti, vestram dignitatem pulcherrime retinebitis.* Erat Contareno procerum sane corpus, & vividum solidumque; vires immanes, vastæque, ac prope inexuperabiles: animus cum prudens, tum omnium magnarum rerum capax, ut quod is polliceretur, etiam præstari posse confideres. Itaque ea legati cum intellexissent, maximis illum laudibus certatim efferentes, quod tantam rem aggredi pro communi salute non dubitaret, constituerunt, hoc ad extremum reservato consilio, experiri, num Ludovicus ad sanitatem bonis artibus converti posset. ea tamen de re, quam

Contareni audax consilium de Ludovico interficiendo.

quam Contarenus proposuerat, notis scriptas literas ad 1495
Decemvirum magistros confestim dederunt, postulantes uti rescriberent, *vellent ne, atque permitterent, si necessitas urgeat, eo consilio ipsos uti.* qui de collegii sententia rescripserunt, *ex reipublicæ dignitate sibi eam rem non videri.* Ludovicus interea cum legatorum dissimulatione atque prudentia, qui ea se nescire quæ ab illo parabantur, ostendebant, tum sua sponte, quod nihil omnino tuti irritandis legatis in tam nova suspectaque dominatione se habiturum videbat, ab eo per se consilio destitit. Iis confectis rebus, milites obsessi oppido Novaria emittuntur: oppidum Ludovico restituitur. Legati Veneti post hæc omni cum exercitu Cremam cum venissent, militesque, quos oportuit, dato stipendio missos feciissent, reliquosque milites equitesque in hyberna deducendos curaviissent, cum imperatore Mantuam profecti, ludis ab eo dies aliquot habitis, ad urbem reverterunt. Carolus cupidissimis suis omnibus, multo cupidius ipse, trajectis Alpibus, suum in regnum concessit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN LIBRUM TERTIUM C. AUGUSTINI CURIONIS EPITOME.

FErdinandi regis in Calabriam adventus & adversa cum Gallis pugna. Neapolitanorum in Gallos odii causſæ. Ejuſdem Ferdinandi Neapolim reditus. Venetorum in regno Neapolitano res pro Ferdinando geſtæ. Claſſis a Venetis Neapolim miſſa. Cellæ farinariæ apud marcianum forum Venetiis ædificata. Piſani ſe ſe Venetis dedentes a Senatu rejiciuntur. Thracii regis ad Senatum legatio & munera. Faventini cum ſuo regulo a Senatu in fidem accepti. Horologium Venetiis in foro factum. Venetorum cum Ferdinando Aragonio fœdus. Gallorum & Ferdinandi varia in regno Neapolitano fortuna. Piſani a Venetis, Pontifice & Ludovico Sfortia in fidem accipiuntur, & Piſani belli initium, atque progreſſus. Triumviri rerum navalium inſtituti. Lex de bonæ fidei poſſeſſoribus lata. Ludovicus Sfortia a Maximiliano Cæſare rex appellatur. Naupliorum equitum cum Turcis pugna. Bernardi Contareni in regno Neapolitano res geſtæ, ejuſdemque obitus. Ferdinandi Neapolitani regis obitus, & Federici in regnum ſucceſſio. Biſſinianorum princeps a famulo vulneratur. Gallorum Cajeta diſceſſus, eorumdemque naufragium. Tarentinorum de deditione & Veneti Senatus de illis accipiendis vel non, varia conſilia. Gallici morbi origo. Maximilianus Cæſar a Ludovico Sfortia, Venetis & reliquis fœderatis accerſitus, contra Gallos in Italiam venit. Res in Etruria geſtæ, ejuſdemque in Germaniam reditus. Incendium naufragiumque paſſis a Decemviris proſpicitur. Gallorum in Inſubria conatus. Navalis inter Florentinos & Venetos pugna. Caroli regis e vita tollendi facultas a Senatu rejicitur.

PE-



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE

LIBER III.

FErdinandus ubi Carolum Neapoli profectum cognovit, acceptis Meſſanæ militibus ad mille (ibi enim tunc erat) quo quidem civitas in vicini atque amici regis gratiam depenſo trium menſium ſtipendio ei præſto eſſe juſſit, navibus longis duodecim in Calabros trajecit, & Rhegium Crotonemque recepit: ac ſecundo cum Gallis pedeſtri facto prælio, interfectis captiſque compluribus, reliquos cum eorum duce in proximum oppidum compulit. ad quos cum auxilia undique convenirent, victus ab iis ingenti clade cum paucis Rhegium fugiens, uni ſaluti conſuluit ſuæ. Idem autem paulatim ſe confirmans, cum jam Gallorum imperii pleroſque eorum, qui eos lubenti animo exceperant, magnopere pœniteret (nihil enim fere cujuſquam neque ſanctum, neque tutum ab illis erat)

1495 *Ferdinandus Neapolitanum regnum recipit.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 cum Hiſpanæ claſſis navibus quadraginta, quam ſuperiore libro miſſam in Siciliam dixeramus, & ſuis cum triremibus duodecim Aenariam ad inſulam, quæ ab eo non defecerat, venit. Atque illis ipſis quidem diebus res ejuſmodi acciderat, quæ magnam invidiam in Gallos conflaverit. Nam cum ii, qui Cajetæ præerant, navem longam remigibus inſtruere vellent, municipeſque imponere, illi ſe cogi paſſi non ſunt, palamque prædicaverunt, *nolle ſe contra Ferdinandum regem duci*: atque ad arma capienda proſilierunt. Galli eos veriti, ſe in arcem oppidi receperunt, atque ad auxilia proximis ex oppidis evocanda miſerunt: quibus adductis magnam civium cædem fecerunt, magnam in oppidanos ſtragem ediderunt, matribus familias & virginibus vulgo in ſervitutem atque libidinem abductis. quæ intellecta res Neapolitanorum animos jam ante infenſos & labantes, ab Gallis magnopere averterat. Ea cum ſic cecidiſſent, ipſe autem Ferdinandus Neapolim non obſcuris multorum vocibus ſermonibuſque acerſeretur, quem etiam adventare intelligebant, ſpei atque fiduciæ plenus ab Aenaria naves ſolvit, atque ad littus Neapolitanum claſſe appulſa, non longe ab oppido exponere milites cum vellet, impeditus a Gallis atque rejectus, de tota re deſperans, quod ab oppidanis nihil ſibi auxilii emitti, nihil tumulti fieri animadverterat, ad Aenariam revertebatur. at civitas ægre id paſſa, armis captis, Gallos partim ejecit, partim in arces, quæ ab illis tenebantur, conjecit. Id a piſcatoria navicula Ferdinando nunciatum, ſpem ei priſtinam facile reſtituit. quamobrem ſua cum navi incitatis remigibus ſtatim Neapolim rediens, magno populi conſenſu in oppidum receptus eſt. Ita parvo temporis ſpatio ſæpius modo bonam, modo adverſam expertus fortunam, ac variis rerum ſuarum eventis tanquam fluctibus jactatus, cum id minime fieri poſſe confideret, ab eadem quaſi tempeſtate atque ventis in portum conjectus eſt. Pauloque poſt Galli, qui ei arci præerant quæ Capuana appellatur, ſe ſe atque arcem Ferdinando dediderunt. Tum naves Gallicæ ſexdecim,

Non. jul.

cim, quæ in portu Neapolitano erant, veritæ ne intercirperentur, egreſſæ ad inſulam Megarem jactis anchoris ſe continuerunt. Ferdinandi claſſis ad Bajas ſubſtitit. Iis nunciatis rebus, Nolani, Atellani, Capuani, aliaque vicina municipia propenſo ad illum ſtudio celeriter redierunt: videbanturque reliquæ ejus regni civitates idem facturæ, ſi modo rex firma cum manu eodem accederet. Ille autem per ſe omnibus ab rebus, quæ ad bellum ſunt uſui, præſertimque a pecunia plane imparatiſſimus, magiſtratum Venetum, qui vetuſta conſuetudine ea in urbe reipublicæ hominibus juri dicendo præerat, perhumaniter eſt allocutus: *ſe ſe quod Neapolim recuperaviſſet, reipublicæ acceptum referre, quæ fœdus cum Alexandro, reliquiſque regibus iniiſſet: quod autem ſupereſſet (quod quidem certe magnum, atque perplexum ſciret eſſe, tot municipiis toto in regno, tot munitis oppidis Gallorum imperium ſecutis) ejus ſe fidei, liberalitatique permittere*. Eo ſermone apud illum habito, Federicum patruum cum navibus longis tribus ad Antonium, quem in Apuliam cum claſſe veniſſe intellexerat, conveniendum, ſeque illi commendandum propere miſit.

1495

Antonius, paulo ante ad Saſonem inſulam Senatuſconſulto accepto, tantum in Apuliam trajiceret, Brunduſium, quod municipium ad Gallos non tranſierat, venit. Oppidani Antonium amice atque benivole excepere, eique ſe dedere voluerunt, atque ut inſigne reipublicæ in oppidi foro ſuſtolleret, ab eo magnopere petiverunt. Antonius Brunduſinis collaudatis, atque ut in regis ſui fide permanerent cohortatus, ibi dies aliquot, dum quid imperarent Patres ſcire poſſet, eſt commoratus. Illi autem niſi de fœderatorum ſententia, Hiſpaniæque in primis regum conſociata voluntate, qui eadem paratam habebant, nihil omnino agere conſtituerant. Itaque a legato regio miſſi in Siciliam nuncii, ejus rei eventum tardiorem reddiderunt. Accepto tandem altero Senatuſconſulto, quo bellum Gallis inferre jubebatur Antonius, biduo ſcalis reliquiſque rebus ad oppugnationem oppidorum compa-

Antonii Grimanires geſtæ in regno Neapolitano.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 randis consumpto, cum triremibus XX. naveque una oneraria bellica, & altera, in qua erat equitum Græcorum non magnus numerus, ad oppidum Monopolitanorum, quod est in maris littore, a Gallisque obtinebatur, accessit: præfectumque Gallorum, uti se dederet, per internuncios cohortatus, ubi illum ad propugnationem paratum vidit, expositis equitibus, qui discurrerent, populationemque facerent, & aliquid in agris aut vitis aut oleæ succiderent, tectorumque incenderent, si ea re cives ad deditionem compelli possent: ubi neque id quidem quidquam proficere animadvertit, tormentis e navi oneraria murum oppidi dejicere aggreditur. Id cum propter longinquitatem parum ex usu administraretur, Hieronymo Contareno legato, præfectisque triremium, uti naves tegerent ad ictus cum tormentorum, tum vero lapidum atque telorum, quæ de muro adigerentur, imperavit: postridieque ejus diei mane iis, qui primi murum ascendissent, propositis præmiis, navibusque omnibus sub conspectum hostium dispositis, oppugnare oppidum multo acrius est adortus: qua in oppugnatione Petrus Bembus navis longæ præfectus, vir egregia virtute, cohortans suos pila ferrea trajicitur. Antonius cum horas aliquot Gallis atque oppidanis acerrime propugnantibus suos vulnerari, hostes non defatigari, minus denique rem procedere animadvertisset, oppidum militibus diripiendum proposuit. Tum vero prædæ spe milites remigesque incitati, cohortatique inter se, ad murum convolaverunt: scalisque positis cum amplius horis duabus continenter atque fortissime pugnavissent, dejectis interfectisque propugnatoribus in oppidum se injecerunt, diripereque contenderunt, Aloisiumque Tintum Venetum, qui eo in oppido mercaturam exercebat, imprudentes occiderunt, domumque ejus diripuerunt. Antonius reclusis portis in oppidum ingressus, mulieres, quæ natu majorum usæ consilio ad aras Deorum immortalium cum infantibus confugerant, a militum injuria defendit, oppidoque est potitus: sectionemque earum rerum, quæ distractæ nondum essent, multo minoris, quam vendi aliis po-

potuissent, die laxissima oppidanis ipsis vendidit. quibus 1495
etiam, quo minore damno amissis rebus suis afficerentur, annos decem omnium munerum & tributorum levationem concessit. Eo oppido capto, nonnulla ejus regionis municipia se Antonio dediderunt. atque hæc quidem adhuc ipsa Ferdinando Neapolim recipienti nota non erant. Antonius Nicolao Cornelio, qui Monopolitanis præesset, relicto, missoque Pulinianum, quod oppidum abest a littore, eique se dederat, Alexandro Pisauro eodem nomine, Sipontum est profectus, quod jam per se se, ob Gallorum insolentiam atque libidinem, in Ferdinandi partes oppidum redierat ejectis Gallis, qui se in arcem contulerunt. Ad quos cum Antonius misisset, uti arcem Ferdinando restituerent: id ni facerent, eos se hostium loco habiturum: responderunt, nihil sibi cum Ferdinando rei esse: ipse si velit eos recipere, ejus se fidei libenter permissuros. itaque acceptis in fidem Gallis Antonius, Federico, qui jam ad se Ferdinandi missu venerat, arcem reddendam curavit. Eodem tempore qui Tranensium arcem tenebant, missis ad illum interpretibus, velle se ejus imperata facere, Antonio significaverunt. ille, ut Ferdinando se se dederent, hortatus, eos non tam lubentes, quam auctoritate sua compulsos, tanquam de manu Federico tradidit, eidemque Græcorum equitum dimidiam partem, quorum jam erat numerus ad quadringentos quinquaginta, potenti dedit.

Senatus in cives bene de patria meritos liberalitas.

Patres cum intellexissent Ferdinandum Neapolim recuperavisse, decreverunt, ne quid Antonius oppidorum, ne ve omnino locorum amplius reipublicæ nomine in regno Neapolitano caperet. tum Petri Bembi uxori liberisque, victus annuus a Senatu dono datus: duabus quoque filiis dotis nomine libræ auri quadraginta, duabus alteris in sacrarum virginum collegia jam destinatis, quod ad id satis esset, constitutum. Antonio autem Tinti fratri, ab adolescente me inimici hominis afflictis rebus causa bis apud Patres perorata, proventus est annuus Senatus decreto & liberalitate attributus: quo se nunc quoque,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 que, familiamque ſuam, ſenex oculiſque captus ſuſtinet. Poſt hæc Alexandro a Senatu poſtulante, ut illam ipſam claſſem Neapolim ad Ferdinandum auxilio levandum tam opportuno tempore mitteret, tametſi permagnis Gallici exercitus impenſis civitas diſtinebatur, concedendum tamen cenſuit. Itaque Antonius Græcis equitibus centum, & navibus duabus Monopolitanorum præſidio relictis, Tarentum adnavigavit: quod quidem oppidum, appulſo eo cum ſeptem navibus longis, quas ad ejus tres Antonius addiderat, Federico, ad Ferdinandum tamen non redierat. Ibi ventris profluvio arreptus Antonius, navibus viginti, quibus Contarenum legatum præfecit, Neapolim ad Ferdinandum juſſis contendere, ipſe cum reliquis navibus (aliæ enim nonnullæ ad illum interea naves convenerant) Corcyram eſt profectus. Eodem anno cellis farinariis urbanis, quæ publicæ ad Rivum altum antiquitus ſunt inſtitutæ, longinquæ plebis & inquilinorum parti uſum incommodiorem præbentibus, alteræ apud forum, reipublicæque horrea exædificatæ, calendis ſextilibus exerceri cœptæ ſunt, magiſtratibus adhibitis.

Piſani ſe Venetis ultro dedunt.

Iiſdem fere diebus Florentinis Piſas bello repetentibus, cum per ſe oppidani contra tantas opes municipium diutius ſe tueri poſſe diffiderent, ſuum ad Senatum interpretem ſecreto miſerunt, *velle ſe ſub reipublicæ imperio eſſe: petere, rogare, ut reciperentur*. Res primum nova Patribus, quæ neque ſtatim rejicienda, neque temere ſuſcipienda eſſe videretur: deinde magis magiſque in eorum animos irrepere, pulchrum exiſtimantium augeri imperii fines, atque ad mare Liguſticum protendi. magnum porro eſſe Venetum nomen, cui ſponte tam longinqua civitas, tamque nobilis ſe ſe dederet: ſed factum prope ſimilibus rerum eventis, quos ſi majores noſtri deſpexiſſent, nulli nunc populi ejus imperium appeterent: itaque recipiendas eſſe Piſas, quas Dii immortales reipublicæ addicerent. Ea cum ſententia majori Patrum numero probaretur, res in Decemvirum collegio agitari cœpta eſt, quo lex occultius ferri poſſet.

Tum

1495 Tum Marcus Bolanus ſexuir ex iis qui Principi aſſident, tacentibus reliquis, ac legis lationi prope aſſentientibus, ſuggeſtum aſcendens, *Debere eos*, dixit, *qui de rebus dubiis agunt, non tam quid velint ipſi, aut cupiant, quam quid ſit utile reipublicæ conſtituere. neceſſe enim eſſe, ſi ſuam modo libidinem ſequantur, ut ſui eos conſilii tum pœniteat, cum ea, quæ proviſa ipſis non ſunt, magna interdum & formidoloſa rerum momenta atque pericula exiſtunt. An me quoque*, inquit, *Patres idem, quod vos, & optare maximopere, & optato frui, cupere non exiſtimatis? non Piſas modo, de quibus nunc conſulimur, ſed reliquas etiam Italiæ civitates, oppida, populos, juris noſtri eſſe, mareque ſuperum atque inferum in reipublicæ imperio contineri? Ego vero iſta percupio, meaque morte cum fortuna paciſcar, ut tam proſpera reipublicæ ſit. Sed cum hoc opto, tum illud timeo, ne ſi Piſas receperimus, magno cum noſtro dedecore, reique publicæ incommodo eas ipſas brevi tempore amittamus. nam quemadmodum quidem ſitæ poſiteque ſunt Piſæ, ad eas defendendas auxilia mittere per alienos fines multorum dierum itinere nos oportebit: quorum populi noſtris conatibus ſi adverſabuntur, aut erunt ipſi bello prius atque armis ſubigendi, ut quidquid inter noſtros ac Piſarum fines jacet, pacatum iter atque tutum noſtris exercitibus præbeat: aut nobis turpiter ab incepto deſiſtendum. Nam mari tanto circuitu, tam ſalebroſis littoribus, tantum exercitum tranſmittere, quanto erit opus, ut cum unis Florentinis bellum geramus, qui poterimus? nullus vicinorum Piſis regum, nulla natio eſt, quæ non Florentinos malit, quam nos, ſuæ ditioni finitimos habere: propterea quod noſtram potentiam, noſtraſque opes magis quam illorum verentur: magis nos, quam illos, ſibi eſſe metuendos intelligunt. Eſt autem a natura omnibus animantibus comparatum atque inſitum, ut quæ eis plurimum obeſſe poſſunt, fugiant: ad ea ſe applicent, quibus ad nocendum minus eſt virium & facultatis attributum. itaque paſſerculi gallinas anſereſque non vitant, cum columbis vero etiam nidificant: ab accipitre autem, & ab iis quæ raptu vivunt*

avi-

Marci Bolani oratio in Senatu, ne Piſani in fidem recipiantur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 *avibus, maxime quidem ſemper volatu latebriſque ſe ſe auferunt. Quamobrem cogitare debemus, etiam Ligures (quæ una quondam natio quam infeſta reipublicæ fuerit, annales noſtri teſtes ſunt: quantas a nobis clades acceperit, omnis ejus poſteritas memoria retinebit) ſi ſuæ ſpontis ſint, nos Piſarum dominos fieri nullis conditionibus conceſſuros, ſed ſua cum Florentinis arma, ſuas claſſes atque opes communicaturos, ut nos potiri Piſis ne permittant. Quanquam, ut horum temporum mores ſunt, ut fides in pleriſque fluxa, vereor, ne ii etiam qui fœdera nobiſcum pepigerunt, qui nobis ſua regna ſe debere profitentur, ubi nos eouſque velle fines proferre noſtros intelligent, nos celeriter deſerant, neque deſerant modo, ſed arma etiam contra nos capiant, cumque hoſtibus noſtris conjuncti, communi nos bello atque conſilio eſſe avertendos & repellendos putent. Majores noſtri Vicetinos, cum a rege Patavino premerentur, ſe ſe illis dedere miſſis ad eos legatis cupientes atque orantes, in fidem receperunt. quid in illa huic ſimile deditioni fuit? oppidum vicinitate propinquum, ac prope conjunctum, ut iter impediri, atque acceſſio non potuerit: ipſum liberum, quodque Patavini reges antea non obtinuiſſent. itaque remiſſis cum auxilio legatis, facile defenſum atque retentum eſt. hoſtis autem eam ob rem novus nullus factus, ſed cum eo, qui ſemper hoſtis reipublicæ fuerat, bellum acrius renovatum, majores iidem noſtri proſpere atque feliciter geſſerunt. Quod ſi tam facilem rerum ſtatum, pareſque conditiones in Piſis recipiendis eſſe vobis propoſitas hoc tempore videtis: ſi non amico populo & reipublicæ a qua laceſſiti nulla re ſumus, ut id quod volumus aſſequamur, inſignis eſt injuria atque calamitas inferenda: ſi non, quæ in animis hominum jampridem inſedit opinio, nos regnandi cupiditate ſupra cæteros efferri, eam hoc exemplo ſic confirmaturi ſumus, ut non ſit poſthac inficiandi locus: ſi non etiam Ferdinandi regnum adhuc quidem multo maxima ex parte, Ludovici haud ex minima, Gallorum, quos hoſtes noſtros fecimus, præſidiis & exercitibus tenentur; neque, quem finem eæ res habituræ ſint, ſatis conſequi conjectura poſſumus, ut non tam de*

novo

novo bello capeſſendo, quam de inſtitutis conficiendis flammaque illa, quæ optimas atque pulcherrimas Italiæ regiones incendio corripuit, extinguenda, cogitare nos oporteat: legem Patres, quam rogamini, decernite: ego ipſe meum ſuffragium ad eam ſanciendam volens ac libens affero. ſin vero longe aliter omnibus a partibus ſe res habet, antequam Piſas eſſe recipiendas ſtatuatis, ea quæ ad bellum cum poſitis inter nos atque Piſas nationibus, cumque finitimis ei civitati populis agitandum, erunt uſui, comparate. Hac a Bolano dicta ſententia, magna eſt commutatio facta voluntatum: neque quiſquam omnium fuit, cui non Bolanus prudens ac ſapiens videretur: itaque lex in præſentia rejecta. 1495

Atque eo quidem tempore Alexander certior factus, Carolum regem ad Novariam obſidione liberandam multa quotidie aggredi, multa moliri; neque adhuc Neapolitani regni cogitationem abjeciſſe illum intelligens, quod quidem & firmis etiam nunc veteribus præſidiis, & novis comparandis tuebatur: naves enim Genuæ atque Maſſiliæ complures ad bellum inſtrui, ornarique mandaverat: gravioribus eum literis monuit, ut intra menſem ex omnibus Italiæ locis omnem belli apparatum abduceret: id ni faciat, ſe ſe illi, ejuſque populis aqua & igni interdicturum. Novaria deinde Ludovico reſtituta, paceque facta dedit etiam literas ad Genuenſium civitatem, eodem ſe in eos interdicto uſurum, ſi quid in claſſem opis Carolo contuliſſent. atque id ab eo Ludovicum petiiſſe, nemini dubium fuit, ut ea ſe re, ſi uni fœderis capiti non ſteterit, Carolo purgaret, quod pluris apud eam civitatem Alexandri auctoritas fuerit, divino præſertim jure adhibito, quo plerunque homines magnopere continentur, quam omnino ſua. Miſerat ad Senatum proſperis reipublicæ rebus cognitis, Turcarum rex certum hominem gratulatum, quod Carolum Galliæ regem Italia ſuis armis expuliſſet. Is equum egregia forma dono Patribus attulit: Patres Bernardo Contareno miſerunt. Interea Ferdinando rebus modo proſpere cedentibus, qui etiam Luceriam in

Turcarum regis ad Senatum legatio.

Dau-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1495 Dauniis vi cepit ; modo autem relabentibus, cum eum Galli aliquando intra oppidum ad Neapolim compulissent, diversisque in locis ei fortuna læta interdum, sæpius tristi se ostendente, ac spe regni sui recuperandi apud illius animum plane labante, Alexander ejus precibus atque periculo permotus, a Senatu magno studio petiit, uti exercitus partem aliquam ejus, qui Novaria redierat, ad Gallos expellendos, Ferdinandumque sublevandum mitteret: se curaturum, uti aliquot ejus regni oppida, quæ mare attingant, pignoris nomine, quoad, quidquid ea in re Senatus sumpti feciſſet, Ferdinandus reponeret, reipublicæ tenenda traderentur.

Senatus, nondum decreta exercitus profectione, inclinatis tamen ad eam rem civium animis, Bernardum Contarenum cum Græcis equitibus sexcentis Ravennam præmisit, quo minus ei, cum decerneretur, itineris illo perveniendi supereſſet. Quod posteaquam est Romam renunciatum, Ascanii suasu, qui diceret, Venetos sua sponte bellum suscepturos, non oportere quidqam eis oppidorum sumpti nomine a Ferdinando tradi, res dilata: legatique regii, qui jam Venetias ad pacisendum cum Senatu venerant, rogare tantum de exercitu, nihil ultra polliceri. Id ubi Senatus cognovit, & Ludovicum invidiæ suæ in rempublicam stimulis impelli agique animadvertit (nihil enim fere iis de rebus unquam Ascanius, nisi a fratre monitus jussusque loquebatur) legatos ab se rejecit, nihil esse confirmans, quod ea de causa in urbe horæ spatium morarentur. Interim cum Faventini, qui æstate proxima petierant a Senatu, ut quoniam certorum exulum insidias magnopere timerent, ipse pro sua pietate, oppidique vicinitate, ejus regendi curam susciperet, Hestoremque plane puerum, Galeoti ejus, de quo priore libro sermonem habuimus, filium, cujus erat in potestate civitas, auctoritate sua tueretur, postea rogandi & obtestandi Patres ea de re tempus nullum intermisissent, mense decembri Senatus decrevit, uti Faventinorum civitas, puerque princeps in reipublicæ fidem reciperentur: mitterentque Patres eo civem

Faventini a Senatu in fidem recipiuntur.

vem Venetum, qui pueri nomine jus diceret: ipse autem puer equites cataphractos centum haberet, stipendiumque in eos libras auri annuas octoginta. neque non tamen, antequam decerneretur, iisdem exulibus Florentinorum adjutis ope in eorum fines irrumpentibus, Bernardus Contarenus, qui Ravennam venerat cum Græcis equitibus militumque manu auxilio a Senatu missus, eos fudit fugavitque; ac regnum illud puero, quod jam prope amiserat, plane constituit. pauloque post Patrum suffragiis Dominicus Trivisanus, vir gravis atque prudens habitus, qui puerum Senatus nomine tueretur, oppidanisque jus diceret, legatus est Faventiam profectus. Atque ante eos quidem dies, uti horologium in foro ex reipublicæ dignitate fieret, cui ædis Marciæ procuratores aream darent, Senatus censuit. 1495

Horologium in Marciano foro positum.

At Ferdinandi legati cum multos dies Patribus placandis consumpsissent, pollicitique essent, Ferdinandum tria oppida nobilissima cum eorum agris atque finibus, Tranum, Brundusium, Hydruntum, eo quo dictum est nomine reipublicæ traditurum: anni insequentis initio fœderatorum omnium non approbantibus modo, sed etiam adnitentibus legatis, pacta inita, fœdusque percussum est: quo civitas fœdere traditis oppidis equites cataphractos septingentos, milites ter mille ad Ferdinandum mittere celeriter teneretur, qui una cum ea classe, quam Neapolim Contarenus legatus adduxerat, tandiu ejus imperata facerent, quoad bellum esset confectum. capitaque fœderi sunt addita, uti a quæstoribus urbanis libræ auri centum quinquaginta mutuæ Ferdinandi legatis vestigio curarentur: uti si parte aliqua Ferdinandus Græcis equitibus, quam cataphractis, uti mallet, pro eo cataphractorum numero, quem de summa detraxisset, Græcos sesquialteros haberet: uti ex publicis oppidorum proventibus, si quid in magistratuum & præfectorum stipendia facis impensis supereſſet, id in accepti a Ferdinando tabulis ferretur: uti quenque eo in regno virum principem civitas in fidem, nisi Ferdinandi permissu, ne reciperet: uti frumen- 1496

Venetorum cum Neapolitano rege fœdus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 mentum, oleum, reliquum ve commeatum eis ex oppidis & finibus aſportari ſine ſolitis portoriis ne liceret: uti Gargani montis ſaltum, qui a Gallis tenebatur, cum illum Ferdinandus recuperaviſſet, reipublicæ traderet. quod tamen caput ſcriptum non eſt, voce tantum atque verbis fidem fore quod convenerat facientibus agitatum. Atque id omnino fœdus Alexander ſuis ad Senatum ſcriptis literis ratum ſanctumque juſſit eſſe. nam quoniam antiquitus in regnum Neapolitanum Pontifices Maximi jus habent, caverant cum primis Patres, ea ut res Alexandri auctoritate perſcripta firmaretur. Fœdere confecto, qui oppida reipublicæ nomine a Ferdinando reciperent, miſſi: imperatorque Franciſcus cum ea, de qua dictum eſt, manu juſſus in regnum ſine mora proficiſci. Iis cognitis rebus, quas porro celerius more atque inſtituto civitatis fama vulgaverat, quamplurima ejus regni municipia brevi tempore ad Ferdinandum redierunt. Arces autem Neapolitanæ munitiſſimæ duæ, longa obſidione, certiſque conditionibus ſeparatim Ferdinando ſunt hos intra menſes, pauloque poſt redditæ, cum Galli, qui eas obtinebant, Alfonſum Avalum Aterni principem, virum magna excellentique virtute, ad colloquium vocatum occidiſſent: quæ quidem plane mors Ferdinando, qui eum impenſe amabat, aliti enim educatique una fuerant, incredibilem mœrorem ægritudinemque attulit. qua tandem excuſſa, Joannam Ferdinandi avi ſui filiam, Alfonſi patris alia matre ſororem, in matrimonium duxit: eaſque nuptias Alexander, quando legibus fieri non poterant, ſua indulgentia comprobavit. atque hæc tunc quidem in Ferdinandi partibus agitabantur.

At Carolus in Galliam rediens, nondum trajectis Alpibus, Philippum Argentonium ad Senatum miſit: *Exiſtimare ſe, eodem in fœdere quod cum Ludovico feciſſet, rempublicam eſſe comprehenſam, propterea quod imperator Venetus legatique ei fœderi, cum ſcriberetur, affuiſſent: quod ſi aliter ſe res habeat, ſcire ſe cupere, an vellet civitas tum demum comprehendi: petere autem, ut Monopolitanorum oppidum, quod ab ſuis vi atque armis claſſis reiblicæ præfectus cepiſſet, Senatus reſtitueret, atque a Ferdinando auxiliis juvando abſtineret.* quarum is rerum neutra impetrata diſceſſit. Carolo in Galliam profecto, filius, quem unicum habebat, tres natus annos moritur. qua quidem morte accidit, ut cum poſtea Carolus iterum exercitum coegiſſet, quem ad Ferdinandum repellendum Aloiſio propinquo ſuo duce mari Cajetam mitteret, Aloiſius, cui regnum Galliæ, Carolo ſine liberis maribus moriente, lege Gallorum obveniebat, profectionem reſpuerit. Itaque Carolus, cum alio duce nollet exercitum mittere, rem jam prope confectam diſtulit: pauloque poſt dilapſis cunctando militibus, ea omnino miſſio magnis impenſis inſtituta, certiſſimaque iis, quos Neapoli reliquerat, ducibus cum verbis tum literis ac nunciis promiſſa totiens auxilia, interpoſitaque regia fides, ad nihilum recideruntt.

1496

Ludovicus autem Gallici belli metu depoſito, cum id quod Piſarum civitas a Senatu petierat, amicorum literis cognoviſſet, Piſani vero patefacta ipſorum poſtulatione legatos etiam palam Venetias eadem de re miſiſſent, ne id quod verebatur accideret, uti ea civitas ſub unius reipublicæ imperium redigeretur, ſe ſe Senatui obtulit, ſi Piſas eſſe defendendas exiſtimaret, ejus rei ſocium & adjutorem futurum: videri autem ſibi, æquiſſimum eſſe eas defendi, propterea quod Florentini fœdus cum Carolo percuſſiſſent, cujus ipſe fœderis legatum occulte ad Carolum proficiſcentem ſuis in finibus interceperit. Re læpius a Patribus agitata, Ludovico magis magiſque quotidie adnitente, lex tandem in Senatu lata eſt, fœderatorum omnium legatis approbantibus, uti Alexandri & reipublicæ ac Ludovici armis atque opibus Piſæ defenderentur: additumque legi, ut in Ligu[illegible]ibus milites bis mille reipublicæ pecunia conſcriberentur, Piſaſque mitterentur. id autem uti Ligures permitterent, Ludovicus antea ſe receperat effecturum. Iis intellectis rebus Florentini, antequam auxilia contra ſe conveniren[illegible], omni cura dili-

Piſarum defenſio a Senatu ſuſcipitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 gentiaque adhibita, ſex militum millibus celeriter coactis, non ſine ſpe potiundi oppidi Piſas contenderunt, atque ad portas cum tormentis acceſſerunt. Hoſtes patefactis portis impetum in illos fecerunt, fortiterque pugnantes propulerunt, eorumque tormentis ſunt potiti. Neque multo poſt Paulus Vitellius, ex Urſina Romanorum factione ac gente, vir fortis, quem Piſani ſuis copiis præfecerant, eorum ſtipendio emerito, ad Florentinos ſe ſe contulit, ac præfectura, quam ei contulerant, inita, cum exercitum decem millium hominum confeciſſet, Piſas acerrime adortus, in oppidi ſuburbium ſe injecit: ex quo tamen ab oppidanis, qui quam magnam potuerant manum & ipſi coegerant, rejectus expulſuſque eſt. Sed illud idem ſuburbium Florentini poſtea cum cepiſſent retinerentque, Petrum Medicem veriti, qui Urſinos affines ſuos ſecum ducens, in ipſorum fines jamjamque irrupturus dicebatur, Piſis relictis, ad ſua ſe tuenda converterunt. Interim conſcriptis per internuncios reipublicæ quingentis Genuæ militibus, Piſaſque miſſis, Ludovicus Gaſparem Severinatem cum militibus, ut pollicitus eſt, alteris totidem, ut re evenit, pauciſſimis illo miſit, qui utriſque præeſſet. quo quidem tempore Florentinis ab Carolo contendentibus, ut Piſarum arcem, quæ ab ejus militibus tenebatur, pretio redimere ſibi liceret, Piſani majore etiam quam illi pollicebantur, pecunia partim pollicita, partim jam tradita, arcem receperunt, receptamque diruerunt. Ejus pecuniæ partem Decemviri Genuæ curatam perſolverunt libras auri ad quadraginta. Vere autem jam adventante, quod Dominicus Calbus majoribus in comitiis Bernardino Minoto Petri filio pugnum in os impegerat, Decemvirum Magiſtri Calbum e comitiis in carcerem duci juſſerunt: deinde collegii decreto in inſulam Cyprum exulatum deportari mandaverunt. tum, ut urbanorum navalium res multiplices atque variæ, quæque magna & perpetua indigent cura, diligentius adminiſtrarentur, ad reliquos navalium magiſtratus, qui antiquitus majoribus comitiis creantur,

Rei navalis Triumviri inſtituuntur.

Trium-

Triumviri ex principibus civitatis ex Senatorum ſuffragio 1496
adlecti ſunt, additique illis tanquam magiſtri: iique poſtea Triumviri nunquam ſunt creari deſiti. Aeſtate vero proxima, ne poſſeſſores bonæ fidei omni tempore turbarentur: nonnunquam enim accidebat delatorum improbitate atque audacia, uti de ſuis rebus periclitari aliquem contingeret, etiam ſi per multos annos poſſediſſet: legem Decemviri juſſerunt, quarum rerum quis triginta annos in poſſeſſione fuiſſet, earum rerum peti ab eo nihil licere, neque deferri quenquam licere, niſi ſi Decemvirum magiſtri permiſiſſent.

Lex de poſſeſſoribus bonæ fidei.

Ludovicus cum ejuſdem veris tempore a Maximiliano magnis largitionibus impetraſſet, ut eum regem Mediolani appellaret, ea de re gratulatum Hieronymum Leonem, quem antea ad Ludovicum Senatus legaverat, ire Patres juſſerunt. Atque illis etiam diebus a præfecto claſſis reipublicæ certum hominem Naupliam cum pecunia miſſum, ut equites quot poſſet illis in locis conſcriberet, navigiiſque imponeret ad urbem deportandos, adverſa tempeſtate complures Maleæ dies cum detineretur, iterque pedibus facere vellet, accerſitis Nauplia equitibus ducentis, qui ei præſidio eſſent, ſeptum in itinere Turcarum equitatus magno impetu eſt aggreſſus numero ampliſ plus ſexcenti: quibus cum Nauplii equites fortiſſime pugnantes majorem eorum partem interfecerunt, reliquos fugæ mandarunt, paucis ex ſuis deſideratis, vulneratis paulo pluribus.

Contarenus autem cum Græcis equitibus quingentis petente Ferdinando in ejus regnum a Senatu præmiſſus, ubi Sueſſam venit, ſeque cum Federico regis patruo, qui Sueſſæ erat, conjunxit, oppida quatuor, quæ a Gallis tenebantur, ſe uti dederent compulit. Idem cum ad Gallutianos tentandos cum tercentis equitibus ire conſtituiſſet, Galli autem, ut eos tuerentur, pluribus ex locis manu coacta impetum in illum fecerunt, fortiter pugnans eos ſuſtinuit, prælioque non intermiſſo interfectis compluribus in fugam vertit, oppidumque cepit. Idem etiam paulo

Bernardi Contareni in regno Neapolitano res geſtæ.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 poſt eodem equitum numero in inſidiis ſe occultans, præmiſſis Frangetium, quo in oppidulo erant Galli, paucis ex ſuis, qui diſcurrerent, Gallos paucitatem illorum ſuam prædam opinantes inſecutoſque ubi ad inſidias pervenerunt, evolans incitatis in eos equis, cum multo illi plures eſſent, tamen fudit non parvo eorum interfecto numero, atque capto. Interim imperatore cum reliquo exercitu adventante, Philippum Rubeum Guidi filium per ſylvam Caſinatem ſua cum equitum turma temere vadentem, Joannes Juliani Cardinalis frater magna equitum, multo majore militum manu clamore ſublato excepit: quibus cum Rubeus diu pugnans, paucis ex ſuis interfectis atque captis, ſarcinariis jumentis aliquot amiſſis, ad imperatorem ſe recepit. quod tamen detrimentum Contarenus facile ſarciit: nam cum Ferdinandi miſſu excurſionem in Severinatum fines uſque ad ipſorum oppidi muros atque portas feciſſet, quo in oppido eſſe Virginium Urſinum atque Vitellios ab exploratoribus cognoverat, neque quiſquam egredi auſus ei ſe obviam oſtendiſſet, rediens Trojanum Sabellum cum equitibus cataphractis quinquaginta ſe ad illos conferentem in itinere deprehenſum fudit, parte plus equitum media tum interfecta, tum capta. Paulo autem poſt cum Gallorum exercitus timore, qui erat equitum cataphractorum ad octingentos, levis armaturæ ad quingentos, militum Helvetiorum ad quatuor millia, rex in oppidum Foliam ſe cum ſuo exercitu contuliſſet, præſertim quod illis diebus Galli ſeptingentos milites Germanos, qui in Rhetis conſcripti ad illum ſe conferebant, interceptos male habuerant, ſeque oppidi muro Gallis obſidentibus tueretur: Contarenus, qui cum eo erat, apud eum queſtus, non eſſe æquum Græcos equites mœnibus incluſos contineri, petiit uti ſe emitteret. qua impetrata re, Gallos ſæpe laceſſendo, ſæpe imparatos aggrediendo, ſæpe in vigiliis noctem totam continendo, nonnunquam male mulctando, obſidionem relinquere, ac longius recedere, ſe ſeque in tutum recipere coegit. Neque multo poſt imperator, Gallis alio converſis, Valacam oppidum cingens,

gens, murorum parte tormentis diruta, ſcaliſque poſitis, 1496
vi captum diripuit, interfectis qui in oppido erant omnibus, cum milites nec mulieribus nec infantibus pepercisſent, propterea quod ea in oppugnatione centum ex imperatoris exercitu fortes viros hoſtes oppidanique interfecerant. Eodem impetu imperator multa ejus regionis oppida brevi ad deditionem compulit. Galli Canuſium aggreſſi, cum ab oppidanis quinquaginta auri libras accepiſſent, ne oppidum diriperent, ne ve ingrederentur: tamen Helvetiis militibus irrumpentibus, cædes ingens facta, oppidumque direptum eſt. In ea vero regione, quam *Baſilicam* appellant, trium oppidorum populi per ſe ſe Gallos, a quibus regebantur, occiderunt, ſeque regi dediderunt. Contarenus & ipſe multa cum præda per Severinatum fines ad exercitum ſe referens, magnam hoſtium manum oppido egreſſam, ſecumque congreſſam disjecit, militibus equitibuſque ſeptuaginta interfectis, captis nonaginta. Tum Conſalvus Hiſpanæ claſſis præfectus, vir magni animi egregiæque virtutis, in Calabris egreſſus, Crotonem, quod fugato pridem rege ad Gallos oppidum redierat, vi cepit, Galloſque quique eorum erant partium, juſto prælio fudit, interfectis centurionibus, præfectiſque equitum ſeptem, militibus & equitibus ducentis, captis egregii nominis plus viginti, equis militaribus ſarcinariiſque quadringentis. Iis diebus naves longæ ſex ex claſſe reipublicæ quæ in portu Neapolitano erat, Genuam ſunt ire juſſæ: rumor enim invaluerat, Carolo regi claſſem in Galliæ provinciæ portubus comparari: ut quæ a Gallis adminiſtrarentur, inſpicerent, & ſi poſſent, impedirent, naveſque incenderent. Hæc dum ſic agitarentur, diverſiſque in locis diſpari etiam eventu belli, meliore tamen quam antea fortuna, Ferdinandi regnum cædibus & rapinis arderet, Galli ex eventu rerum timidiores aliquanto facti, Velam, quod a Venuſia oppidum duodecim millia paſſus abeſt, non magna ſpe ejus potiundi, cum eorum duce aggreſſi, oppidanos certis conditionibus ſe dedentes, fide fracta ingreſſi diripuerunt. Id intelligens Ferdinandus, Contarenum eo præmiſit, qui

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 Gallorum partem prope oppidum repertam, in fugam, atque intra muros compulit, equitibus cataphractis plus triginta captis. Eum ſubſecutus rex, mille ad oppidum paſſus loco tuto caſtra poſuit. Eodem Conſalvus e Calabris cum ea quam habebat manu, Guidus Ubaldus Metaurenſium dux, quem Senatus fœderatique auxilio regi ſubmiſerant, e Brutiis venerunt. Auctо exercitu apud Telam rex cum eſſet, ad molas frumentarias corrumpendas, quibus oppidani utebantur, itineraque duo intercludenda, Conſalvi milites, qui tragulis utebantur, miſit, cum paulo ante Contarenum Venuſiam miſiſſet, veritus ne inde hoſtibus, quorum erat in poteſtate oppidum, auxilia mitterentur, commeatuſque ſubminiſtraretur. Relinquebatur hoſtibus iter unum montanum, quo itinere commeatus in jumentis ſubvehi poterat: idque magnis adhibitis præſidiis cum fieret, Contarenus congreſſus præſidium diſſipavit, commeatumque cum jumentis omnibus interceptum abduxit. Poſteroque die, centum ex ſuis uti Venuſiam adcurrerent, imperavit. ii præda facta ſub oppidi muris cum eſſent, oppidani autem milites tercentum cum paucis equitibus egreſſi recuperandæ prædæ ſpe prælium commiſiſſent, ex illis octoginta occiderunt, captivoſque complures fecerunt: ex quibus erat Fundos obtinens.

Eo tempore Antonio primum anno ſuperiore propter valetudinem a claſſe reipublicæ quæ Neapolim mittebatur remoto, deinde domum revocato, Malchio Triviſanus ei ſuffectus cum navibus longis aliquot Corcyra in Apuliam trajecit, atque in Calabros contendens, cum reliqua claſſe, quam ad ſe vocaverat, conjunctus, complura in littore aut vicina mari oppida regis imperium recipere coegit. Demum Paulam veniens, cum oppidani miſſis ad eos qui oppidum regi peterent, deditionem renuiſſent, ille autem ad oppugnationem ſe comparaviſſet, velletque muro ſuccedere, mulieres paſſis crinibus porta cum infantibus egreſſæ ad illius ſe navem plorantes ac pacem petentes profuderunt. quibus commotus, milites continuit, oppidumque Paulam in regis fidem omnibus incolumibus oppi-

oppidanis recepit. Ferdinandus, quo ad Telam Gallos 1496
diligentius obſideret, omnemque iis commeatus facultatem eriperet, caſtra propius oppidum admoveri mandaverat. ea re Gallis enunciata, magnum calonum & lixarum numerum, equiteſque cataphractos, qui eis præſidio eſſent, centum quinquaginta, levis armaturæ, qui ſagittis utebantur, alteros totidem celeriter portis emiſerunt, uti ex vicinis oppido villis viciſque quidquid poſſent pabuli colligerent, atque in oppidum comportarent: reliquum omne ſuccenderent, ne hoſtes eo uti poſſent. Imperator ea de re certior factus, cum Philippo Rubeo, equitibuſque Italis levis armaturæ, quos circum ſe habere conſueverat, celeriter inſecutus, prælio cum Gallis acriter commiſſo, cædeque facta, refugere illos in oppidum compulit. quibus pulſis, caſtriſque regis prope oppidum poſitis, cum Galli commeatu laborarent, dieſque complures ſine ſpe levandæ inopiæ ſe continuiſſent, equitibus præterea & militibus ſtipendium deberetur, neque pecunia ſuppeteret, miſſis ultro citroque internunciis, ipſoque duce cum rege ad colloquium admiſſo, tertiodecimo calendas ſextiles pacti ſunt, uti ſi auxilia intra menſem ab rege Carolo ad ſe ſe non mitterentur, quibus auxiliis exire oppido, atque in aperto conſiſtere audeant, regno Neapolitano cederent, exceptis oppidis Venuſia, Cajeta, Tarento: ipſis interim ab rege commeatus copia fieret: cedentibus autem rex ſuum præſidium adjungeret, quo Puteolos accedere, naveſque in Galliam trajecturi conſcendere tuto poſſent. ejuſque rei cum ipſi obſides regi dediſſent, legatum Venetum, quem cum Ferdinando eſſe intellexerant, ab rege adhiberi voluerunt, qui eis ita fore, uti convenerat, reipublicæ nomine ſponſor eſſet. Inſcriptis firmatiſque conditionibus, Gallorum dux regi ea pollicitus, ſi ſibi centum auri libras mutuo det, quibus ſtipendia, quæ debet, exercitui perſolvat, ne ſe triduo ceſſurum, oppidumque traditurum. Accepta rex conditione quinquaginta ei libras numerari ſtatim juſſit: reliquas alteras quinquaginta Helvetiis militibus, quibus debebantur,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 tur, quoſque ſacramentum apud ſe dicere cupiebat, quæſtorem ſuum numeraturum recepit. Illi a Gallis miſſi regi lubentes paruerunt, ad illumque tranſierunt. Gallis oppido tradito abeuntibus, rex imperatorem Venetum adjunxit, qui cum Græcis equitibus, reliquiſque Italis levis armaturæ curaret, ne quid eis in itinere noceretur. *Bernardi. Contareni mors.* Contarenus febri permoleſta implicitus adeſſe ipſe non poterat, ex eaque febri paucis poſt diebus eſt mortuus, vir ad bella gerenda, atque rempublicam armis illuſtrandam, ſi ei vita ſuppeditaviſſet, plane natus. cujus poſtea matri auri libra annua in victum a Senatu conſtituta: duabus autem ſororibus, alteræ dos auri libræ viginti, alteræ in ſacrarum virginum collegium ternæ libræ.

Poſtea cum Rex Salernum ac nonnulla alia vi, nonnulla conditionibus oppida municipiaque recepiſſet, aliqua etiam ſponte ad illum ſua rediiſſent, Urſinos, Vitellios, qui ex Gallorum erant partibus, fugaviſſet, planeque diſſipaviſſet, ipſe autem ſi qui reliqui eſſent in ejus regno Galli, ab iis nihil ſibi magnopere verendum exiſtimaret, Græcos equites, quorum opera egregia & fideli fuerat uſus, quo minus ſumpti faceret, primos omnium miſſos fecit. paucis poſt diebus imperatori valitudine tentato omni cum exercitu abeundi facultas data. Metaurenſium autem & Piſaurenſium principes, Alexandrique filium, quibus ſtipendium a fœderatis pendebatur, Proſperumque Columnam, cum ſua quenque manu, naveſque longas reipublicæ decem, onerarias Hiſpanæ claſſis quamplures, tum Federicum patruum, qui præeſſet, Cajetam, quod Galli oppidum communierant, miſit. atque a Malchione triremes duæ Salernitanorum principi ſedibus patriis pulſo, quibus ille in Galliam provinciam tranſmitteret, petente Ferdinando traditæ. acceperat etiam in urbe a Senatu Ferdinandus mutuas auri libras ſexaginta. liſdem diebus Veſtini legatos de deditione ad Senatum miſerunt, neque ſunt recepti. cumque in Calabris Ferdinandi navem onerariam Galli, qui illis in locis erant, pace facta Neapolim appulſuri conſcendiſſent, nautæque curſum eo dirigerent, illi nautis comprehenſis navem alio convertere cœperunt: ſed cum magna coorta tempeſtate malo infracto antennæ concidiſſent, nautis ad gubernaculum revocatis, Neapolitano portu capto omnes in vincula conjecti ſunt. Ferdinandus autem cum graviter ex inteſtinis in Veſuvio laboraret, epiſcopum Theani, quem habebat in cuſtodia, ſecuri uti percuterent, ſuis imperavit: addubitanſque ejus rei miniſtros ſe ſe ægro dicto audientes non fuiſſe, epiſcopi caput in cubiculum ad ſe afferri juſſit: quo inſpecto quievit. pauloque poſt Neapolim allatus, urgente vi morbi nonis octobribus exceſſit e vita: cujus locum Federicus eo ipſo die una cum Malchione Cajeta Neapolim approperans, a regni principibus ſuffectus tenuit. Is regiis acceptis inſignibus primum omnium Salernitanorum principi abitum paranti auctor, ne diſcederet, fuit, regni præfectura, qui magiſtratus habetur ampliſſimus, ei tradita, filiaque ſua illius deſponſa filio. reliquos deinde viros principes, qui cum Ferdinando diſſidebant, prope omnes ſibi amicos certis conditionibus atque muneribus reddidit. Nondum autem iis confectis rebus, dum reginas Federicus inviſeret, unam, quæ patris, alteram, quæ fratris filii uxor fuerat, Biſſinianorum principis, qui una cum pleriſque in procubiculo regem operiebatur, famulus gladio diſtricto herum percuſſit geminatis ter ictibus interficere illum cupiens: comprehenſus, quæſtione habita dixit, *id efficere, quod feciſſet, ſe in animo annos treſdecim habuiſſe, propterea quod princeps ſuam olim ſororem violaviſſet: antea patrandi facinoris occaſionem idoneam ſibi nullam datam: tunc remad exitum perducere vel certo vitæ ſuæ periculo voluiſſe.*

1496 *Ferdinandi regis obitus.* *Federicus rex ſalutatur.*

Paucis poſt diebus Federicus Malchione omni cum claſſe dimiſſo, ſuum Cajetam exercitum adduxit: ac parte ſuburbiorum & montis cantat, tormenta muralia ad portum converſa collocavit, ut naves quas habebant Galli, collabefaceret atque deprimeret. quod quidem illi veriti, ea ſe conditione dediderunt, ſi rex eos ſuis cum rebus omnibus mari diſcedere permitteret. itaque tribus one-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 onerariis conſcenſis navibus, oppido tradito, non multis ante brumam diebus ſunt profecti. Accidit autem ut navis ea in qua erat Cajetæ magiſtratus cum militibus trecentis, magno adverſo impellente vento Terracinæ injecta littori cum vectoribus perierit. Tarentini vero qui ad eam diem Gallorum fidem ſecuti, in magna rerum omnium inopia, magniſque in difficultatibus verſabantur, Cæſare Ferdinandi fratre notho & terreſtribus obſidente oppidum copiis, & mari navibus longis tribus commeatus importari prohibente: præſertim, quod ſi quid antea in villis aut frumenti, aut pabuli circa oppidum fuerat, eo ne hoſtes potirentur, tectis incenſis corruperant ipſi: Ferdinandi morte cognita, concilio coacto quid agendum ſibi eſſet, inter ſe quærebant. Ea re longis diſceptationibus agitata, ac tribus dictis ſententiis, una ut Federico, altera ut regi Turcarum, tertia ut Venetæ reipublicæ oppidum traderent, legem tandem magno ſtudio tulerunt, ut Senatus fidei & pietati ſe ſe committerent. itaque inſigni reipublicæ ſublato, literas ad Aloiſium Lauredanum præfectum Monopolitanorum dederunt, orantes uti ſe reciperet. Literæ Aloiſii ea de re ad Senatum perlatæ alteroque poſt eas literas die legati Tarentinorum cum eiſdem mandatis Venetias advecti, ejus rei expectatione civitatem erexerunt. atque illis quidem hoſpitium publice datum eſt. Patres vocati complures dies ſententiis dicendis conſumpſerunt: quarum pars non eſſe Tarentinos recipiendos; propterea quod in fœdere caput erat, ne dedititios rege non permittente civitas acciperet: pars recipiendos cenſebant, ne obſtinatis in Neapolitanos reges animis Tarentini regi Turcarum ſe ſe dederent: quod ſi fieret, non illis modo nationibus, Federicoque in primis, ſed toti etiam Italiæ pernicioſum futurum. Nullum Senatui cum Federico fœdus Ferdinando mortuo: quod tamen ſi eſſet, præſtare id uno in capite negligi, quam permittere oppidum natura munitiſſimum, atque ad exercitus in Italiam tranſportandos, claſſeſque continendas opportuniſſimum, inimico Italis omnibus regi atque bellico-

licoſiſſimo attribui. Vicere demum quæ, neutra earum 1496
probata, Tarentum civem Venetum mitti oportere, ſententiæ cenſuerunt, qui auctoritate reipublicæ Federico civitatem conciliaret, commeatumque ſufficeret. Itaque Andreas Zancanius, Senatorum ſuffragiis legatus eſt ad Tarentinos lectus. atque is antequam navem conſcenderet, Alexandri atque Hiſpaniæ regum legati, itemque Ludovici, Principem & Patres adierunt, eoſque, ne ſe in cauſam Tarentinorum inſinuarent, ne ve quid agerent, monuerunt. quorum intellecta voluntate, ne laborem cum invidia Patres ſumerent, Andreas Senatuſconſulto retentus, neque poſtea miſſus eſt. Atque illis diebus Ludovici ad Alexandrum ſcriptas literas Urſini prope urbem interceperant, quibus literis Ludovicus ab Alexandro petebat, uti Patres commonefaceret, a Tarentinis recipiendis abſtinerent: ne ve eos augere ſuas opes, ſuamque potentiam nimium quantum jam auctam permitteret. Eas illi Senatui literas miſerunt, ut quo eſſet in ipſos animo Ludovicus, Patres inſpicerent, qui tantis a republica tamque illuſtribus affectus beneficiis, a ſuis tamen moribus non recederet. Zancanio retento Patres, quod cum Tarentinorum civitate illo miſſo facere decreverant, id cum eorum legatis ipſimet ſunt aggreſſi, ut illos Federico per ejus legatum conciliarent: quod quidem perfecerunt, ſponſoreſque Tarentinis fuerunt, regem illos in eum quo antea erant, ſtatum reſtituturum, neque quidquam, proptera quod a regibus Neapolitanis deſciviſſent, civitati ſuccenſurum. quibus conſtitutis rebus, Georgium Francum Senatus ſcribam, una cum legatis revertentibus Tarentum miſerunt, earum rerum firmandarum cauſa: annuſque inſequens jam inierat. Illi autem intellecta oratorum ſuorum literis de ſe ſe regi pacandis Senatus voluntate, priuſquam is Tarentum appelleret, aliquanto minus bonis conditionibus, quam illæ erant, de quibus tranſegerat Senatus, ſe Federico dediderunt. Eum exitum Tarentinorum obfirmatio habuit.

Jamque in urbe adverſarum contagione invectioneque ſyde-

Morbus Gallicus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 ſyderum, morbus peratrox initium acceperat is, qui eſt Gallicus appellatus: quo genitalibus ante omnia plerunque vitiatis, corpus doloribus afficiebatur, deinde puſtulæ maculæque prodibant cum in membris reliquis, tum magnopere in capite facieque: ac ſæpe tumores, & tanquam tubera primum ſubdura, poſt etiam ſanioſa exoriebantur. itaque multi diu vexati membrorum prope omnium doloribus, deformatique tuberculis & ulceribus, ut vix agnoſcerentur, miſerabiliter interibant. neque quorum medicamentorum peſtilentia indigeret nova inſolenſque, ſciri poterat. quamobrem annos complures omnibus in reipublicæ municipiis & finibus licenter pervagata, magnum hominum numerum abſumpſit, fœdavit multo maximum. Sed quoniam eo de morbo Fracaſtoriani libri tres heroicis verſibus multa cum dignitate venuſtateque conſcripti vulgo in manibus habentur, nihil nos quidem attinet hæc ſcribentes commorari, præſertim quod ejus acerbitas & vis multo nunc jam remiſſior tolerabiliorque facta, vel inventis ad ea mala perfugiis opibuſque, vel cœlo minus in dies ſæviente, plane deferbuit.

Fracaſtorii poema de Venerea lue.

Bellum Piſanum.

Verum ad Piſanum bellum, de quo ſuperius dicere cœpimus, revertamur: quod tamen ipſum impeditum magis, & diuturnum variumque cum impenſæ plurimæ atque multiplicis, quam uſui aut gloriæ civitati fuit. quanquam ejus quidem rei culpam omnem Ludovici æmulatio atque perfidia ſuſtinuit: quæ tamen culpa uno ab illo fonte derivata, paulo poſt in ipſius caput redundavit. Magnum enim hoſtem nactus, cum reſpublica ſæpius ab illo laceſſita & prodita, hominis infideliſſimi atque arrogantiſſimi ſocietatem ſemel renuiſſet, regno expulſus, deinde etiam captus, turpiſſima in cuſtodia vitam reliquit. Adductis Piſas reipublicæ auxiliis equitatus gravioris levioriſque armaturæ per Ludovici fines, qui & ipſe ſuos equites multo tamen pauciores eodem miſerat, tum per Lucenſium, quos ſuſcepti a tribus maximis Italiæ populis communi conſilio belli fama compulerat, nihil ut eis eſſe negandum exiſtimarent, conſcripti Piſis reipublicæ pecunia

cunia milites plus mille, quos ex Umbria & Piceno & 1496
Corſica prædæ atque ſtipendii ſpes evocaverat, ad eos qui Genua venerant milites adjunguntur: itaque ſpei bonæ plena civitas, ſuis ſociorumque copiis ad Vicum, qui Piſanus appellatur, eratque in ipſius poteſtate, hoſtium equitatum cæde facta in fugam vertit captis compluribus. Milites, qui tunc ab equitibus tria millia paſſus aberant, cum ſuis præſto eſſe non poſſent, quod inter ſe, equiteſque interpoſitum hoſtem videbant, ejus adventu non expectato, raptim temereque, quo cuique viſum eſt, fuga comparata ſibimet conſuluerunt. Paucis autem poſt diebus eodem ex municipio emiſſos pabulatores, hoſtium eſt manus parva ex inſidiis conſecuta: ad quos cum ii qui erant in municipio, equites cataphracti ſexaginta, leviter armati centum, milites minus trecenti, auxilio accurriſſent, reliqui ſe hoſtes oſtenderunt, impetumque in eos fecerunt, equites utriuſque armaturæ quingenti quinquaginta, milites ad duo millia: illi ſe paulatim referentes, ad ejus loci pontem conſtiterunt, fortiterque pugnantes, cum aliquot ex ſuis amiſiſſent, aliquot etiam capti eſſent, ſe tamen loco non movebant, vulneraque & cædes inferebant. quo in certamine Franciſcus Siccus hoſtium præfectus accepto vulnere prælio exceſſit, pauloque poſt eſt mortuus. eo cedente finis eſt pugnæ factus. atque illa quidem in pugna Veneti cum ad Lucium Malvetium Bononienſem Ludovici legatum, qui non longe aberat, miſiſſent, uti ſibi auxilio confeſtim veniret, prandere ſe prius velle reſpondit. Is, quod ex ejuſmodi ludibrio reſponſi, nec allato celeriter auxilio, omnium ſe vocibus culpari ſentiebat, honoris ſui cauſa Pontem facci caſtellum Florentinorum noctu adortus, ſcaliſque admurum poſitis repit, cum tamen eo in caſtello eſſet Antonii Martini filius adoleſcens cum equitibus cataphractis ſexaginta, quorum pars in Lucii poteſtatem venit. atque illud quidem caſtellum Florentini decimo poſt die, quam eſt captum, iiſdem prope artibus recuperaverunt, eversoque diruerunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 runt. ita utrisque hæc, atque consimilia multa conantibus, aliquot menses abierunt, cum utri eorum superiores in bello essent, constaret satis nulli.

Interim cum Pisani commeatus inopia propter anni tempus laborarent, idque Patribus significavissent, Senatus ad suum statim hominem, qui erat Genuæ, trajecta pecunia imperavit, uti frumenta coemeret, Pisasque transmitteret. qui cum Senatui celeritate adhibita paruisset, annona sublevata reipublicæ munere civitatem recreavit. Senatus ubi ea manu, quam Pisas miserat, quamque ibi atque Genuæ conscripserat, æstatis parte jam præterita parum se proficere animadvertit, quingentos equites Græcos Justiniano Mauroceno præfecto Pisas mittendos decrevit. Is ante medium quintilem mensem omni cum equitatu eo se contulit. Tum autem, quod erat jam antea in Alexandri & Ludovici & reipublicæ militia Joannes Bentivolus, pro sua parte misso ad illum stipendio Senatus, cum etiam Alexander misisset, uti se ad Pisanum bellum compararet, imperavit: simul ab Ludovico petiit, suam Joanni partem itidem mitteret. Id ille negare cum non posset, se facturum recepit, neque misit tamen. quin etiam ne ulla conditione proposita proficisceretur, clam ab eo impetrasse illum nemo non credidit: nam Joannes multa quotidie causari, multa temere ab Senatu petere, denique diem de die ducere, ut quilibet scire posset illudi Senatum callidis & propinquis ab hominibus Ludovico & Joanne. Duxerat autem Hannibal Joannis filius in matrimonium unam ex Herculis Atestini filiis notham: altera ut ante dictum est, Ludovico nupserat. Itaque eam affinitatem etiam animis ad improbitatem mutuis paribusque conglutinabant. qua in mora illud accidit, ut Hercules eam equitum militumque manum, quam tuendo regno habere consueverat, prope omnem cum præfectis dimitteret. Missi evestigio Florentiam militatum abierunt: ne cui dubium fieret, qua hæc mente, quo ve consilio essent instituta. Sed & illud Senatusconsultum factum est, ut præfectis tribus, qui erant Pisis,

Pisis, equitum numerus augeretur: Jacoboque Tarsiæ, 1496
qui Ravennæ erat, pecunia submini*s*traretur ad milites in Faventinis finibus conscribendos mille, quibus cum Pisas accederet, cæteris quoque militibus, qui reipublicæ stipendium mererent, eo bello imperaturus. tum missi Pisas præfecti equitum cum sua quisque turma quatuor. Iis imperatis rebus, ac prope etiam confectis, Helvetii quadringenti, quos Ludovicus Pisas miserat, domum discesserunt, cum dicerent sibi stipendium non submini*s*trari. Reliquæ deinde Ludovici copiæ præfectique paucorum dierum spatio sigillatim abeuntes idem fecerunt, Lucio excepto, qui quidem consilia cæterorum cognoscendi, atque impediendi belli causa cum paucis equitibus remansit. ita, quod initio de communi sociorum sententia Ludovicus sumpserat, ut Pisas una cum reliquis tueretur, id privato consilio rejecit, furtim in medii fervore belli se se subtrahens. Sed antequam Helvetii & reliquæ Ludovici copiæ discessissent, propterea quod multo plus oneris & vastitatis civitati, quam aut præsidii aut emolumenti afferebant, videbaturque id unum Lucio deliberatum esse, ut Pisanos conterendo & maleficiis everteret, civitas ad Patres misit, se se ulterius Ludovici auxilia perpeti sustinereque non posse: velle, ac decrevisse, uni Senatui se addicere, vexillaque reipublicæ subtollere: rogare ut eorum voluntate id sibi facere liceret. Patres Pisanis consilium laudatis, quod eo erga rempublicam studio, ea mente essent, aliud posse tempus accidere dixerunt, commodo & illi tuto facere, & ipsi eis permittere uti facerent, jure possent: nunc vero illud curarent, ut liberi per eorum fidem essent: qui pepigerunt se in eo suas partes omni diligentia præstaturos: bonoque animo eos esse jussos dimiserunt.

Naves interea reipublicæ longæ sex Neapoli in Liguriam atque in Galliam provinciam missæ, cum nihil earum rerum, quarum causa erant, reperissent, conversæ ad eas naves Florentinorum infectandas, a quibus ne frumenta, ne ve reliqui commeatus supportari Pisas possent, ma-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 magnum impedimentum afferebatur, plurimo uſui ea in re fuerunt. quibus quidem navibus aliæ naves longæ complures additæ, eundem ſane uſum atque operam reipublicæ præſtiterunt, hoſtium navibus, commeatibuſque qui Trituritam invehebantur, deinde in eorum caſtra conportabantur, ſæpe disjectis fugatiſque, ſæpe captis. Neque tunc terreſtres reipublicæ copiæ in ceſſatione fuerunt, ſed & caſtella hoſtium aliquot ſunt ab iis capta, & legatus eorum Petrus Capo interfectus, & prælia nonnulla ſecundiora facta. Quo etiam tempore Piſani Librafactæ caſtellum ipſorum, quod ab eiſdem Gallis, qui arcem Piſanam reſtituerant, etiam nunc obtinebatur, auri libris triginta præfecto traditis magna hoſtium invidia recuperaverunt. Omnibus autem ex utilitatibus, quas quidem claſſis exercituſque reipublicæ in medium ejus belli contulit, eæ crebriores neque poſtremæ fuerunt, quæ ab Græcis ſunt equitibus profectæ. nam & prædæ ſæpe ingentes abactæ ab illis ſunt, & plurimi commeatus intercepti, & hoſtium turbata eorum audacia, atque celeritate conſilia: quodque magis mirum videbatur, caſtella quoque ab iis nonnulla capta: cædes vero pluribus locis factæ: ut laudari & bene de republica meriti exiſtimari jure poſſent.

Græcorum equitum ſtrenuitas.

Senatus & Italorum principum conſilia in Gallos.

Dum hæc ad Piſas geruntur, e Gallia tranſalpina nuncii venerunt, ab rege Carolo reditum in Italiam magno ſtudio comparari: ipſum paucis diebus ad Lugdunum fore: in via quidem certe jam eſſe. quamobrem Ludovicus a Senatu quæſivit, *vellet ne, ſi Carolus urgeat, ſibi exercitum & auxilia mittere:* nam ſe promeritum, ne quam ſui curam reſpublica ſumeret, probe intelligebat. Senatus ei reſpondit: *Tametſi Piſano bello implicata civitas eſſet, cui bello quanto ſtudio, quantiſque impenſis opus ſit, ſciret ipſe omnium optime, tamen ſe in eo tuendo non defuturum.* Simul Marcum Beatianum ad Helvetios miſit, qui eis ab republica ſtipendium polliceretur, ne ad Carolum ſe converterent. Pauloque poſt, cum Triultius Gallorum manum ſecum ducens traje-

trajectis Alpibus Aſtam veniſſet, Ludovicus ad Senatum 1496
miſit, videri ſibi optimum eſſe Maximilianum regem ſuo & Alexandri & reipublicæ ſtipendio in Italiam accerſiri: *ut ſit*, qui regem Carolum & auctoritate ſua deterrere, ne Alpes trajiciat, & ſi trajecerit, ſuis & ſociorum opibus & copiis comprimere facile poſſit: ejuſque ſe rei jam apud illum initia & fundamenta jeciſſe per legatos ſuos, a qua, ut videtur, non abhorreat. Ea agitata re de Alexandri & Hiſpaniæ regum legati ſententia celeriter a Patribus, ſextodecimo calendas junias Senatus decrevit Maximilianum accerſiri oportere: cui ſit in trium menſium ſtipendia (tot enim menſes ſatis fore) a republica quadringentæ auri atque octoginta libræ, a Ludovico alteræ totidem, ab Alexandro parte dimidia pauciores: ducatque is Helvetiorum ſecum militum quatuor millia, quibus ipſe ſtipendium numeret ſingulis menſibus libras auri centum viginti. Ea cum lege, mandatiſque, Franciſcum Foſcarum legatum Senatus ad illum miſit. quæ quidem lex eo feſtinantius eſt lata, quod literæ ad Senatum venerant, Helvetiis, qui ſe profitebantur nihil eorum quæ vellet Carolus eſſe facturos; niſi prius reliqua, quæ debeat, quæque permagna ſint, eis perſolvat; jam ab rege quingentas auri libras eſſe curatas, quod tamen, ut poſtea cognitum eſt, falſum fuit. Beatianus ad Helvetios miſſus effecit, ut tres eorum pagi reipublicæ ſacramentum dicerent, ſtipendiumque eis dedit. Maximilianus accepta a Patribus pecunia in fines regni ſui venit, Comenſem agrum verſus. Eum Ludovicus cum uxore Beatrice obviam profectus excepit: pranſique una venatum ſecum duxerunt. Qua commotus fama Aloiſius dux Genabenſium Aſtam oppidum communivit, veritus Maximilianum eo primum omnium ſuas copias adducturum. Ille autem, ut Philippo filio Belgarum regi ad ſe venienti ſui conveniendi poteſtatem faceret, etiam interiit in Alpes reverſus, ſuſpicionem multis attulit ſe ſe amplius in Italiam non venturum. Atque iiſdem ipſis diebus Henricus Britan-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 tanniæ rex inter fœderatos eſt receptus : miſſique ad Maximilianum legati duo , Antonius Grimanus , Marcus Antonius Maurocenus , qui venientem exciperent.

Maximilianus Piſanis auxiliatur.

Maximilianus convento filio rediens Comum, quo ei præſto Ludovicus fuit, deinde in agrum Mediolanenſem ad Vigevenum venit . Ibi cum eſſet , literas ad Piſanos dedit, velle ſe ſuum hominem, qui eis conſuleret, civitatemque regeret, eo mittere. Civitas ad ea reſpondit, unum ſe ab ejus initio belli ſemper optaviſſe, diligentiſſimeque curaviſſe, ut in libertate, qua permultos annos caruerant, quamque Dii eis reddiderant, permanerent : ſi ejus præfectum recipiant, contrariam rem ſuis ſtudiis facturos, ſibique ipſos dominum impoſituros: ſe vero non conſiliorum indigere, ſed auxilii. Itaque cum paulo poſt Maximilianus illum ipſum præfectum ad eos miſiſſet, non eſt receptus. Interim cum de adventu Caroli rumor nunciique refrixiſſent, Ludovici ſuaſu , qui omnino nihil eorum, quæ impedire paulum modo poſſent, ne Piſæ ſub reipublicæ ditionem redigerentur, prætermittebat, Senatu non abnuente Maximilianus ſtatuit Piſas accedere, ut ei bello finem imponeret. Itaque Dertonam eſt profectus cum equitibus, quos ſecum duxerat, trecentis, militibus Helvetiis duobus millibus, equitibus Ludovici mille . Dertonæ res hjuſmodi accidit . Legatis Florentinorum duobus, qui ad Maximilianum venerant, in via forte obviis legati Veneti ſalutem dixerunt : illi eis ne verbum quidem unum reddiderunt, ſed illiberali contumacia ire perrexerunt. Poſtridie autem ejus diei iterum obvii cum de via legatis reipublicæ non cederent, arrogantiuſque in eos cum ſuo comitatu prope conglobarentur, Maurocenus, cui quidem præclara atque mirifica faciei dignitas cum vaſta membrorum magnitudine inerat, alterum illorum ita repulit, ut in luto provolveretur, *Diſce cedere majoribus* , pronuncians . A Dertona Genuam Maximilianus profectus , arcem oppidi ſibi tradi poſtulavit . ea non tradita , poſtridie ejus diei oppido egreſſus in ſuburbio paranda claſſe complures ſe dies continuit.

tinuit . Nonis autem octobribus omni cum ſua copia 1496
conſcendens navibus longis reipublicæ octo, Genuenſium duabus , onerariis item decem , quas Genuæ armari atque inſtrui curaverat , adverſa tempeſtate , quod in onerariis tunc erat , pauliſper eſt jactatus : poſt a Dominico Maripetro præfecto claſſis Venetæ receptus, cum dies aliquot in mari portubuſque conſumpſiſſet , Arni fluminis oſtium ingreſſus navicula cum eodem præfecto, prioreque legato reipublicæ (nam recentiores affecti valetudine domum abierant) Piſas appulit : ibi explorato loci ſitu, concilio legatorum , & præfectorum , & civitatis coacto , Triturritæ arcem , quæ mari undique alluitur, & ponte ſublicio littori conjungebatur , eratque hoſtibus opportuniſſima , quod ea una omnes maritimi Piſanorum conatus, & rei frumentariæ adminiſtratio magnopere impediebantur , oppugnare inſtituit . Itaque legatis reipublicæ qui exercitui præerant , juſſis in diverſas partes equitatum mittere , ut hoſtes aliis in rebus occupati morarentur , milites Helvetios trecentos e navibus cum tormentis & præfectis ſuis principibus egreſſos occupare eum collem , qui e regione arcis eſt , imperat, ædiculamque in colle poſitam capere , ne auxilia iis , qui in vico atque in arce ſint, quod erat illac tranſeundum , ab hoſtibus ſubmitti poſſint . Qua re animadverſa , Triturritani portis emiſſi animo ædiculæ præripiendæ in collem evolant . Prælium committitur, cædeſque utrinque fit . tum præfectus claſſis milites e navibus, remigeſque auxilio laborantibus ſubmittit : ab iis hoſtes repelluntur, ipſi & Helvetii fugatis hoſtibus ad naves revertuntur . hoſtes poſtea eam ædiculam diruerunt.

Interim naves aliquot e longinquo viſæ ſunt eo cur-ſum tendere : ad quas ſuis cum triremibus præfectus, ut unde , aut cur venirent, ſcire poſſet, & ſi hoſtiles eſſent , ipſe eas adoriretur , ſtatuit accedere : naves enim onerariæ , quod ventus erat adverſus , commovere ſe non poterant . Maximilianus ejus conſilio comprobato , triremes & ipſe conſcendit . Cum ad naves præfectus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1496 ctus appropinquaſſet, quæ quidem erant ſex, omneſque Gallicæ, ac plenæ commeatus, & armatorum militum a legatis Florentinis Caroli permiſſu in Gallia Provincia conſcriptorum, eas aggredi non eſt auſus: quarum una erat amphorarum ſupra mille ducentarum capax, reliquæ plus minus quadringentarum. itaque ſine moleſtia curſum tenentes ad Triturritam jactis anchoris conſtiterunt. Sequebatur magno eas intervallo navis una reliqua longa, verum non ita velox remigioque habilis, ut triremes ſunt, ſed altior, latiorque ac magno ad bellum uſui, amphorarum circiter ſexcentarum: ad quam præfectus omnibus cum triremibus contendens, eamquem aſſecutus, ubi ſe, qui in navi erant, milites ſeptuaginta velle defendere cœperunt, tormentis æneis pilas ferreas in eos magni ponderis emitti e triremibus imperavit. quorum terrifico ſtrepitu audito, conſpectiſque ignibus, Maximilianus ſua cum triremi abiit. eum aliæ quatuor triremes ſunt ſubſecutæ. Præfectus cum reliquis in navem Gallicam facto impetu, eam cepit: qua in navi erat frumenti magnus numerus. Id navis hoſtium major, quæ in portu jam erat, conſpicata, vento pauliſper converſo ſublatis anchoris, ut auxilio ſociæ navi eſſet, vela ad naves Venetas fecit: ſed præfectus navem captam remulco breviorem in aquam abſtraxit, quam illa terra tacta aſſequi non potuit. Venerat interim Piſas Hannibal Bentivolus patris loco cum equitibus ſeptingentis, & militibus ducentis: eum Lucius veritus, quod erat ex adverſa factione, abiit, neque poſtea Piſis fuit. Is igitur Hannibal, copiæque reliquæ Venetorum omnes cum legatis inſtructo exercitu ſe ſe ad Triturritam contulerunt. In itinere caſtellum unum vi ceperunt: alia ſe duo ſponte dediderunt. Exercitus caſtris poſitis ubi arcem obſidere, ac concutere tormentis cœpit, ii ſunt imbres conſecuti, ut Maximilianus obſidionem reliquerit. itaque ſuis cum equitibus quingentis, militibus mille trecentis, ad Vicum Piſanum profectus eſt: inde prope ſub-

ſubiratior, ſeque deceptum dictitans, nullo loco com- 1496
moratus, Ticinum, pauloque poſt ſuum in regnum rediit.

At domi, ut more inſtitutoque majorum, civibus ædium ſuarum incendio damna perpeſſis publice ſubminiſtraretur, quo facilius amiſſa reſtituerent, Decemviri legem tulerunt, ut Petri Molini filiis auri libras viginti, Hieronymo & Marino Albertis quindecim, quibus utriſque ædes ad Caſſiani & Apollinaris conflagraverant: Andreæ Ripæ, cui ſuburbium in Muriano, alteras totidem: Veneriis, quibus domum cum taberna mercium Indicarum maxime celebri ad Bartholomæi ignis abſumpſerat, auri libras triginta, Quinquevirum ſale procurando magiſtratus daret. Neque multo poſt, onerariis navibus duabus naufragio amiſſis, Philippo Bernardo, Aloiſio Contareno, quorum illæ fuerant naves, auri libræ ſexaginta æquis partibus, Decemvirum item lege ab eodem magiſtratu ſunt curari juſſæ, ea conditione, ſi navem alteram eorum uterque fabricandam reciperet.

Florentini ea re elati, quod Maximilianus, a quo ſibi magnopere timuerant, infecto negotio diſceſſerat, caſtella complura, quæ a Piſanis tenebantur, aggreſſi, partim vi, partim ſe dedentia recuperaverunt. Legati Veneti exercitu diſtributo, Piſanum ad Vicum, & Caſſinam & Butrium, & Librafactæ municipia ſe in hyberna contulerunt. Græci equites centum, ut commeatus inopiam ſublevarent, quod illis diebus naves Gallicæ quatuor, Venetorum naves duas frumentarias Piſas convehentes interceperant, hyemandi cauſa Ravennam profecti ſunt inſequente anno inito. aliquot etiam eorum qui remanſerant, ad hoſtes ob ſtipendia non ſoluta tranſierunt. 1497

Quibus etiam diebus Faventiæ arcis præfecto ægerrime ferente oppidum a reipublicæ legato ita regi, ut ibi, quod antea conſueverat, magiſtratus creandi, pecuniam publicam avertendi, quidquid collibuiſſet patrandi facultas non eſſet, novaſque res cum ſuis ſimilibus moliente, *Senatus legatum Faventia revocat.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1497 ut legati jus & majeſtas impediretur, puero etiam delinito, & in ſuas partes traducto: Senatus ea intelligens, literas ad legatum dedit, quibus literis legatus jubebatur, Heſtori puero civitate adhibita denunciare, *Senatum non ambitionis aut dominationis cauſa civem ſuum Faventiam miſiſſe, ſed cum prius otii & quietis cupiditate ejus hoſtes, qui illum regno prope dejecerant, ſuis auxiliis repreſſiſſet, poſtea & civium precibus, & ipſius periculo permotum, conſtanti ejus diuturnoque rogatu id feciſſe, ut eſſet, & qui oppidanis jus æquabiliter diceret, & quem ejus inimici propter rempublicam vererentur: ne is quotidie ob ætatis imbecillitatem, & hoſtium audaciam de ſuo regno periclitari cogeretur: illum etiam in ſuam militiam ſcripſiſſe, ſtipendio juviſſe, ornatumque eſſe voluiſſe, dignitate auxiſſe, ſua benivolentia pietateque foviſſe: atque hæc illum ab Senatu omnia ſine ullo fœnore, tanquam a patre filium, impetraviſſe, annumque integrum his reipublicæ muneribus & liberalitate uſum fuiſſe: nunc vero, quando non modo nulla gratia tantis officiis referatur, ſed etiam legati juriſdictio impediatur, reipublicæ auctoritas labefactetur; velle Senatum & legato jubere, ut ſtatim decederet: fatuum porro eum eſſe, qui alteri ſuo cum diſpendio beneficium dat, quod ipſe, cui datur, invitus accipiat.* Iis literis palam a legato recitatis, puer rogare illum lachrymans obteſtanſque cœpit ne decederet: multique idem optimates fruſtra fecerunt: nam legatus nihilo ſecius decedens domum rediit.

Carolus editum in Italiam parat.

Inter hæc Carolus, Juliano Genuæ ac Savonis ei deditionem pollicente, Alexandriæ Dertonæque Triultio, modo ipſe reditum in Italiam apparet, Lugdunum venit. quibus intellectis rebus fœderati trium millium militum numerum in Liguria celeriter conſcripſerunt, eoſque per arces oppidorum & caſtella diſtribuerunt: & Joannem Aloiſium Fliſcum adverſæ factionis, hominem magna auctoritate, qui tum Genua exulabat, reſque novas moliebatur, civitati reſtitutum, communi ſtipendio ei tradito,

dito, ut quieſceret effecerunt. Crebreſcente vero iterum 1497
fama, Carolum ad Lugdunum magnos exercitus cogere, Senatus decrevit, ut trecenti equites cataphracti Ludovici auxilio mitterentur: Principiſque collegium civem legeret, qui eis quæſtor & legatus eſſet. Patres Vincentium Valerium legerunt. Pauloque poſt equites levis armaturæ alteri totidem Mediolanum ſunt a Senatu miſſi. Triultius cum eo, quem & ſecum e Gallia tranſalpina ducere, & in Salaſſis ac Helvetiis cogere potuit, exercitu in Ludovici fines ingreſſus, caſtella quinque haud paulum opportuna communitaque perceleriter cepit, expulſo Joanne Franciſco Severinate Ludovici præfecto, qui ne primum quidem hoſtium impetum ſuſtinuit. alia ex parte cum militibus ſex millibus Aſta Julianus profectus Savonem verſus, præmiſſis qui eam civitatem pollicitationibus incitarent; cum nihil eo ſtudio profeciſſet, itinere non intermiſſo illo venit, atque in colle apud oppidum caſtra poſuit. Jamque Piſis Savonem Senatus juſſu venerat claſſis præfectus cum triremibus reipublicæ ſeptem, onerariis navibus Federici regis quatuor: ad quas utraſque Genuenſes duas ejuſdem generis addiderant. Itaque Lucius & Severinas legati, quos eodem Ludovicus miſerat, ſua cum manu, & cum equitibus Græcis, militibuſque quos ex hybernis & Piſano agro Genuam contendere Senatus juſſerat, adjunctis claſſiariis, prælio cum Juliani copiis commiſſo, eas repulerunt. Iis repulſis ſubmotiſque (retro enim ceſſerant) Novium oppidum tormentis poſitis, ut ſe dederet, compulerunt. Claſſis autem præfectus ea littora percurrens, naves magnas parvaſque complures commeatu onuſtas, qui e Provincia cum Juliano, quem quidem jam Galli omnem illam tenere confidebant, tum Florentinis afferebantur, naviculaſque longas militares aliquot paucis diebus cepit. Triultii autem rebus ſucceſſibuſque cognitis, Senatus decrevit, ut Nicolaus Urſinus, cui omnium reipublicæ copiarum præfectura decreta erat, Bernardinus Montonius, Mediolanum celeriter contenderent, imperatorque Franciſcus ſe compararet,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1497 raret, ut si opus esset, ipse quoque eo proficiscereturLegati etiam ad bellum Gallicum lecti, Nicolaus Fuscarenus, Andreas Zancanius, ire celeriter sunt jussi. tum centuriones militum tribunique delectibus conscribendis, quibus uterentur, ad plura loca missi. Ubi Ursinus una cum altero legato Mediolanum venit (nam Zancanius in itinere ad Cremam luxato pede restitit) Ludovicus edici frequenti foro jussit: quæ legati Veneti jussissent, mandavissent, iis velle jubere se, ita omnes homines audientes esse, uti si ea ipsemet imperavisset. Triultio vero, cui, antequam exercitus reipublicæ illuc accessisset, omnia secundiora fuerant, Ursino & Montonio, reliquisque præfectis & tribunis militum suas ei copias opponentibus, primo ad Castellatium, quod municipium tormentis concutere instituerat, mille & quingentis Gallis ab equitatu reipublicæ levis armaturæ male habitis, non leve detrimentum est illatum. Deinde cum prælio decertare non auderet, paulatim se se retrahens, & castella Ludovici capta deserens, apud Astam octo millia passus castra posuit, & communivit: ante tamen Bergomascio Ludovici castello de via ei obvio, propterea quod se dedere noluerat, vi capto, interfectisque ad unum, qui in eo erant, omnibus. Ex Veneto etiam & Ludovici exercitu equites & milites Montis alti municipium, quod a Novaria tria millia passuum abest, expugnaverunt, simulque diripuerunt, atque incenderunt.

Veneti Pisas commeatum inferunt.

Savone autem & Genua recte firmatis, cum Pisani commeatus inopia conflictarentur, propterea quod classis reipublicæ ab eorum littoribus abfuerat, Florentini suis navibus frumenta in oppidum supportari prohibuerant, pauculosque se dies sustinere posse ulterius significavissent: reipublicæ classis præfecto cum triremibus quinque, navigiis minutis frumentariis, quibus erat præsidio, supra quinquaginta e Portu Veneris Pisas revertenti, ex omni sua copia Florentini fortissimo quoque milite navibus impositio, Triturrita solventes occurrerunt. naves erant eorum sex, quatuor biremes, una & ipsa longa sed trire-

triremibus multo vastior atque procerior, oneraria magna alia, militibus amplius sexcentis tormentorum atque missilium omni genere instructissimæ. ex iis ad impediendas frumentarias, ne Arni fluminis ostium ingredi possent, biremes miserunt: reliquæ duæ magnæ, ut in triremes impetum facerent, remis velisque propellebantur. Id præfectus conspicatus, triremem unam cui maxime confidebat, commeatui præsidio reliquit: ipse cum reliquis provectus, tametsi periculosum esse intelligebat cum tam magnis navibus confligere; tamen, propterea quod videbat omnem ejus belli fortunam in eo commeatu supportando consistere, ad eas conversus citatis remigibus suæ navis proram in longæ hostium latus magno animo imprimit. Conflictu mutuo ambæ naves concutiuntur, & hostes manum ferream in præfecti navem jaciunt, eamque retinent. Itaque omni telorum genere cominus acerrime utrinque pugnatur: sed de superiore loco hostium milites tela in Venetos adigentes, facile eos vulnerabant: tum pilas piceas igne succenso in triremem jaciebant, quæ res magnum incommodum præfecto attulit, transtris compluribus, & majore velo igne combustis: ut qui proximi pugnarent milites, remigesque perterrerentur, atque animos virtutemque remitterent. Verum tamen & reliquæ aderant, ut quæque poterat, triremes, & utranque navem hostium virtute magis atque artificio gubernandi, celeritateque remorum, quam viribus & facultate lacessebant: & modo hac, modo illac concitatæ inferebantur. At navis magna hostium pilas ferreas creberrimas tormentis in triremes jaciebat, & si qua ei appropinquasset, saxa & tela interper e carchesiis jaculabatur. Pugnatum est acriter ab utrisque continenter horas ferme quatuor: cum interea navigia commeatum convehentia unius triremis præsidio, quæ biremes quatuor fortissime pugnando repulerat, ostium Arni fluminis capiunt, uno tantummodo navigio amisso, quod tamen sponte ad Triturritam vela converterat. Præfectus id, quod unum maxime cupiebat, assecutus,

ut

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1497 ut commeatum in tuto fisteret, navibus hostium, magno & ipsis detrimento illato, vento adspirante se subtrahentibus, interfectis suæ navis hominibus permultis, vulneratis centum viginti, ex reliquis navibus non paucis desideratis, vulneratis parte plurima, hostes discedentes Triturritamque conversos reliquit. Terrestri autem itinere dum reipublicæ milites & Græci equites Pisa missi reverterentur, Cevæ oppidi, quod est supra Savonem, atque in Gallorum partibus a regulis indigenis obtinebatur, fines ingressi, eos percurrere cœperunt. Ea intellecta re oppidani permoti, cum militibus, quos habebant complures, armis captis ad eos contenderunt: quos illi excipientes universos fuderunt, complures occiderunt, captivos ducentos fecerunt: deinde ulterius progressi, cohortatique inter se, in oppidi suburbia bipartito irrumpentes, præda & cæde facta duabus ex partibus ignem intulerunt.

Atque ea prope omnia tametsi ex Ludovici usu, & reipublicæ voluntate maxime tunc quidem cecidissent, tamen propterea quod illis ipsis diebus nuncii crebriores sunt allati, Carolum omnino aut ipsum in Italiam venturum, aut magnos exercitus missurum, Senatus decrevit, ut imperator cum equitibus octingentis ad exercitum contenderet, copiæque reipublicæ omnes ad Padi ripas se se sisterent. Delecti etiam centuriones decem, militibus Brixiæ conscribendis mille, ad exercitumque adducendis. Ex Rhetis quoque trium millium militum numerus pusilla pecunia conscriptorum adventare dictus est, ut Brixiæ solidum stipendium acciperet. Ea per populos opinione de Carolo, timoreque crebrescente, Tristanus Saornianus e Fori Julii principibus, Hieronymi frater, homo reipublicæ amantissimus, Bernardum Bembum patrem meum Decemvirum magistrum adit. proponit habere se necessarium sibi hominem Epirotam, callidum & ingenio peracri, nihil omnino ut sit, quod ei non mandari recte possit: huic esse cum propinquo suo, quem Carolus Gallorum rex cubiculi mini-

Consilium de Carolo veneno tollendo.

ministrum habeat, magnam perqueveterem benivolentiam: audere illum in Galliam proficisci, & vel propinquo persuadere, ut veneno, quod secum allaturus est, regem tollat: vel, illo de ea re cælato, ipsum per se regem tollere, si Decemviri velint Epirotæ illi tantæ rei præmium aliquod statuere: sperare se atque confidere, brevi negotium ab eo confectum iri. Bembus, tametsi sciret ea flagitia a magistratibus repelli, more tamen institutoque majorum re cum reliquis Decemvirum magistris communicata, atque ab ipsis ad collegium perlata, Tristano ad se vocato, de collegii sententia respondit: *ejusmodi contra hostes insidiis ad eam diem nunquam usam rempublicam fuisse; cum sæpenumero potuerit: neque nunc velle incipere: magis Deos immortales, quam humanas opes, vereri: porro vinci ab suamet nequitia illos, qui per scelus alios vincere perque nefas parant.* 1497

Pium Senatus Veneti responsum.



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN

IN LIBRUM QUARTUM C. AUGUSTINI CURIONIS EPITOME.

INter Carolum & Hiſpaniæ reges induciæ conſtituuntur. Legati a Senatu ad pacem inter Hiſpaniæ & Galliæ regem procurandam mittuntur. Hiſpaniæ reges unius Fortunatarum inſularum regem ad Senatum mittunt. Franciſcus imperator apud Senatum accuſatur. Piſani belli progreſſus. Longæ reipublicæ navis cum Turcica claſſe pugna. Bernardi Ciconiæ cum Peruca pirata navalis pugna. Petri Cantabri claſſis ab Andrea Lauredano incenditur. Joanni Corvino civitas & jus comitiorum datur. Armeniis domus Venetiis datur. Ludovici Sfortiæ in Lucenſes inſidiæ. Caroli Galliæ regis obitus. Florentinorum prope Caſtellum clades. Ludovici Sfortiæ conſilia & artes. Quorumdam in magiſtratus arrogantia mulctata. Venetorum apud Lunam & Caſſinam clades. Piſæ a Paulo Vitellio oppugnantur. Venetorum in Cluſentinis & Stagni Valle conatus. Thracii regis contra Venetos apparatus & conſilia, ejuſque rei cauſſæ. Aloiſius Galliæ rex ſalutatur, ac Venetorum ad eum legatio & munera. Eorumdem cum Aloiſio rege fœdus. Eorumdem quoque cum Florentinis in Piſanis rebus compoſitio. Gallorum in Inſubriam irruptio. Mediolanum a Gallis, & Cremona a Venetis capitur. Ludovicus Sfortia Inſubria excedit. Galliæ regis Mediolanum adventus. Ludovicus Lucemburgius & complures alii civitate ac jure comitiorum donantur. Galliæ rex in Galliam redit.

PE-



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE

LIBER IIII.



Is in Italia rebus adminiſtratis, Caroli & Hiſpaniæ regum legati, qui quidem reges ad ſaltum Pyrenæum exercitibus miſſis bellum inter ſe gerebant, ſex menſium inducias in Aquitania faciunt: quibus uterque rex induciis non ab altero modo ipſorum, ſed a ſociis etiam & fœderatis bello laceſſendis abſtineat. Quamobrem Carolus, ubi id ei nunciatum eſt, ad Triultium mittit imperans, ne quam Ludovici rebus induciarum tempore turbam aut moleſtiam inferat. Ea intellecta re Senatus ſuas & ipſe copias domum revocat. ita, qua ex parte, quoque tempore maximi tumultus expectabantur, ſubitum otium eſt allatum. Eas ob res Senatus Dominicum Triviſanum, Antonium Bolduum ad Hiſpaniæ reges legavit, qui procurarent, uti ex induciis ſemeſtribus diu-

1497 *Inter Galliæ Hiſpaniæque reges induciæ.*

turna

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1497 turna pax fieret. Quibus profectis Antonius, eloquentia plane ſingulari, & præſtanti vir ingenio, in itinere adverſa valetudine interceptus, Genuæ interiit. Ejus morte audita Senatuſconſultum factum eſt: Cum Antonius Bolduus Andreæ filius ex equeſtri ordine nullum laborem pro republica refugiens, legatione ad reges Hiſpaniæ ſuſcepta in itinere mortem obierit, Senatui placere, ut Gabrieli Bolduo ejus filio primo quoque tempore in fano Patavino ſacerdotium attribuatur, quo ſe fratreſque ſuos alere commodius atque honeſtius poſſit. idque paulo poſt ſacerdotium ab Alexandro Senatu petente Gabrieli eſt attributum. Miſerant illi quidem reges ſuperioribus menſibus ad Senatum per Franciſcum Capellum legatum, qui ex Hiſpania domum redierat, Fortunatarum inſularum unius regem dono mediusfidius non ſpernendo: quando ea porro elementi ora ſolidi, quæ in oceano Athlantico eſt circiter decies centena millia paſſus a continenti meridiem verſus; multis ante Patres noſtros ſæculis ignorata, eorum indagatione ac diligentia, tota tum demum reperta, & colonis magiſtratibuſque miſſis in poteſtatem redacta, orbi terrarum adjungitur. Eum regem publice Patavio enutriri Senatus juſſit. Eodem fere tempore Patres certiores facti Franciſcum imperatorem ſtipendio reipublicæ non confecto cum rege Carolo agere, ut ſe in ſuam militiam recipiat, illum ad urbem accerſitum, ubi morbo, ne venire poſſet, impediri ſe reſpondit, Decemvirum decreto miſſum fecerunt. Is auri libras ducentas ſtipendiorum nomine ante tempus acceptorum reipublicæ debebat: ſalis autem crediti, nequedum ſoluti, centum. Accidit tamen, ut eo ipſo miſſionis die infrequenti comitatu Franciſcus Venetias appelleret, dictitans ſe a Ludovico ejuſque genero Galeatio in fraudem ob invidiam conjectum, qui literas eb eo conſcriptas finxiſſent, ad Patreſque miſiſſent, quas ipſe nunquam ſcripſerit. ejus rei ſatis magnum argumentum eſſe, quod ipſe in eorum poteſtatem venerit. quod ſi alia etiam pignora Patres poſtulent, arces ſe ſui regni, ſuoſque liberos

Franciſcus Gonzaga Venetis ſuſpectus, imperio copiarum exuitur.

ros reipublicæ traditurum, modo ſibi purgandi jure criminis facultas ne intercludatur. Neque tamen ut ſententiam Patres mutarent, impetrare potuit: qui ad eum tertio poſt die miſerunt, moram in urbe diutius ne traheret. Is etiam, quo ad urbe diſceſſit die, Joannem fratrem ad Patres miſit, quibus ſe ab eo conveniri non eſt viſum. Poſt hæc dum induciarum Aquitanicarum tempus labitur, Hercules ad urbem venit, Principem & Patres ſalutatum, rogatumque ut Ferdinandum filium ſuum in equitatu reipublicæ vellent eſſe: quod quidem ei Patres liberaliter conceſſerunt, equitibus cataphractis alendis centum ſtipendio adoleſcenti per Senatum attributo. 1497

Quod autem ad Piſanum bellum attinet (ut eodem ſæpius revertamur) is quidem annus & pro parte inſequens nihil prope, quod magnopere memoratu dignum eſſet, habuerunt. Miſſi ad Florentinos per Triturritam commeatus in tam magnis navibus, ut eas aggredi naves reipublicæ non ſint auſæ. Capti ab eorum exercitu milites Veneti centum, & exuti armis. Conſcripti ab eiſdem equites levis armaturæ tercentum, qui ſagittis contra Græcos uterentur: atque ii eorum impetus admodum repreſſerunt. Ob id ab Senatu equites ferreis cum fiſtulis ad exercitum miſſi, & item Græci ſubmiſſi: cataphracti quoque equites conſcripti novi, dilapſis veteribus. Qui Piſarum portas cuſtodiebant, iis addita ab Senatu ſtipendia, ut ſtudioſiores ſuo in munere obeundo eſſent. Miſſa etiam ad Senatum Ludovici nova legatio, quæ ad componendas Piſanorum cum Florentinis controverſias Patres hortaretur: præſtare eos Florentinis attribui, quam bellum diutius alere: omnia in Italia pacis & quietis plena momento temporis futura, ſi Piſæ reſtituantur. ut nec tam commutata illius tempore aut eventibus conſilia viderentur; quid enim tum novi? quam ſemper illum id unum ſpectaſſe palam fieret, ne reſpublica eo municipio potiretur. ſed nihil plane ultra: aliis vero de rebus perpauca. *Piſani belli continuatio.*

Navis reipublicæ longa ex earum genere quæ ad mercaturam

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1497 turam proficiſcuntur, more inſtitutoque majorum, con-
Navis Venetæ cum Turcica claſſe conflictus. vehendis iis hominibus, qui aut voto ſuſcepto, aut religione permoti Chriſti Dei Filii ſepulcrum, quod eſt Hieroſolymis, adire atque inviſere cupiunt, in Syriam quotannis ſtato tempore mitti ſolita, cum ad Maleam iter faceret, in Turcarum regis claſſem Arige præfecto incidit. Ea erat navium onerariarum duarum, triremium item duarum, biremium quinque. quarum biremes duæ ad navem reipublicæ præmiſſæ vela demittere juſſerunt. Mos eſt nauticus ejuſmodi, ut qui plus aut viribus aut dignitate pollent, velint, ut quæ ſibi occurrerint naves, velificationem intermittant, antennaſque demittant, cum honoris ſui cauſa, tum ut, ſi quid ab illis quærere, aut petere velint, poſſint. id qui nolunt facere, jus eſt bello cogere ut faciant. ſæpeque accidit, ut ea de cauſa pugnæ maximæ exiſterent, plurimorumque hominum cædes conſequerentur. Aloiſius Georgius (is enim erat navis Venetæ præfectus) claſſem eſſe illam piratarum exiſtimans, antennis non demiſſis curſum tenuit. quod ubi Turcæ conſpexerunt, ab utroque illum latere ſuis triremibus cinxerunt, & ſagittarum magnam vim in eum mittere cœperunt. Id cum parum proficeret, navibus ſuis omnibus illum expugnare contenderunt. eo in certamine Turcæ navis Venetæ ſcalam ſæpe conſcenderunt, aliiſque a partibus in navem proſilierunt: ſæpe ignem injecerunt, quo & plutei combuſti, & præfecti cœnaculum ipſa in puppi, & majora vela conflagraverunt. Sed tanta remigum & nautarum, atque in primis advenarum virtus fuit, ut cum ab hora diei ſexta uſque ad quartamdecimam pugnaviſſent, Turcæ receptui canentes, & ſigno pacificationis ſublato, priores pugnam deſinerent; Arigeſque miſſis ad Aloiſium ex ſuis, qui ſalutem illi dicerent, magnumque atque fortem virum eſſe teſtarentur, pacem benivolentiamque cum illo iniit. Miſſi quadraginta milites ex iis, quos Janizaros appellant, ſuis in navibus interfectos eſſe Aloiſio ſignificaverunt. Ex Veneta interierunt quinque: vulnerati complures: in his præfectus

fectus quatuor vulneribus acceptis: neque tamen periit. In 1497
Punicis etiam littoribus Bernardus Ciconia ejuſdem ge- *Bernardus Ciconia Perucam piratam capit.*
neris navibus a republica præfectus Perucam piratam ingenio magis quam viribus expugnavit. Erat uterque ad Tuneta in portu: atque ille navem onerariam permagnam habens, ut exirent Veneti, expectabat, illos in mari aggreſſurus: ſeque id conaturum, palam antea præ ſe tulerat, multa minaciter oblocutus. Interim Dalmatæ, qui ſub imperio reipublicæ degebant, navem non magnam eundem in portum adducunt. Id ut eſt Ciconiæ nunciatum, nocte ex ſuis navibus homines complures in illam imponit, naveſque aptari ad pugnam imperat. Ea re tametſi furtim fiebat, tamen a piratis animadverſa, confeſtim Peruca relictis ob celeritatem anchoris e portu ſe ſe eripit. Ciconia illum cum triremibus ſequitur: tranquillitateque oborta, remigum labore aſſecutus, oppugnanſque cominus, ubi propter navis altitudinem nihil ferme virtute militum proficit, & ſuos facile vulnerari de ſuperiore loco videt, fabros in navis ſcapham jubet deſcendere, eoſque ſuæ puppis pluteis armamentiſque contegens, ex piratæ navi ſtuppas inter tigna conſtipatas paulum ſub aqua extrahere imperat. Ea re hoſtibus imprudentibus effecta, implenteque ſe navi aqua, Peruca illi deditur. Noſtro autem in mari Andreas Lauredanus, navis oneraria bellicæ a Senatu præfectus, magna vir virtute, cum *Andreas Lauretanus Petri Cantabri, piratæ, claſſem incendit.*
intellexiſſet a Crotoniatis Petrum Cantabrum piratam recipi, qui reipublicæ hominibus damna intuliſſet, eumque ad Oricellam eſſe cum navibus longis quatuor, ſecum naviculas, quas appellant *Gripos*, quæ commeatum advexerant, duas ducens, eo proficiſcitur: jactiſque procul anchoris, noctem opperiens in ſuæ navis ſcaphis duabus atque in Gripis milites trecentos impoſuit, imperans ut ante lucem egreſſi, turrim ipſo in littore, qua in turri eſſe Cantabrum intellexerat, circunfunderentur, ne is effugere poſſet, eamque expugnare conarentur. Miſſi, quod iter erat longius, orto jam ſole in littus deſcenderunt. Cantaber ubi naves advenientes e longinquo vidit, coactis

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1497 ctis non ſuis modo, ſed ejus etiam loci copiis equitatus & peditatus, quas Antonius Centilius, cujus erat in poteſtate caſtellum, ut ei præſidio eſſent, ad illum ſtatim miſerat, in eos impetum fecit. Veneti cum ſex horas continenter pugnaviſſent, interfectis compluribus, vulneratis octoginta, Cantabroque ipſo, omnes in fugam conjecerunt. fugientes loci caſtellum recipiens texit. Turri deinde expugnata, quique in ea erant propugnatoribus novem reſte ſuſpenſis, caſtellum capere ſunt aggreſſi. Biduo in ea oppugnatione conſumpto, cum acerrime caſtellum defenderetur, murorum parte dejecta, vaſtato agro, tormentis hoſtium abductis, uno ſuorum tantummodo amiſſo, vulneratis perpaucis, piratæ claſſem incenderunt, ad navemque redierunt.

Superiori vero æſtate Joannes Corvinus, Mathiæ regis Pannoniæ filius, per ſuum legatum Senatui ſignificavit, cupere ſe ſe perpetuo amoris & benivolentiæ vinculo cum republica conjungi: itaque petere ut in civitatem & jus comitiorum reciperetur. quamobrem majoribus in comitiis civitas, & jus comitiorum ei datum. Armenii quoque, qui Venetias venerant, tabellas teſtamentarias, Ziani Principis tempore ab homine Armenio confectas, ædis Marciæ procuratoribus oſtenderunt: quibus tabellis domum in urbe demortui pecunia emere procuratores jubebantur, quam quidem domum Armenii ad urbem venientes incolerent: eamque poſtea domum cum ſacello emptam ad Juliani fuiſſe in laternarum via, quæ tunc a procuratoribus locetur: itaque illam ipſam domum ſibi reſtitui ex teſtamento petierunt. A procuratoribus intellecta eorum poſtulatione domus eſt Armeniis reſtituta, atque ab iis incoli cœpta. Ipſi a civitate comiter & liberaliter accepti, gens tam longinqua, urbi amico ſpectaculo fuerunt. Vere autem inſequentis anni jam medio, Ludovicus regni ac dominationis ingenio & natura cupidiſſimus, ejuſque rei magnopere impatiens, quod videbat Piſarum civitatem multo reipublicæ amiciorem eſſe, magiſque tribuere, quam illius vel benivolentiæ, vel fidei, Lucam

Armeniorum domus cum ſacello Venetiis condita.

1498 *Ludovicus Sfortia Lucenſibus inſidiatur.*

1498 cam oppidum ſuam in poteſtatem redigere malis artibus eſt conatus: quo facilius vel Piſas, ſi qua poſſet, occuparet ipſe, ſuaſque faceret, vel reipublicæ occupare illas cupienti, firmius obſiſteret, municipio omnem ad copiam opportuniſſimo, & vicinitate conjunctiſſimo ſuæ ditioni adjecto, ad ſeque traducto. Itaque compoſitis, quas intendebat ei municipio inſidiis, ire ſe Genuam ſimulat, ut Lucenſes imparatos aggredi, tanquam alio properans, improviſo poſſit. Sed in itinere dum eſſet, detecta proditione oppidani ſe communiunt. Potiundi oppidi occaſione amiſſa Ludovicus, ne ſimulaſſe videretur, Genuam profectus eſt, ibique dies aliquot commoratus domum rediit. Senatus iis Ludovici artibus cognitis, cum in ſe plane uno poſitam omnem ejus belli rationem & conſtitutam videret, Græcos equites trecentos, qui in agro Patavino hyemaverant, Piſas mittere, prioribuſque addere decrevit, militumque numerum duum millium ſtatim imperare, qui Piſas mitterentur: tum legatum exercitui legere, qui Juſtiniano domum redire poſtulanti ſuccederet. Lectus Thomas Zenus viæ ſe dedit. quæ intelligens Ludovicus, palam, ut etiam reipublicæ legatus exaudierit, *Ea quidem Senatuſconſulta*, inquit, *quo ſpectent, video: volunt enim Patres Piſis potiri: ſed eos eventus fruſtrabitur, nunquam enim potientur.*

Inter hæc Carolus Galliæ rex moritur. itaque accidit, ut cum Marcus Lipomanus reipublicæ legatus ab Ludovico peteret, uti Zeno cum Græcis equitibus Piſas eunti iter ad Apuanos Ligures pateret, Ludovicus nihil reſponderit; tum ipſi in Ludovici fines progreſſo itineris facultas permiſſa non fuerit. Senatus iis de rebus certior factus, reputanſque id, quod erat, Ludovicum nihil ſibi amplius a Carolo timentem, propter quod reipublicæ indigeret, ſpiritus ſumpſiſſe, neque quidquam præterea in Piſani belli adminiſtratione reipublicæ concedurum ullum exiſtimans, ad Herculem miſit, ut equitibus & legato reipublicæ per Mutinæ, Regiique Lepidi fines iter daret: qui quidem dedit. Ludovicus autem ea re cognita, tum

VIII. id. april. Caroli VIII. obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 *Ludovicus XII. Gallorum rex.*

e Gallia certior factus Aloiſium ducem Genabenſium, qui in Galliæ regnum Carolo ſucceſſerat, quem Galli Ludovicum appellabant, jam ad bellum in ſe ſe animum & cogitationem adjeciſſe, Senatui ſignificavit, nihil ſe de itinere legato reipublicæ negaviſſe: illum potius perperam ipſius verba interpretatum: ſuos fines omni tempore Senatus exercitibus patuiſſe, neque unquam occluſos fore. quamobrem Zenus ipſe per Ludovici fines, quod iter erat commodius, Piſas venit: cum tamen equites Pado jam trajecto per Herculis fines antea miſiſſet. Florentini, qui omnino ſæpe a Græcis equitibus male habiti eos peſſime oderant, edictum propoſuerunt, ne quis ex eis captivus duceretur, ſed captus interficeretur. Ea intellecta re legatus Venetus edici contra juſſit, idem ſui milites facerent, neque ulli omnino ex hoſtium numero parcerent, ſed omnes peræque interficerent. ſtatimque in eorum fines Græcos equites educens, excurſione introrſus facta, quoſcunque in agris reperit, interfecit. qua re cognita, Florentini edicto publice reſciſſo ad morem belli priſtinum redierunt. pauloque poſt Butrium magno impetu aggreſſi, ſcaliſque ad murum poſitis, repulſi ſunt a propugnatoribus detrimento parvo accepto.

Florentinorum clades.

Sed non parvo illis detrimento ea, quæ ſubſecuta eſt clades, fuit. Jacobus Savornianus turmæ equitum reipublicæ præfectus, adoleſcens impiger, cum ſuis equitibus centum, Græcis quatercentum, in hoſtium fines Populoniam verſus e caſtris prædabundus proficiſcitur: multiſque millibus paſſuum confectis, ad caſtellum, quo in caſtello alumen proximis e ſecturis erutum incredibili dominorum lucro plurimarum nationum uſui conficitur, accedens, oppidanos ad illum repellendum egreſſos fugat: ædificia, quæ pro portis ſunt, incendit: alias in partes incurſione facta, atque in ea biduo conſumpto, magna cum pecudum & armentorum præda dum revertitur. Hoſtes de ea re certiores facti, omnibus copiis ad ea loca, quæ per illum iter facturum putabant, contenderunt. Alia ex parte Zenus legatus ob Jacobi longiorem moram veritus ne hoſtes intellecta re in itinere illum aggrediantur, cum reliquo exercitu obviam Jacobo proficiſcitur, præmiſſo tibicine, qui eum de ſuo adventu certiorem faciat. Hoſtes Jacobum nacti, impetum in eum faciunt. Interim tubicen celeritate uſus, de legati adventu eum admonet. Ille id intelligens, hoſtium modo impreſſionem lente ſuſtinere, etiam cedere interdum, deinde pugnam pauliſper redintegrare. Id ubi aliquandiu facit, legatus advenit, hoſtes pugnantes a tergo repente aggreditur: tum Jacobus Græcique clamore ſublato acerrime in eos invehuntur. quod ubi hoſtes viderunt, omnes perterriti fugere contenderunt. Interfecti ex iis plus ducenti: capti ex præfectis, Ranutii Martiani frater, Galluſque is, qui ob virtutem *bellator magnus* appellabatur, aliique complures: ex equitibus centum ſeptuaginta, ex militibus quingenti: ſigna militaria quinque relata. Ranutius ipſe toti exercitui præfectus, equo amiſſo fugiens, vix ægreque ſe in proximum oppidum contulit: reliqui aut idem in oppidum, aut in montes atque ſylvas fugientes ſe abdiderunt.

1498

Paullus Vitellius Florentinorum imperator.

Florentini clade accepta, Paulo Vitellio, qui priore ſtipendio confecto ad gentiles ſuos, quibus cum Alexander bellum gerebat, in Romanum agrum ſe contulerat, imperium totius belli deferunt: Vitellotio ejus fratri præfecturam equitum tradunt. ii cum equitibus trecentis in eorum caſtra perceleriter veniunt. Catherina Forum Livii & Forum Cornelii obtinens, Ludovici Francis filia notha, mulier vidua, milites quater mille ſuis in oppidis atque finibus imperat magna celeritate adhibita: eos, quod nulla ſuberat cauſa cur imperarentur, Ludovici juſſu cogi omnes homines exiſtimaverunt, ut illos auxilio Florentinis mitteret. Ludovicus ipſe Franciſcum Mantuanorum principem, quem reſpublica miſſum fecerat, imperatorem ſuis copiis deligit, ſub Maximiliani copiarum nomine. Iis intellectis rebus Senatuſconſultum fit, ut equitum præfecti aliquot Ravennam mittantur: ut Vincentius Naldius Faventinus magna in oppidi finibus auctoritate homines

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 mines montanos cogat reipublicæ pecunia numero ad mille: ut Antonius Ordelafius Forolivienſis, cujus pater ejus oppidi regnum obtinuerat, quemque ipſum reſpublica complures in urbe annos enutrierat, Ravennam proficiſcatur, bellum Catherinæ, ni quieſcat, ſuorum factione reique-publicæ opibus illaturus: ut Ferdinandus Herculis filius, quem Senatus in ſuam militiam adlegerat, & Joannes Ripa equitum præfectus, iter Piſas eveſtigio ſuſcipiant: ut Nicolaus Urſinus, Bernardinuſque Montonius ad Ollii fluminis ripas ſe ſe conferant.

Poſt hæc, propterea quod Ludovici legatus eo Senatuſconſulto intellecto inter Patres dixerat, res, quas vellent, alias cogitarent, unum modo, Piſas ſe tueri poſſe, ne cogitarent, neve in animum inducerent: adhibitis fœderatorum legatis Barbadicus Princeps eis oſtendit: *Quod bellum reſpublica in Florentinos Piſis tuendis ſuſcepiſſet, factum ſociis quidem omnibus conſentientibus, Ludovico autem magnopere hortante, ac belli æquam partem in ſe ſe recipiente. quantas eo bello impenſas Senatus fecerit, quantos exercitus eo miſerit, aluerit, quot triremes, naves, ignorare prorſus neminem. Maximilianum in Italiam adduxiſſe quidem & reliquos, ſed unius Ludovici cauſa, ut eſſet qui illum ab Carolo bellum ei primum omnium parante, pari auctoritate tueretur. eos tamen ſumptus omnes unum prope Senatum ſuſtinuiſſe, largiterque Maximiliano ſuppeditaviſſe. Annos eſſe elapſos duos, ex quo bellum initium habuerit: nunc autem, cum eo res perducta ſit, ut ſi, quam Piſarum civitati fidem Ludovicus dedit, etiam præſtet, illa ſuam libertatem facile retineat, eum non modo ſuas domum copias reduxiſſe, ſed hoſtes etiam Piſanorum fovere milite, pecunia, conſilio, rebus omnibus: ut qua ipſe perfidia volens lubenſque in Piſanos utitur, velit alios cogere, ut eandem perfidiam vel inviti exerceant. Is quoniam Senatui animus non eſt, ſcire eum cupere, quid ſibi his rebus Ludovicus poſtulet: nam ſi pacem agere deſtinat, pacis ei Senatum auctorem fore, dum in fide, quam Piſanis dedit, maneat: ſin bellum gerere mavult, bellum ei per Sena-*

Barbadici Principis oratio ad Sforziæ oratores.

1498 *Senatum non defuturum. earum duarum rerum pacis bellique utra ei magis cordi eſt, ejus eligendæ ſe ſe poteſtatem illi facere. ipſos autem legatos non tam ſuæ orationis teſtes habuiſſe, quam ut ſi quid durius Ludovico acciderit, ſciant memoriaque teneant jure id meritoque accidiſſe.*

Ea oratione habita, legatus Ludovici tempus ſe dixit ſumere, dum quid ad illa reſponderi Ludovicus velit, ſcire poſſit: neque tamen dubitare ſe jam nunc, quin auri libras quindecies millies Ludovicus habeat, quibus Florentini tanquam ſuis eo bello uti poſſint. pauciſque poſt diebus literæ ſunt ab Ludovico ad Patres datæ: *Mirari, ſe ſe quam ob cauſam ea Senatus mandata nunciari ſibi juſſiſſet, qui quidem non ſocius modo atque amicus, ſed plane filius reipublicæ ſemper fuerit. æquiſſimum ſibi videri, quam pecuniam Piſis tuendis civitas erogarit, eam pecuniam Senatui reſtitui. itaque ſi velint, cum reliquis fœderatis rationem Patres ineant, quonam id quidem modo agi commode conficique poſſit: ſe nihil ejus impediturum.* Iiſdem diebus Decemviri Petro & Hjeronymo & Aloiſio Bragadenis Andreæ filiis, propterea quod ii Nicolaum Georgium, rationibus publicis præfectum, in ejus ædibus dum alloquerentur, verbis arrogantioribus interjectis minis fuerant uſi, jus comitiorum & magiſtratuum adipiſcendorum facultatem annos decem interdixerunt: qui quidem ante id tempus nequeant reſtitui, niſi omnibus collegii ſententiis ea lege abſolvantur. Idem poſtea in Vincentio Barbaro ſervatum, quod is Dominico Lamberto magiſtratus *pacis* Scribæ maledixerit.

Sforziæ reſponſio.

Florentini æſtate ineunte per Catherinam perque Ludovicum, qui eis pecuniam mutuo dederat, confirmati, noviſque aucti copiis, militum reipublicæ non magnum numerum, qui Lunam, ut eorum locorum dominis præſidio eſſent, ab legato miſſi fuerant, cæde facta in fugam verterunt. Deinde, tametſi Senatus cum Petro Duodo altero legato Piſas profecto equitatum, qui fugitivis utebatur, eodem miſiſſet, tamen apud Caſſinam magna caligine oborta, ita ut conſpici non poſſent, maximam co-

Venetorum clades in Etruria.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 piarum omnium partem fuderunt, Joanne Gradonico, qui eis præerat, interfecto, captis compluribus: reliqui, Savornianus Tarſiaſque qui erant Caſſinæ, veriti ne interciperentur, tormentis abductis ſe ſe Piſas contulerunt, atque ad muros caſtris poſitis conſtiterunt. Iis intellectis rebus Senatus exercitu reſtaurando Guidum Ubaldum Metaurenſium ducem ſuam in militiam adſcivit, cui ſtipendium eſſet in equites cataphractos ducentos, levis armaturæ centum, auri libræ annuæ centum ſeptuaginta. Petrum autem Marcellum legatum declaravit, qui Urbinum accurreret, ut Guido Ubaldo præſto eſſet, militeſque mille in ejus finibus conſcriberet. Tum, quod Petrus Medices Patribus ſignificaverat, quoniam Urſini propinqui ſui pacem cum Alexandro feciſſent, ſi ei pecunia in ſtipendium ſubminiſtretur, illos ſe omnes, quocunque opus eſſet, adducturum: Senatus ea de cauſa Petro Medici pecuniam decrevit, equiteſque Græcos, qui æſtiva in agro Tauriſano habebant, quique tum e Græcia venerant, in Flaminiam mittendos cenſuit, ut alio itinere Piſas contenderent: nam per Ludovici fines unum modo militem, aut omnino nuncium eo Patres mittere non poterant: quando is & itinera clauſerat, & omnes tabellarios excutiebat atque intercipiebat, ne Senatus certior illis de rebus fieret. itaque nihil jam novi Piſis afferebatur, compluresque dies magna earum rerum ignoratio Senatum tenuit. Emanavit tamen hoc, Florentinos cum Genuenſibus Ludovico procurante fœdus percuſſiſſe, quo ex fœdere Genuenſes littora Florentinorum ab reipublicæ claſſibus tuta reddere tenerentur. Neque multo poſt eorum magiſtratus Marco Beatiano, quem antea Senatus Genuam miſerat, aſperioribus verbis denunciavit; ſe nunquam paſſuros, ut in reipublicæ imperium Piſæ redigantur. cui Beatianus reſpondit, *Minus injuſte eos & Ludovicum facturos, ſi ſemel injurii in rempublicam fierent, fœderum & ſocietatis, quam Diis hominibuſque teſtibus ſanxiſſent, læſæ atquæ violatæ nomine: nunc illos dupliciter peccare atque delinquere: ſemel in eo, quod infi-*

deli-

delitate ſe polluunt: iterum autem propterea, quia rempublicam ambitionis inſimulant, quæ profecto nunquam Piſas ſui juris facere concupivit, ſed tantum libertati reſtituere, quemadmodum ſe facturam una cum ipſis initio ſpopondiſſet. 1498

His igitur atque aliis unius Ludovici artibus (nunquam enim quieſcebat) cum ſuum magnopere Florentini exercitum autumni menſibus amplificaviſſent, reipublicæ autem copiæ multis eſſent partibus attenuatæ, Paulo imperatore Butrium aggreſſi per deditionem oppidum capiunt: eo tamen ita capto, omnibus tormentorum magiſtris, ne amplius exercere artem poſſent, manus dexteras præciderunt, ſuaque cujuſque collo appenſa eos dimiſerunt. quorum pars ad urbem veniens ſe ſe Patribus commendavit. Patres quoad viverent, ſtipendium ſingulis cum vacatione omnium munerum tribuerunt. illi manibus ferreis fabrefactis ſe ad artem redituros, & reipublicæ uſui futuros, ſuaſque injurias, ſi Piſas remittantur, vindicaturos, fidem Senatui fecerunt. Auxit Patrum curam exercitus inſtaurandi Butrium captum: itaque Balliones, familiam Peruſinam magnopere militarem, antiqua neceſſitudine cum Urſina Romanorum gente conſociatam atque conjunctam, equites cataphractos centum quinquaginta pollicentem, Senatus conduxit, qui per ſuos fines & Senarum agrum Piſas proficiſcerentur. Eo tempore Petrus Medices cum ſe viæ dare vellet, ut in fines Florentinorum contenderet, in febrim incidens ſubſtitit. Interim Paulus omni cum exercitu ad Piſanum Vicum caſtra poſuit, oppugnandi oppidi cauſa: quod cum plures dies tormentis percuſſiſſet, atque ad muros milites adduxiſſet, ſæpe cum clade repulſus, oppidanis acerrime propugnantibus, tandem oppidum per deditionem capit. Ejus oppugnationis tempore accidit, ut Veneti quoque caſtellum Piſanorum, in hoſtium poteſtatem redactum, in quo erant milites ducenti quinquaginta, noctu aggreſſi uno impetu expugnaverint. quo ſucceſſu incitati, paulo poſt ad caſtellum Piſanum Vico proximum item noctu

cum

Florentinorum crudelitas in captivos.

Rerum Venetarum in Etruria fortuna varia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 cum acceſſiſſent, re per exploratores ſignificata, repulſi a propugnatoribus, tum in reditu ab hoſtibus intercepti, magnam cladem acceperunt. Vico capto & clade accepta Senatus cenſuit, uti Peruſiæ milites conſcriberentur numero ad duo millia: &, quod Senarum civitas per ſuos fines iter reipublicæ copiis non dabat, Petrum Medicem Guidumque Ubaldum in Flaminiam vocavit, ut per Faventinorum fines in hoſtium agrum irrumperent. ea enim de cauſa cum ad eos Jacobum Venerium legatum miſiſſet, civitas concilio convocato, reipublicæ copias ſententiis prope omnibus recipiendas cenſuerat. Itaque etiam Heſtori puero pœnitentia ducto, quod ſe per ſuos malis artibus a republica diſtrahi permiſiſſet, priſtinum Senatus locum gratiæ reſtituit, cum reliquis ſtipendii veteris, novo ſtipendio tradito.

Hoſtes interea Piſanum Vicum, quem quidem murorum parte magna tormentis nudaverant, reſtituunt. Veneti ſe in Piſarum ſuburbiis vallo cinxerunt. Librafactæ autem in colle, qui e regione oppidi eſt, caſtello excitato, claſſiariiſque ſeptuaginta cum tormentis introductis munierunt. quæ tamen eis cura ſtudiumque haud multum contra Pauli artes profuit: nam cum illi Librafactæ copiis omnibus profecto, dieſque complures caſtellum oppugnanti parum uſui cætera fuiſſent, cuniculis partem muri ſuſtulit, ſubmiſſiſque per ruinas militibus, non tamen ſine cæde, caſtello eſt potitus. Eo capto, Librafactæ jam & ipſum tormentis murorum parte nudatum, tridui ſpatio ad deliberationem ſumpto ſe dedidit. Rebus apud Piſas in adverſum reipublicæ labentibus, & Paulo nihil eorum, quæ ex uſu eſſe poſſent, prætermittente, Senatus decrevit, ut Guidus Ubaldus, Petrus Medices, per Faventinorum fines Maratam Criſpinumque municipia natura magis quam artificio communita, quæ prima eo latere in hoſtium ſunt finibus, aggrederentur, ut illis expugnatis, aditus in agrum Florentinorum eis pateret. Itaque tormenta ad muros dejiciendos Ravennam Patres miſerunt, quæ eo ſupportarentur: Joannemque Paulum Gra-

Gradonicum & in Ubaldi exercitu quæſtorem, & Græcis 1498
equitibus, quos ei præſto eſſe juſſerant, præfectum legerunt. Julianus autem Medices Petri frater, cum Faventiam prior veniſſet, Maratam profectus ab oppidanis libentiſſimis recipitur. Laurentii enim recordatione, magni clariſſimique viri, eorumque municipio amiciſſimi, qui civitatis principatum multos annos obtinuerat, permoveri ſe ſe dixerunt, ut quam benivolentiam patri, ſi viveret, ſe debere ſentiebant, filio præſtarent. Maratæ arx ſummo in colle poſita militibus referta ſe ſe tenuit. Interim Bartholomæus Livianus ex Urſina Romanorum gente in Medicum partibus homo paratiſſimus, Faventiam & ipſe cum equitatus parte præmiſſus, milites centum quinquaginta, quos in Ferrarienſium finibus Catherina ſcripſerat, atque ad ſe venire juſſerat, in itinere aggreſſus omnes cepit, armiſque exuit. Petrus medio inter Maratam Faventiamque ſpatio, ne commeatus intercludi eis poſſet, Guido Ubaldo relicto, ſuis cum equitibus militibuſque mille jugum, quod Maratæ arci imminet, capit: tormentiſque in eo jugo poſitis, muros dejicere aggreditur. Iis vallo portæ diruto, legatus qui in arce erat ſibi veritus, ac domum clam recurrens, ejus capiendæ occaſionem hoſtibus utique dediſſet, ſi ejus fuga cognoſci potuiſſet. Ille vero ad arcem defendendam, quæ maximo momento ipſorum rebus eſſet, civitatem incitans, maioris etiam præſidii celeriter eodem ſubmittendi cauſam præbuit. qua re effectum eſt, ut tametſi in ea oppugnatione complures dies exercitus reipublicæ conſumpſiſſet, arx tamen capi non potuerit, quoad Joanne Franciſco Severinate Gaſpareque ejus fratre cum exercitu ab Ludovico Forum Livii miſſis, ut una cum Florentinorum conjuncti copiis in Ubaldum impetum facerent, Petrus & Julianus oppugnationem relinquere coacti ſe ſe Ubaldo adjunxerunt. Baliones tardius profecti Ravennæ conſtiterunt.

Itaque cum in magna commeatuum inopia Patres verſarentur, Paulo modis omnibus Piſanas reſurgente, novo

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 vo exercitu reipublicæ nihil proficiente, Franciſcus Mantuanus Senatui ſe obtulit, ſi ei priſtinum locum gratiæ reſtituat, illi præſto celeriter futurum, veteremque ſuam fidem magno cum reipublicæ uſu tam dubiis temporibus præſtaturum. Re a Patribus agitata, Decemviri priore judicio in Franciſcum reſciſſo, ac lege miſſionis antiquata, Senatui permiſerunt, uti de eo, quod ſibi e republica videretur eſſe, id ſtatueret. Eo cognito Decemvirum decreto, Franciſcus equites levis armaturæ ſeptuaginta, quos ad Catherinam miſerat, ſtatim revocavit, & Ravennæ juſſit eſſe reipublicæ obtemperaturos: & Joannem fratrem ad urbem miſit actum Patribus gratias, tum ut militiæ conditionem a Senatu acciperet. Senatus Franciſco equites cataphractos ducentos quinquaginta, Joanni centum attribuit: qui ſi numerus in tempore expleri ab illis non poſſet, binos equites ſagittarios unius cataphracti loco uterque eorum conficeret: ſtatuitque ut ex reliquo equitatu reipublicæ tot ad hos cum præfectis adjungerentur, ut eſſent omnes octingenti, quos Franciſcus ſecum adduceret. itemque ut milites ter mille magiſtratus Tauriſani, Vicetini, Veronenſes, Brixiani, Bergomates celeriter conſcriberent, qui Franciſco traderentur, ut Piſas vel invitis iis, per quorum fines iter eſſet faciendum, pervenire poſſet: legatumque ei Nicolaum Fuſcarenum declaravit. Senatuſconſulto accepto Franciſcus eveſtigio ad urbem venit, Principiſque pedibus prope advolutus, tempus dixit ſibi exoptatiſſimum veniſſe, ut fidem ſtudiumque in illum ſuum, atque amorem erga rempublicam, quem a puero ſuſceptum conſtantiſſime ſemper coluiſſet, improborum eorundemque invidorum hominum maledictis offuſum & interpellatum, Senatui probaret. Patres ei libras auri centum in ſtipendii partem numerari ſtatim juſſerunt, quibus decem dono datæ adjungerentur. Iis Piſas rebus celeriter perlatis, civitas animos jam prope infractos confirmavit, ſpemque cepit fore, ut hoſtes non diutiſſimam ex recenti victoria lætitiam eſſent habituri: ſe ſeque ad omnem oppugnationem ſuſtinendam, dum

Franciſci Gonzagæ levitas.

dum auxilia inſtituta adducerentur, comparavit. Neque 1498
tamen ea porro fama deterreri Joannes Bentivolus ſatis potuit, ut per ſuos vellet fines exercitui reipublicæ Senatu poſtulante iter dare: quod diceret, ſibi apertiſſime Ludovicum denunciaviſſe, ſi id faceret, exules ſe Bononiam reducturum, atque illum principatu oppidoque ejecturum: tanta tamque atrox in rempublicam æmulatio, tam averſa a bonis moribus cupiditas ejus mentem atque animum occupaverat.

Sed fuit ea plaga levior: vel enim vi contendere Joannes noluiſſet, vel copiis multo majoribus exercituque firmiore per Faventinos in hoſtiles iri fines atque irrumpi potuiſſet. illa gravis, quod ſtatim Franciſcum a ſuſcepti cura muneris novis pollicitationibus Ludovicus avertit: miſſo enim ab Senatu Mantuam legato, cum ad profectionem ſuſcipiendam admoneretur, quod reliquæ copiæ jam conveniſſent; nolle ſe dixit proficiſci, propterea quod ab Ludovico meliores ei conditiones proponerentur: quibus quidem conditionibus ſe addixiſſet, quoniam Patres, quo ſe nomine appellarent, nihil dum deliberaviſſent. itaque libras auri nonnaginta ex centum, quas in urbe acceperat, Nicolao reſtituit: decem, quæ eſſent reliquæ, ſe dixit reipublicæ militibus adnumeraviſſe. Conditiones autem erant hujuſmodi. Maximilianus bello in Italia gerendo ſuis illum copiis imperatorem declaraverat: Ludovicus item ſuis: Florentini præfectum ipſorum loco. equitatus utriuſque muneris magnus ei numerus ab ſingulis attributus. itaque numi etiam eo nomine nihil, ſed a Ludovico tantum. Maximilianus enim ſuam modo unius auctoritatem in commune proponebat, pecuniæ nihil conferebat. Florentini propter belli diuturnitatem, quas afferrent, non habebant. Additum etiam conditionibus, ut ſi bellum in reipublicæ finibus geratur, quidquid agri, quidquid oppidorum in regum Mantuanorum ditione aliquando fuiſſet, quod nunc Veneti poſſideant, id omne Franciſco reſtitueretur. quibus intellectis rebus legatus a Senatu juſſus domum rediit. Neque multo poſt Joannes Fran-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 Franciſci frater ſe ad urbem contulit, velleque reipublicæ ſtipendium facere Patribus confirmavit. Patres eum miſſum fecerunt.

Verum enim vero cum antea de Franciſco reſtituendo Patres agerent, Senatus decrevit, uti is exercitus, qui Marata ſe receperat, Antonium Ordelafium in Fori Livii regnum induceret, expulſa Catherina, quæ Florentinis auxilia in rempublicam miſerat. Id cum propter municipum in fœminam impudicam & crudelem odium, tum pro Antonii factione poſſe ad exitum perduci Patres exiſtimaverunt: ſed proviſis ad eam oppugnationem iis rebus, quarum rerum excitus indigeret, nova occaſio Patribus oblata, Senatum a ſententia removit. Eſt in Apennino Metaurenſium proximum finibus caſtellum Sollianum, cujus caſtelli ager ad Florentinorum fines pertingit: id caſtellum Rambertus Malateſta obtinebat. Is igitur Rambertus ad Petrum Medicem veniens ei oſtendit, poſſe Venetos per fines ſuos in hoſtium, qui ſibi finitimi eſſent, agrum atque vicos penetrare nullo prohibente. facillimum eſſe docet, propterea quod nemo id cogitet, nemo vereatur, hoſtes eo ab latere imparatos adoriri, magnumque iis terrorem incutere, magnam perniciem inferre, antequam occurri ab eis poſſit. cupere ſe ſe in reipublicæ fidem recipi: non ſine reipublicæ uſu futurum demonſtrat, ſi recipiatur. Medices explorato ab eo itinere, reliquiſque rebus cognitis ad urbem celeriter venit, Patribuſque rem denunciat. Patres Rambertum in reipublicæ fidem recipiunt, ſtipe annua quinis auri libris ei conſtituta. Reverſo in caſtra Medice, reliquiſque rebus a legato ducibuſque conſtitutis, Livianus, cui quidem & item Carolo Urſino Virginii filio Senatus præfecturam equitum tradiderat, ad eam rem tentandam deligitur. Is itaque Livianus caſtris, quæ in Forolivienſi erant, magno ſilentio profectus cum equitibus levis armaturæ ducentis quinquaginta, militibus octingentis, per Ceſenæ agrum & Solliani fines noctu itinere confecto, ante lucem ad fanum Camaldulenſe, quod eſt in valle anguſta magnis

gnis montibus circundata, dum ſacerdotes nocturnas pre- 1498
ces facerent, pervenit: vocatiſque qui portas aperirent, eſſe ſe reipublicæ Florentinæ milites, qui ad imperatorem mitterentur; patefactis portis fano capto, &, quoniam arcis vicem turri præalta parietibuſque ſolidis præbebat, præſidio in eo collocato, ac refectis cibo potuque militibus, Bibienam oppidum eadem uſus celeritate contendit: præmiſſiſque paucis equitibus Leonis nomen antiqua eorum appellatione conclamantibus (ea eſt enim ſignificatio Florentinæ civitatis, quæ voce accipitur, & redditur) magiſtratum itemque arcis præfectum ad ſpeciem imperatoris juſſu ad ſe vocatos retinuit, oppidumque cepit: ſtatimque ad Marcellum, qui rem ei nunciarent, atque ut ocyſſime cum reliquo exercitu ſubſequi contenderet, hortarentur, miſit. Legatus Carolum Urſinum & Baliones, qui ad eum aliquando tandem venerant, auxilio ad Livianum juſſit præcurrere. Ille interim aliud ad caſtellum profectus, eo capto, Popium venit celebre municipium, & ſibi jam exemplo Bibienenſium cavens: quod quidem ad municipium, inſidiis cognitis, Florentini milites ducentos cum legato & ſtipendio miſerant: ſed eos Livianus ex itinere congreſſus fudit interfectis captiſque compluribus: parumque abfuit, quin legatus caperetur, ſtipendiumque interciperetur. Popio deinde per imperatorem Paulum militibus ſexcentis intromiſſis confirmato, Carolus Balioneſque adveniunt.

Guidus Ubaldus recenſo exercitu, in quo erat Hannibal Bentivolus a Senatu in reipublicæ militiam reparatim antea ſublectus, itineri ſe dedit. Livianus auxilio ſubmiſſo caſtella hoſtium quatuor, quorum in uno erant milites ducenti, Popio circunfuſa vi cepit. Venerat autem Popium cum militibus ducentis, etiam Populoniam obtinens. Guidus Ubaldus eo in itinere tardior, quam cogitaverat, fuit, propterea quod milites ad duo millia fingillatim fugientes eum reliquerant, Hannibale furtim, ut id facerent, per ſuos cohortante, ſub non dati in tempore ſtipendii querela. Ejus enim fugæ initium ab iis qui

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 qui cum illo venerant, factum, legatus poſtea quærendo reperit: tum illos ipſos, qui aufugerant, prope omnes ex Bononienſibus fuiſſe cognovit. quin etiam Hannibalis equites clam ſe quotidie caſtris atque turmis ſubtrahebant. Jamque Gaſpar Severinas cum equitibus a Ludovico miſſus ad ea loca pervenerat, Ranutiuſque una cum illo Martianus: cui, uti Venetis occurreret, Florentini mandaverant. etiam libræ auri centum Florentiam a Ludovico miſſæ, magno eis uſui ad celeritatem, cujus res magnopere indigebat, adhibendam fuerunt. Livianus aliud caſtellum cepit, vulnere in facie accepto, ac diripuit. Atque illis ipſis diebus (hyems autem jam advenerat) milites ter mille, qui Franciſco attribui debuerant, Ravennam ſunt, ut ad Marcellum contenderent, miſſi.

Piſarum oppugnatio.

Dum hæc ſic adminiſtrantur, Paulus ad Piſas caſtris poſitis verberare muros tormentis cœpit. Id cum parum propter murorum firmitudinem proceſſiſſet, crates in latitudinem quoquoverſus pedum denum, in altitudinem ſenum, inter ſe conjunctas noctu muris admovit, terraque injecta milites uti murum ſuffoderent tecti cratibus imperavit. Piſani autem, cum in muro conſiſtendi propter tela multitudinemque hoſtium poteſtas eſſet nulli, foſſam intra muros latam atque altam duxerunt, caſtelliſque munierunt. Paulus turrim oppidi muro conjunctam dejicit: ea dejecta per ruinas militibus introire juſſis, ubi foſſam eſſe objectam, & Piſanos in aggere circumjectos hoſtes operiri, ut in foſſa telis atque ignibus eos conficerent, & magnum irrumpentibus inſtare periculum cognovit, receptui cani juſſit: pauciſque poſt diebus in hoſtium captis ab ſe caſtellis præſidio relicto, caſtra movit, ut in Cluſentinos ſaltus contra Medices Livianumque contenderet. Piſanis obſidione liberatis, Græci equites portis emiſſi caſtellum Calcem, dejecto Pauli præſidio, expugnatum diripuerunt. Claſſis præfectus, qui Pauli obſidionem una cum reliquis ſuſtinuerat, cum claſſiariis egreſſus, eoſdem Græcos equites ſecum ducens caſtellum ad Pontem ſtagni ei appoſitum itineri, quod Triturrita Piſas

ſas ducit, magna ipſum opportunitate tormentis concuſſum ad deditionem compulit, agrumque Piſanum eo ab latere ſatis patentem ad ſementes faciendas civitati coloniſque reſtituit. Neque multo poſt iidem Græci equites, quod intellexerant in Populoniæ fines Cluſentinos homines, ut primum exercitus reipublicæ ad ea loca venerit, ſua, quæ potuerant, armenta compuliſſe, eo celeriter profecti ingentem inde prædam abduxerunt. deinde Volaterranum percurrentes agrum, præda onuſti Piſas redierunt. Paucis autem poſt diebus Tarſias una cum Valerio quæſtore & præfectis militum equitumque Piſis egreſſus, itinere in fines hoſtium medio fere inter Piſas Florentiamque ſpatio ad caſtellum Montopolim noctu confecto oppugnare portas cœpit. Eæ cum ab oppidanis, qui clamoribus interea exciti undique convenerant, portæ defenderentur, Tarſias ad aliam caſtelli partem, quæ quod ab eo latere nihil timebatur, propugnatoribus vacua tum quidem erat, milites tacite atque celeriter miſit. horum audaciſſimi atque leviſſimi murum per haſtas ſublevati conſcenderunt, alioſque ut conſcenderent adjuverunt. intromiſſi portas aperuerunt: ita oppidum captum ac direptum eſt, nuptiarum apparatu, quas erant illo die oppidani celebraturi, prædæ militum atque direptui addito.

Ubaldus cum ad fanum Camaldulenſe perveniſſet, quod quidem fanum ejecto Liviani præſidio ejus regionis homines recuperaverant, prælio aggreſſus portas irrumpere non potuit: itaque diſcedens, Popiumque verſus ducens, Græcos equites, ut præcurrerent, dimiſit. Ii milites hoſtium centum, qui molas frumentarias Popianorum muris propugnaculiſque communitas tormentis circum diſpoſitis cuſtodiebant, aquula trajecta in fugam verterunt, quorum major pars tum cæſa, tum capta, tormentaque incenſis ædificiis abducta. Id Populoniam obtinens cum intellexiſſet, ne intercluderetur, Popio relicto diſceſſit. Ubaldus Bibienam profectus, tormenta quibus Popianorum muros dejiceret, a ſenatu miſſa expectare conſtituerat: ſed ea propter nives, quarum magna [illegible] itinera impedi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 peditiſſima reddiderat, adduci non potuerunt, exceptis levioribus minoribuſque aliquot, quæ tamen ipſa vix ægreque ſunt perducta. quibus cum nihilo ſecius Livianus caſtellum Orniam obſidens, cui caſtello milites erant ducenti præſidio, brevi ſpatio cepit. Eo digreſſus ad caſtellum Qualianum caſtra poſuit. oppidani caſu Ornienſium permoti ſe celeriter dediderunt. itaque duobus captis caſtellis, cum pluviæ continentes omnia itinera illuvie fœdaviſſent, Bibienam rediit. Tædet me ejus belli leviora conſectari: quis enim legat ſine faſtidio ſingula, præſertim ſi ad rerum exitus, ut plerunque fit, tantummodo properet? ſed mihi facile veniam omnes homines daturos puto, cum ſcierint illud me aſſequi hoc ſcribendi labore vel cum primis cupere, ne cui videar publice geſta meorum civium, quæ nihil habeant dignitatis, ſilentio diſſimulaviſſe.

Hoſtibus poſt hæc propter Pauli adventum ad ſe ſe (jam enim is in Cluſentinos fines venerat) magnopere confirmatis, in Veneto exercitu de ducendo bello ducibus diverſa ſentientibus, Senatus anni exitu decrevit, uti Ubaldus cum parte copiarum legatoque Bibienæ in hybernis ſe contineret, reliquam Livianus partem ad Averniam hybernorum cauſa deduceret. Is abeſt vicus a Bibiena ſeptem millia paſſuum, monti vaſtæ crepidinis impoſitus, Franciſci in deorum numerum recepti mora atque domicilio celeber. Tum ut militum duo millia in Ubaldi finibus conſcriberentur, ad eoſque mitterentur præſidii hybernorum cauſa, eodem Senatuſconſulto conſtitutum. Liviano etiam, propterea quod equites illius octoginta Orniæ præſidio relicti, ab hoſtibus furtim introductis capti fuerant, pecunia eſt amiſſis ſarciendis a Senatu dono tradita. Ante autem quam hæc ita fierent, Ramberti ſuaſu, qui diceret, ſi ſibi exercitus tribuatur, in Vallem ſtagni ſibi finitimam, quæ in Florentinis eſſet finibus, ſe irrupturum; qua capta priorem ad exercitum & commeatus ſupportari, & copiæ ſubmitti facile poſſent; Brixia equites cum præfectis ſeptem evocatos, Joannem Paulum Gradonicum cum Græcis, quibus præerat, equitibus,

Aternia vicus & mons.

bus, & militum non magno numero Ravenna profectum 1498
Senatus eo mittendos cenſuit. Ii Ramberto duce uſi, vallemque ingreſſi, caſtellis hoſtium quatuor captis, aliud caſtellum, quod erat communitius, tormentis levioribus adorti, Cyriacum præfectum virum fortem cum militibus ſexcentis egreſſum prælio commiſſo in fugam conjecerunt: Turcam centurionem cum pleriſque occiderunt, caſtellumque ceperunt. neque tamen is exercitus propter nives impeditaque itinera ulli præterea uſui reipublicæ fuit. Gradonicus etiam adverſa valetudine implicitus, Ravennam, deinde ad urbem rediit.

Anno autem inſequente vix inito, ex Caroli Urſini tur- 1499
ma complures, qui nondum in hyberna convenerant, ſunt cum caſtello, in quo erant, capti: captus etiam a Gaſpare Severinate legati ſcriba Marcelli, ex Ubaldi finibus cum ſtipendio & commeatu & militibus quatercentis, Græcis equitibus ducentis, Bibienam ſe ſe conferens; in quos quidem Severinas difficillimis in jugis de ſuperiore loco impetum fecerat. pauloque poſt cum equites circiter quingenti a Guido Ubaldo in ejus fines propter commeatus inopiam miſſi per anguſta loca iter facerent, ab hoſtibus intercepti ſunt, magnumque iis detrimentum eſt illatum: quorum plerique fuga capta itinerum ignoratione in manus hoſtium montanorum hominum pervenerunt. His acceptis incommodis, Senatus Nicolaum Urſinum paulo ante ab ſe ſtipendio auctum, cum equitibus gravioris levioriſque armaturæ octingentis, militibus quot contrahi & conſcribi poſſent, commeatu, quem oporteat, Bibienam ſubmittendum Ubaldi auxilio cenſuit. Ejus quoque uxor per ſe ſe & milites, & commeatus, quos ad virum mitteret, comparavit: ſed ipſa valetudine tentatus, ab hoſtium ducibus cum peteret, uti medico ad ſe venienti iter darent, nihil impetravit: ſibi autem paulo poſt morbo ingraveſcente domum redire cupienti, uti darent, impetravit: itaque cum paucis ſuum in regnum diſceſſit.

Ad hæc intentis Patribus cum nunciis ſuet crebriori- 1498
bus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 bus allatum, a Turcarum rege classem non spernendam comparari, Andream Zancanium Senatus legatum ad illum misit. Causa mittendi fuit, quod timebat Bajasetem in rempublicam cum aliis de causis incensum, tum propterea quod Nicolaus Pisaurus classis legatus navem onerariam unius ex regis ducibus, quos illi *Bassas* appellant, æstatis exitu in Aegeo depressserat, bellum facere Venetis instituisse. Ea res autem sic acciderat. Dum Nicolaus apud Mitylenem cum triremibus quatuor iter faceret, & navi onerariæ bellicæ militibus, tormentis, reliquisque rebus omnibus ad pugnandum idoneis instructissimæ amphorarum plus trecentarum, quam vento ferri viderat, appropinquavisset: vela uti demitterent, vectores admonuit. illi autem non vela modo non demiserunt, sed pilis ferreis tormentis emissis Nicolai præfectum interfecerunt, ac nonnullos ex remigibus sagittis celeriter conjectis vulneraverunt. Quod ubi fieri Nicolaus vidit, arma suis uti caperent imperavit, atque in navem Thraciam impetu facto, eam expugnavit, cumque omnibus qui pugnæ superfuerant, depressit. Erant ea in navi homines circiter ducenti quinquaginta. Zancanius Byzantium profectus magnum quidem classis apparatum institutum cognovit: a rege tamen nullo ostenso in rempublicam offensi animi indicio, liberaliter est acceptus. qui cum reipublicæ bellum facere decrevisset, existimans, propterea quod ei Ludovicus receperat eodem se tempore bellum in Gallia reipublicæ illaturum, hostibus eo ab latere occupatis omnia sibi prospere atque feliciter cessura: ut magis Venetos eluderet, fœdus quidem cum Zancanio renovavit: sed fœderis capita latinis scripta literis ei dedit. Est autem in eorum legibus, ut quæ suæ linguæ verbis scripta non sunt, ea præstari non sit necesse. Erat tum Byzantii civis Venetus Andreas Grittus, qui mercaturam ea in urbe annos complures exercuerat; vir faciei elegantia, corporisque pulchritudine, qua inter Venetos suæ tempestatis omnes facile præstitit, & morum gravitate ac liberalitate insignis, eique nationi apprime atque

Turcarum regis apparatus in Venetos.

atque magnopere charus. is, quod omnia Turcarum instituta callebat, ea de re Zancanium admonuit, atque uti fœdus verbis Thraciis conscriptum haberet, pro sua in patriam charitate illum est hortatus. Zancanius re tentata cum nihil efficere potuisset, cum fœdere latinis scripto literis ad urbem rediit: neve nihil videretur attulisse, id quod ab Gritto ea de re Byzantii accepisset, Senatui reticuit. 1498

Ea fœderis tam propensa renovatio magis etiam suspensos Patres fecerat, existimantes ea de causa regem sua consilia suppressisse, ut eos imparatos atque inermes adoriretur, præsertim quod missæ ad illum a Ludovico atque a Florentinis communi consensu paulo ante legationes multa de Senatu questæ, nihil eorum quæ regis animum in rempublicam inflammare possent, prætermiserunt. Quamobrem ut muniti ad omnes casus essent, Senatus decrevit, uti naves onerariæ bellicæ tres confestim ornarentur, eisque præfectus legeretur: lectusque est Aloisius Marcellus: uti navis item onereria magna, quam Sebastianus Marcellus ædificari sibi curaverat, quæque Naupliæ tunc erat, armaretur, classique adjungeretur: literæque ad illum publice datæ, ut Corcyram navem adduceret: uti naves triremes triginta deducerentur: quarum navium decem ipsa in urbe, totidem Cretæ, sex in Apulia, quatuor in Illyrico magistratus Veneti remigibus atque militibus instruerent. pauloque post decem aliæ triginta prioribus sunt additæ. At Aloisio rege Galliæ salutato, uti supra dictum est, legati sunt ad eum ire jussi tres gratulatum reipublicæ nomine, Antonius Lauredanus, Nicolaus Michaeles, Hjeronymus Georgius. Missæ deinde ab Senatu regi dono aquilæ in Creta insula captæ sexaginta ex earum genere, quibus in aucupio reges uti consueverunt: pellesque pretiosiores canis ab summo inter nigrum colorem conspersæ ducentæ: quas ille munera vultu lætissimo accepit, egitque de iis Senatui gratias apud legatos, cum jam ii ad illum pervenissent. Sed ea dum ad regem legatio proficiscitur, Triultius, qui se

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 Astæ cum equitatu continuerat, Bretolam oppidum, quod quidem illis in finibus fratres duo in Ludovici fidem recepti obtinebant, capit. Ludovicus per legatum ea de re certiores Patres facit, eorumque consilium exquirit. Patres molesta sibi esse, quæ intellexissent, legato responderunt: *Belli enim initium se se factum videre: ita se tamen Ludovici prudentia confidere, ut omnibus illum incommodis remedia celeriter adhibiturum esse non dubitent, præsertim cum is tantum auri possideat, quantum paulo ante ipsemet ejus legatus exploratum sibi esse palam dixerit*. Legatis in Galliam profectis rex proposuit, constitutum sibi esse, Mediolani regnum, quod sibi hæreditatis jure deberetur, ab Ludovico armis repetere: cupere se rempublicam ejus belli sociam habere. Illi se ad Senatum ea de re literas daturos dixerunt, eique, quod Senatus jussisset, renunciaturos. Illis autem in literis legati adscripserunt, nihil prætermittere Ludovicum, per amicos regios orando, pollicendo, ut se in Regis amicitiam insinuet. Patres, re complures dies agitata, tametsi viderent periculosum esse, maximum amplissimumque regem sibi finitimum in Italiam adducere, tamen, propterea quod existimabant neminem eo in regno perniciosiorem civitati esse posse, quam is erat, quem permultos annos habuissent; verebanturque, si regis amicitiam repudiarent, ne se is cum Ludovico in reipublicæ fraudem conjungeret, quam certe societatem Ludovicus nullis non conditionibus esset accepturus, ut bellum ab se averteret: ei rei animum adhibuerunt. Accedebat ad superiores causas etiam hæc, quod nonnihil recentes ac perpetuæ in rempublicam Ludovici contumeliæ, oblata prope a Diis immortalibus facultate, civium animos ad vindictam expetendam incitabant. nonnullos etiam augendi fines imperii cupiditas, justo præsertim nomine, justisque de causis, incendebat: ut sunt plerumque homines natura proclinati ad ea propaganda, quæ possident. Itaque literas ad legatos dant: regi respondeant, secum eo consensuros, bellumque una suscepturos atque gesturos, modo is ipso-

Fœdus cum Ludovico XII. Galliæ rege, sancitum.

ipsorum ditionem tutam ab se atque tectam velit esse. 1498
Ab legatis quærenti regi quanam id ratione vellent fieri, quodve septum suis finibus aut propugnaculum exposcerent: responderunt, si Cremonam oppidum reipublicæ concesserit, cum eo agro finibusque omnibus, qui citra flumen Abduam sint, tutos se fore existimaturos. Tum rex concessurum quidem se reipublicæ eam, quam peterent ex Ludovici regno partem, recepit; quam quidem sciret esse totius regni optimam atque opulentissimam, Lecco tantummodo excepto, de quo nulli cedere statuerat: (id est municipium in læva Abduæ e lacu Lario exeuntis ripa) petere autem & ipsum pro iis rebus ab republica equites in id bellum septies mille, milites sex mille, auri libras mille: ea sibi datum iri si polliceantur, fœdus se cum illis initurum. His intellectis regis postulatis, Senatus legatis rescripsit, se se milites equitesque, quot rex peteret, in commune adducturos: de pecunia nihil polliceri; cum propterea quod tribus gerendis nullo interjecto temporis spatio bellis, Gallico, Neapolitano, Pisano, grandem pecuniam insumpsissent: tum etiam quia in id, quod ab Turcarum rege in præsentia bellum reipublicæ immineat; cujus rei fama certioribus in dies nunciis jam percrebruerat; ad classem comparandam satis superque civitas muneris atque oneris esset habitura. Ea rex cum intellexisset, in alium diem re dilata, ubi ea dies venit, pecuniam nisi dent, nihil se de fœdere acturum legatis renunciavit. Id ea causa fiebat, quod erant nonnulli magna apud illum Galli homines auctoritate, qui Ludovici rebus favebant, ii cum palam regi obsistere, ne bellum susciperet, non auderent, existimarent autem Venetos ad conditionem dandæ regi pecuniæ non descensuros, in eo illum ut perseveraret, hortabantur. nonnulli etiam fingi a Venetis, quæ de rege Thracio nunciarent, dictitabant. Accidit autem, ut dum hæc agitarentur, literæ ab Rhodiorum magistratu ad regem venerint, quibus rex literis certior fiebat, Bajasetem classem ingentem comparare, atque in ea cura dies

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1498 atque noctes verſari, ut quam poſſet maximam atque ornatiſſimam educeret. Ea intellecta re, Venetos nihil fin-
1499 gere ubi rex vidit, quinto idus februarias nulla pecuniæ mentione habita, iis quibus dictum eſt legibus fœdus in omne tempus cum legatis percuſſit; ea etiam conditione fœderi addita, ut ſi quo rex tempore in Italiam tranſmitteret, bello Thracio reſpublica impediretur, ad auxilia ei danda non teneretur. Icto fœdere (quæ quidem res longe alium, ac ſibi Ludovicus perſuaſerat, exitum habuit: is enim, cum quis ei ſuorum, conſenſuros cum rege Galliæ Venetos contra illum diceret, *Bono es animo*, inquiebat, *nunquam id Senatus decernet*: *nunquam Veneti majorem ſe finitimum ſibi regem ſtatuent eſſe*: *itaque in rempublicam quos volo*, *meo jure ludos facio*, *ejus rei non dubius*, *quin me malit*, *ita ut ſum*, *quam regem Galliæ mei regni dominum*) ſed fœdere concelebrato, Ludovicus ſæpe ſe ipſe accuſans, qui nunquam id in animum potuerit inducere, Joannem Franciſcum Severinatem, quem quidem ad Piſanum bellum bona cum manu Florentinorum auxilio mittere ſtatuerat, retinuit, ut Aſtam verſus, ubi jam Triultium copias cogere nunciabatur, eum mitteret.

Interea cum in fines Guidi Ubaldi Nicolaus cum eo, de quo diximus, exercitu perveniſſet, neque propter nives difficiliaque itinera, & hoſtium copias per anguſtos montium aditus & caſtella diſtributas, Bibienam ſe conferre ſatis poſſe tuto confideret, civitas vero defeſſa ſtipendiis in id bellum erogandis ſurdior ad tributi vocem fieret, præſertim bello Gallico alia ſtipendia, alias impenſas jam depoſcente, Senatus Herculi, qui ſe reipublicæ pridem obtulerat, ſi vellet, ſe cum Florentinis curaturum uti bellum pro ejus dignitate componeretur, aures tandem præbuit, permiſitque ut ea de re agere inciperet. Ille primo per Bernardum Bembum patrem meum, qui Ferrariæ prodominum gerebat, deinde per ſuos, quos in urbe interpretes habebat ad fallendum idoneos, ſat bonis conditionibus propoſitis effecit, ut Senatus, exiſtimans illum de conditionibus fidem ſervaturum, cum de iis ipſis Pa-

Patres omnibus in ſermonibus & collocutionibus antea 1499
egiſſent, atque inter ipſos Herculemque conveniſſet, poteſtatem ei faceret de Piſano bello, quemadmodum ſibi videretur, ita ſtatuendi: poteſtate ab utriſque tradita, Hercules cum legatione, quam ad illum Florentini miſerant, cumque Ludovici legato ad urbem venit. In urbe cum eſſet, tres ei cives Principis collegium attribuit, qui ei præſto eſſent, ſi quid petere aut cognoſcere vellet, atque ad Principem & Patres renunciarent. Scripto autem, nequedum prolato judicio, cum ſe id Hercules Patribus oſtenſurum eſſe diceret, ut ſi quid aboleri aut commutari vellent, liceret: Georgius Cornelius unus ex Principis collegio Patres eſt hortatus, afferri ad ſe libellos juberent, atque inſpicerent, ne ignaris ipſis, quid Hercules judicaturus eſſet, ſententia proferretur. Sed is reprehenſus a Patribus, qui dicerent, non eſſe æquum data Herculi per Senatum poteſtate ſuo arbitrio judicandi, nunc ei leges velle imponere, ſi quæ ſcripſerit, ſint improbaturi: ſi non ſint, fruſtra inſpici quæ non improbentur; conticuit. Hercules octavo iduum aprilium ſententiam tulit; ut remiſſis atque abolitis, quæcunque in Florentinos quoquo modo Piſani detrimenta eo bello intuliſſent, Piſæ reſtituerentur: ut reipublicæ auri libras mille octingentas Florentini darent annis duodecim expenſi nomine: multis capitibus ad ſpeciem Piſanæ rei meliorem in ſtatum atque formam redigendæ, quam antea fuiſſet, ſummæ judicii additis: re autem, quibus ad priſtinam ſervitutis conditionem temporis momento Piſæ reciderent. Biduo poſt Hercules ſalutatis Patribus, quorum nemo fuit qui eum non invitus & non moeſto vultu viderit, vel etiam qui non de eo magnopere ſit queſtus, quod fidem, quam reipublicæ dederat, tam in præſertim de rebus, non præſtitiſſet, media per urbem verbis contumacibus & ſibilis a popolo exploſus domum rediit. Senatus Ferdinandum Herculis filium, & Bentivolos patrem & filium, & Baliones, & Marcum Martinengium, quo exercitus præfecto Piſis uſus fuerat, qui ſe omnes neque

Piſæ Florentinis reſtituuntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 neque ſtrenue nec amanter eo bello geſſerant, miſſos fecit. Guidum Ubaldum autem, qui valetudine curata ſe ad Patres ſalutandos inviſendoſque contulerat, præfectura equitum & ſtipendio confirmato, in reipublicæ fidem recepit.

Aloiſius Galliæ rex Ludovico bellum illaturus, ex eorum numero quos conſulere ſingulis de rebus conſueverat, legatos Venetos facit. Ipſe legationem ad Senatum mittit. Ad bellum equites ejus generis mille octingentos, quorum ſinguli more Gallico equites ſex ſecum ducerent, militum numerum decem millium habere inſtituit. Triultium ſuis exercitibus in Italia præficit. Veneti ubi fœdus cum rege ictum ab legatis intellexerunt, ſacris in æde Marcia ſolenni ritu factis, foro apparatiſſimo verba fœderis in vulgus pronunciari pro ſuggeſtu voluerunt. Ea dum pronunciantur, ventus coortus vexillum reipublicæ templi turriculis implicuit, vexilli parte abſciſſa. quod quidem poſtea ex eventu rerum portenti loco civitas habuit. Neque multo poſt alios regi legatos Marcum Georgium, Benedictum Triviſanum Senatus creavit, prioribuſque legatis, cum hi ad regem perveniſſent, domum eſt reditionis facultas data. Rex æſtate media ſuis in Italiam copiis præmiſſis Lugdunum venit. Senatus exercitu & ipſe comparato Melchionem Triviſanum, Marcum Antonium Maurocenum legatos exercitui ſublegit. alteroque ex duobus legatis, quos ad urbem rex miſerat, una cum illis ad exercitum reipublicæ profecturo, ut rebus omnibus intereſſet, equus pro ejus dignitate, ac tentorium, & ferrea corporis tegumenta cum auri libris duabus a Senatu dono data. Inter hæc Federicus rex Neapolis per ſuum legatum Patribus ſignificavit, velle ſe equites quingentos Ludovici auxilio Mediolanum mittere. Patres, neque eum illa copia Ludovico profuturum, cui longe firmioribus præſidiis ad ſalutem opus eſſet, & ſe ea re inferri ſibi magnam ab eo injuriam exiſtimaturos, regi reſcribere legatum juſſerunt, nullos plane homines majora in Ludovicum beneficia contuliſ-

tuliſſe, quam ſe ſe: pro quibus ille rebus gratiam una 1499
tantum ſemper re, maleficiis contumeliiſque alia ſuper aliam inferendis, reipublicæ retuliſſet. veniſſe nunc tempus, ut Deos iratos habeat, quos fefellit: rectius itaque eum facturum, ſi quieverit. Pauloque poſt Ludovicus ipſe, ſi quo pacto Venetos placare poſſet, legatum ad Senatum miſit: ſed is cum Ferrariam appuliſſet, Hercules ſuum hominem ad Patres cum Ludovici literis præmiſit, petiitque, ut Ludovici legato ad eos veniendi poteſtatem facerent. In Ludovici literis erat ſcriptum, ſe magnis utilibuſque de rebus ſuo & Aſcanii fratris ſui nomine legatum ad eos mittere: petere a Patribus ut reciperetur, mandataque cognoſcerent. Patres lectis literis Herculis internuncio juſſerunt, uti ſtatim urbe diſcederet: literaſque Ludovici legato regio legendas dederunt.

Triultius, ad quem quidem regis duces duo cum equitum duobus millibus acceſſerant, in Ludovici regnum ingreſſus municipia complura partim vi cepit, partim ad deditionem compulit. deinde Novium profectus, quod quidem municipium Ludovicus ſeptingentis militibus intromiſſis communierat, tormentis ad murum poſitis, atque uno tempore omnium ferreis emiſſis pilis oppidanos ita terruit, ut confeſtim ſe dederent. Milites in arcem recepti, cum ſe ad propugnationem comparaviſſent, tantus Gallorum militum impetus, & tormentorum reliquarumque rerum apparatus tam ſubitus tamque ardens fuit, ut quinque horarum ſpatio arcem expugnaverint, militeſque Ludovici omnes ad unum interfecerint. quo ſucceſſu ad celeritatem uſus Triultius, paucis diebus caſtella numero ad viginti, Tortonamque oppidum cepit. Iis rebus cognitis Antonius Maria Severinas Galeatii frater, qui una cum illo Alexandriæ præerat, Ticinum redit, neque ab oppidanis eſt receptus. Veneti ubi a Triultio belli factum initium cognoverunt, exercitu equitum amplius ſeptem millium, militum ſupra ſex millium coacto, Ollioque flumine cum parte copiarum Liviano duce tranſmiſſo, plura uno die municipia per deditionem capiunt: reli-

Galli Mediolanenſem ducatum occupant.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 reliquaque ad priorem exercitus partem adjuncta parte, parvo temporis ſpatio vicis caſtelliſque quæ cis Abduam flumen ſunt, compluribus in deditionem acceptis, Caravagium, quod eſt ejus regionis caput, exercitum adducunt. Legati ad oppidanos miſerunt, ſi ſe oppugnari ſinerent, ſe ſe oppidum militibus tradituros. Ea nocte nullum eſt reſponſum datum. itaque ſtationibus militum ad oppidi foſſas diſpoſitis, legati ut muros mane quaterent ſe comparabant. Oppidani autem prima luce ad legatos venerunt, ſeque eis dediderunt, arce excepta, quæ ab ipſis non tenebatur: eamque fuiſſe cauſam dixerunt, cur non ſe legatis veſtigio permiſiſſent, quod arcem quoque tradere voluiſſent. Legatis introductis, miſſiſque ad præfectum arcis internunciis, poſtridie ejus diei arx deditur, legato Ludovici, qui in ea erat, militibuſque omnibus abeundi poteſtate impetrata, oppidanis poſtulantibus. Hoc idem Sonzinates fecerunt. Sed arcis præfectus miſſo ad legatos internuncio, velle ſe arcem tradere ſponte pollicitus, quæ quidem eſſet tormentis rebuſque omnibus munitiſſima, ab eis petiit, ut ſibi civitatem & jus comitiorum darent. Illi ejus rei facultatem ſe habere nullam cum reſpondiſſent, literaſque ad Senatum daturos recepiſſent: præfectus ſe in eo reipublicæ fidei velle permittere, ne qua propterea mora legatis fieret, liberaliter pronuncians, arcem tradidit.

Veneti Caravagium occupant.

Et Sonzinum.

Iiſdem diebus parte altera Triultio Alexandriam tormentis oppugnante, Galeatius Ludovici gener, qui oppidum defendebat, cum paucis clam noctu egreſſus Mediolanum abiit. qua intellecta re, complures ejus equites militeſque oppido aufugerunt: itaque mane Galli ab oppidanis introducti, oppidum capiunt. Placentini miſſis ad Triultium legatis, itemque Ticinenſes, ſe ſe ei dediderunt. Mediolani autem militibus Ludovici ſtipendium poſtulantibus, cum eos Ludovicus ad quæſtorem ſuum rejeciſſet, ille vero moram interponere ei rei vellet, milites multis illatis vulneribus quæſtorem prope interfecerunt. Civitatis principes veriti ne diriperentur, ſimul quod novis

vis rebus ſtudebant, agreſtes homines in oppidum adduxerunt, ſe ſeque munierunt. Quibus rebus cognitis, Ludovicus incitatæ plebis ſtudia, omniumque plane hominum in ſe invidiam pertimeſcens, liberos & concubinam (nam uxor mortem obierat) & Aſcanium Cardinalem fratrem, Federicumque Severinatem item Cardinalem Galeatii fratrem oppido eductos Comum miſit. Oppidani ubi Ludovicum ſuis rebus diffidere ipſum intellexerunt, concilio civitatis coacto quatuor ex principibus legerunt, qui rebus omnibus præeſſent. ii ad Ludovicum profecti velle ſe oppidum regi tradere dixerunt: ejus autem rei cauſam ipſum dediſſe, qui liberos & familiam emiſerit. Ludovicus intellecta civitatis voluntate, ſtipendio equitibus levis armaturæ quingentis dato, poſtridie ejus diei una cum Galeatio genero equitibuſque paulo plus ducentis diſceſſit, cum reliqui, ſtipe accepta, ejus imperio ſe ſubtraxiſſent: arcemque artificio atque immani mole murorum omnibuſque idoneis ad obſidionem ſuſtinendam rebus, tum militum duobus millibus apprime communitam, Bernardino Curtio, uni ex ſuis maxime intimis, cui ſupra cæteros confidebat, quemque ipſe a parvulo aluerat, commendavit: cum eam tradere Aſcanio fratri cuſtodiendam, qui ſe illi obtulerat, noluiſſet. Triultius quatriduo poſt a Mediolanenſibus magna hominum gratulatione in oppidum receptus eſt: reliqua oppida, quæ ſupererant, ei ſe confeſtim dediderunt.

1499

Venetis Cremonæ appropinquantibus, civitas legatos obviam miſit, qui tempus ad deditionem peterent. quo tempore miſſis ad Triultium interpretibus, ubi ſe principes civitatis in ea regni parte, quæ ad rempublicam ex fœdere ſpectabat, eſſe intellexerunt, omni cum ſenatu & ſacerdotibus atque pontifice ad portas progreſſi, legatos una cum ducibus accerſitos ſub tentoriolo ſacro in oppidum introduxerunt: poſtulanteſque ut tributis a Ludovico vel impoſitis novis, vel adauctis acerbiſſime veteribus, civitatem levarent, impetraverunt. Erat in oppido arx perquam munita, difficiliſque capitu, ſi qua alia: eam

Cremona Venetis deditur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 Petrus Antonius Battalia a Ludovico acceptam cuſtodiebat. Legati poſtridie ejus diei, qui arcem reipublicæ nomine ab illo peterent, miſerunt. a præfecto interpretibus ultro citroque miſſis, cum ei libras auri ducentas quinquaginta legati partim dediſſent, partim ſe daturos recepiſſent; civitatem & jus comitiorum ipſi patrique ejus poſteriſque eorum una cum domo urbana & fundo & villa in agro Veronenſi Senatus permiſſu donaviſſent: arce ſunt potiti. Eodemque fere die Triultius auri libris item ducenties quinquagies Curtio numeratis, conceſſaque Ludovici & Galeatii ſupellectili ſane regia, quæ in ea erat, Mediolani arcem, de qua diximus, tenuit. Ita is, cui fides ab ſe ſe data rata atque ſancta nunquam fuiſſet, neminem habuit ſuorum, qui ei fidem, quam dederat, cum id facere nullo negotio poſſet, tam duro ejus tempore pauculos modo dies præſtaret. Cremona in reipublicæ poteſtatem redacta, magiſtratus, qui jus dicerent Dominicus Triviſanus, Nicolaus Fuſcarenus eo miſſi: oratoreſque adlecti duo ad priores alios, qui adhuc in urbe præſtolabantur, Nicolaus Michaeles, Benedictus Juſtinianus: Mediolanumque una omnes ire juſſi ibi regem excepturi, eique reipublicæ nomine novo de regno gratulaturi. quos quidem poſtea rex, Mediolanum cum veniſſet, nam tum quidem eſſe in Alpibus dicebatur, perhonorifice tractavit, apud ſeque habuit. Eorum tres, quorum in numero erat Antonius Lauredanus, qui ex Gallia cum rege venerat, ſuo functi munere domum redierunt. Petierat ab legatis reipublicæ qui in Gallia tranſalpina fœdus cum rege percuſſerant, Ludovicus Lucemburgius regis propinquus, ut cum ad urbem rediiſſent, ſibi a Patribus civitatem & jus comitiorum impetrarent. itaque ejus poſtulatis intellectis, civitas utrunque munus Ludovico eſt elargita. Eadem liberalitas in Hannibalem Anguſciolum, qui arcem Sonzinatium reipublicæ legatis tradiderat, & Marſilium ejus fratrem collata: annuuſque inſuper proventus utrique dono additus. Victor quoque Martinengius Brixianus, unus ex principibus civitatis.

Joan-

Joanneſque Maria ejus frater, ob eorum egregia in rem- 1499
publicam officia, civitatem & jus comitiorum paucis poſt diebus ſunt adepti. Ludovicus in Rhetos profectus, ut exercitum cogeret ad Gallos repellendos (id enim fama vulgaverat) Helvetiis Lepontiiſque tentatis nihil efficere, quod ex uſu eſſet, potuit. Rex adhibitis legatis, qui Mediolani erant, omnibus, velle ſe Federico regi bellum inferre pronunciavit, ut regnum Neapolitanum, quod paulo antea Caroli fuiſſet, ſuam in poteſtatem redigeret. Cui ſtatim Hiſpaniæ regum legatus, *Ego vero*, inquit, *bellum tibi a meis regibus denuncio, ſi id aggredi ſtatueris. non enim ſunt paſſuri, ut propinquum ſuum regno quis ejiciat*. Rex *de eo ſe cogitaturum* reſpondit. Deinde duos cum menſes Mediolani fuiſſet; Genuenſium civitatem certis conditionibus in fidem recepiſſet; Triultium, cui etiam Vigevenum in Ticinenſi agro oppidum regiis ædibus atque ad venationes opportunum dono dederat, una cum altero ex ſuis ducibus novi regni rebus omnibus præfeciſſet: in ulteriorem Galliam rediit.



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN

IN LIBRUM QUINTUM C. AUGUSTINI CURIONIS EPITOME.

GOrvorum ac vulturum in Apulia prodigiosa pugna. Turcæ ac Venetorum ad bellum apparatus. Venetæ classis cum Turcica pugna. Naupactus a Turcis capitur. Antonio Grimano classis imperium abrogatur. Cæsaris Borgiæ in Flaminia bella. Ludovici Sfortiæ Mediolanum reditus. Ludovicus & Ascanius capiuntur. Turcici belli progressus. Altera Venetæ cum Turcica classium pugna. Methone a Turcis expugnatur. Pylos a Turcis capitur. Corone item & Aegina a Turcis capiuntur. Turcæ se Byzantium recipiunt. Aegina a Venetis recuperatur. Venetæ classis res adversus Turcas feliciter gestæ. Samothracia a Venetis capitur. Caroli Contareni supplicium. Hispaniæ reges classem Venetis auxilio mittunt. Pylos a Venetis recipitur. Cephallenes oppugnatur & capitur. Consalvo jus comitiorum datur. Præmia eorum, qui pro republica mortem oppetierant, propinquis data. Venetorum cum Uladislao Pannoniæ rege fœdus. Auxilia ab Alexandro Pontifice Venetis contra Turcas data, & sacræ pecuniæ summa. Alexiani se Venetis dedunt. Baptistæ Zeni Cardinalis obitus. Pylos iterum a Thracio rege capitur. Megara a Venetis deletur. Venetorum & Turcarum varia fortuna. Augustini Barbadici Ducis obitus. Dyrrhachium a Turcis capitur.



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE

LIBER V.

DUm hæc in Gallia citeriore geruntur, ad Bajasetis novos motus, qui exercitum & classem magno studio comparabat, Antonio Grimano præfecto classis declarato, uti profectionem maturaret, Patres jusserunt. Is antequam conscenderet, propterea quod ab civibus tot superiorum defessis continentium bellorum laboribus lente ac morose tributa exigebantur, libras auri octoginta in remigum stipendia reipublicæ mutuo dedit: alteras octoginta secum se laturum est pollicitus, quibus Corcyræ reliquisque in locis ad classem constituendam uteretur. Constat illis diebus in Apulia corvos vulturesque tanta ex aere vi tantisque agminibus inter se conflixisse, ut carri duodecim eorum cadaveribus explerentur. Corcyrenses cum viderent in magnis parandæ classis difficultatibus

1499 *Bellum Turcicum in Bajazetem.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 tibus propter temporis anguſtias rempublicam verſari, quod Bajaſetis claſſis vela jam facere dicebatur, polliciti ſunt, ſi eis frumentum & tormenta ſubminiſtrentur, ſe ſe gripos ſexaginta ſuis hominibus ſuaque pecunia ornaturos, quibus Antonius eo bello uti poſſet. quod quidem Corcyrenſium auxilium opportune oblatum Senatus libentiſſime accipiens, numum aureum in ſingulos eorum qui conſcenderent, ad ea quæ petierant Corcyrenſes, etiam addidit. Jamque ab Hiadertinorum magiſtratu literæ ad Senatum datæ certiores Patres fecerunt, Turcas equites ad duo millia incurſiones in eorum fines feciſſe, magnumque agreſtium hominum numerum abegiſſe; neque poſtea diſceſſiſſe, ſed ibidem conſediſſe. quæ res omnem dubitationem expulit, quo eſſet claſſe rex irrupturus, cum in fines reipublicæ terreſtres copias induxiſſet. nam eum nonnulli Rhodiis bellum eſſe illaturum etiam nunc arbitrabantur. Lecti itaque legati duo, Franciſcus Ciconia, qui in Aetolia & Achaja reipublicæ oppidis præeſſet: Andreas Lauredanus, qui Corcyræ: tum Andreas Zancanius item legatus cum præſidio in Carnos miſſus, cum Patres eo etiam ab latere Turcas impetum facturos comperiſſent. Latum etiam, ut biremes complures ornarentur, quæ maris Hadriani præſidio eſſent contra biremes Turcarum, quas Eloi fluminis oſtio Aulonem deductas Senatus intellexerat: eiſque biremibus Auguſtinus Maripetrus præfectus datus cum trireme una, quam ipſe conſcenderet. Ob eas res atque bellum, quod quidem fore omnium, quæ civitas cum Turcis unquam geſſiſſet, maximum & formidoloſiſſimum videbatur, aucta per Senatum urbis vectigalia ſunt parte ex tertia, vini, panis, carnis portoriis tantummodo exceptis: atque uti magiſtratus omnes urbani provincialeſque mediam ſtipendiorum partem unius anni reipublicæ remitterent, lex lata: cautum tamen, ne quadragintaviralia judicia ea lege tenerentur. Lecti etiam viri, qui cenſum civibus omnibus pro cujuſque opibus decernerent, ea conditione, ut is quem decreviſſent, reipublicæ a quoque cive cenſus donaretur;

Venetorum in Turcas apparatus.

retur; ſi auri ſemunciam non excederet: ſupra id mutuo 1499
erogaretur: neque tamen auri libras tres ullius civis cenſus poſſet excedere. Simul, quod illis ipſis diebus terreſtres etiam equitatus & peditatus copias ex Gallorum regis fœdere Senatus contra Ludovicum cogere, atque in Galliam mittere tenebatur, pecuniaque erat uno tempore in claſſem atque in exercitum ſeparatim ſubminiſtranda: lex eſt lata, ut quæ civitates ſub reipublicæ imperio in continenti eſſent, iis literæ darentur, vellent pro ſuo in rempublicam ſtudio tam difficili ejus tempore ſubſidii nomine pecuniam publice ad urbem mittere, ſua cuique civitati dicta & conſtituta ſumma, Patavinis auri libris centum, Vicetinis octoginta, Veronenſibus totidem, Brixianis centum viginti, Bergomatibus quinquagintaquinque, Tauriſanis quinquaginta, Cremenſibus viginti, cæteriſque item infra hæc: quæ quidem civitates ut in rebus tam urgentibus lubentes atque alacriter ſuam quæque partem in ærarium contulerunt. Alexander etiam Pontifex Maximus omnium proventuum, quibus ſacerdotes in imperio reipublicæ fruerentur, partem plus tertiam in id bellum Senatui conceſſit, Cardinalium ſacerdotiis exceptis.

Iis adminiſtratis rebus, æſtatis parte jam præterita Bajaſetis claſſis navium omnis generis circiter ducentarum ſeptuaginta, quo in numero erant triremes ſeptuaginta biremes quadraginta, naves duæ onerariæ immani magnitudine, freto egreſſa, Eubœamque inſulam prætervecta, ad reipublicæ in Achaja littora ſe convertit: ex exercitus maximis inſtructus copiis, cui præerat rex ipſe, terreſtri itinere eodem proficiſcitur: cum rex, antequam Theſſalonica diſcederet, cives Venetos, qui Byzantii commorabantur, in vincula conjici mandaviſſet: in quibus erat Andreas Grittus, de quo ſupra dictum eſt, is, quod ad magiſtratum, qui erat Naupacti, charitate patriæ juvenilem animum ſtimulante literas notis conſcriptas omnibus de rebus deque regiis conſiliis dederat, duriore conditione quam reliqui omnes in cuſtodia fuit: parumque abfuit, quin interficeretur. Antonius magna diligentia omnibus

Turcarum claſſis.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 bus ex reipublicæ maritimis municipiis atque insulis classe celeriter coacta pulcherrimeque instructa, quæ quidem erat triremium quadraginta sex, longarum navium ex iis quæ ad mercaturam proficiscuntur, decem septem, navium onerariarum numero ad quadraginta, biremium & reliquarum item quadraginta, Methone ex anchoris, quid Turcæ facerent, circunspiciebat. pauloque post e portu apud Acritam egressos appropinquare eos intelligens ad Sphagiam insulam, quæ contra Methonem est, vela cum omnibus navibus facit. Venetias cum esset nunciatum, classem Thraciam ad ea reipublicæ littora processisse, quibus in littoribus & portubus esset Veneta, neque esse dubium quin sint congressuræ, supplicatio est a Senatu decreta: tum in sacrarum virginum & sacerdotium collegia farinæ triticeæ sextaria trecenta dono data: atque auri libræ quinque remigibus senectute aut valetudine affectis, qui aliquando stipendia in classibus reipublicæ fecissent, per urbem distributæ. Antonius, constituto qua ex parte hostes, quotque cum triremibus quisque legatorum aggrederetur, quemque locum præfecti navium onerariarum majorumque longarum caperent; quot naves post reliquas, ut subsidio laborantibus essent, se continerent: media ipse in acie, quatuor circum se triremes ducens, provectusque paululum in mare, cum naves Thraciæ non longe ab eo iter facerent, possetque illas secundo vento aggredi, prælium tamen distulit. At Aloisius Marcellus navium onerariarum præfectus, ut ei erat imperatum, pauliſper se ad classem hostium convertit: qua re animadversa, illi statim alia insulæ parte se in portum, qui Longus appellatur, receperunt. Constat autem illis diebus ita eos reipublicæ classis nomen perhorruisse, ut multi se suis cum navibus littori applicuerint, quo facilius, si classes congrederentur, terra fugam caperent. Antonius Methonem rediit: idque cum bis terque postea paucorum dierum spatio accidisset, ut & Turcæ portu egressi conspecta classe Veneta in eundem portum redierint, aut in proximum se intulerint: & Antonius, eductis navibus ut confligeret, visis

Et Venetorum.

fis hostibus, cum ei visum non fuisset congredi, eos redire aut progredi sine impedimento permiserit: Turcæ audentiores facti, quod existimarent Antonium metu perculsum ea facere, pridie idus sextiles se, ut iter facerent, explicabant. Erant autem non longe a Methone, littori, quam mari aperto, propiores. Antonius classe educta, quod superioribus fecerat diebus, ut quemadmodum ab initio communi legatorum & præfectorum omnium consilio constituerat, in eos impetum faceret, se comparabat. Atque eo ipso tempore Andreas Lauredanus Corcyræ magistratus advenit, gripos undecim, & naves onerarias quatuor, in quibus erant milites plus mille, secum afferens. Is ad Antonium recta profectus, venisse se ad rempublicam auxilio juvandam proponit: petit, ut quid se facere velit, imperet. Erat in Andrea magnus animus, magna virtus, plurima belli & rerum maritimarum experientia: itaque illo viso universa classis clarum lætitiæ signum dedit, salutatusque est plausu vocibusque militaribus mirandum in modum. Id an ægre tulerit Antonius, venisse hominem, qui, si quid recte sit administratum, favore vulgi atque benivolentia ejus rei omnem sibi laudem præripiat, explorati nihil habeo: multi quidem certe crediderunt, & testatum reliquerunt. Sed illi navem onerariam ex duabus magnis reipublicæ navibus, quas habebat, uti conscenderet, eique imperaret, permisit. 1499

Andreas cymba ad navem statim vectus (neque enim temporis exiguitas longiorem moram dabat) in eam se se intulit. Altera in navi magna reipublicæ erat Albanus Armerius præfectus. Is, ubi est imperatum ut in hostes impetus fieret, quod sciebat de concilii sententia datum sibi negotium ab Antonio, ut navem Thraciam alterutram ex duabus, de quibus supra dictum est, adoriretur, ad eam ex illis, quæ quidem erat validior, contendit. Lauredanus sua cum navi ad navem hostium alteram approperat. Sed ea fuga comparata in mare siniſtrorsum se proripuit. Tum Lauredanus suam & ipse navem in ma-

Venetæ & Turcicæ classis pugna.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 majorem hoſtium navem convertit: quam cum eſſent ambo conſecuti, injectis manibus ferreis eam religant. Erant in nave Thracia milites mille, qui ſe cominus acriter fortiterque defendebant. Id dum fit, ignis in navem hoſtium jactus puppim ſuccendit: qui extingui cum non poſſet, neque noſtris navibus explicandi ſe ab illa facultas daretur, vento latus naves Venetas comprehendit: ita tres earum claſſium maximæ inſtructiſſimæque naves conflagraverunt. Sed fuit quidem eorum, qui in navi Thracia erant, longe caſus atque ſors melior: propterea quod Turcæ reliqui ubi ſuam comburi navem viderunt, biremes naviculaſque aliquot eo celeriter miſerunt: eæ biremes atque naviculæ, qui ſe in mare projecerant milites, quod neceſſe erat fieri, eis auxilio fuerunt, omneſque ſuſtulerunt. Noſtri homines, quibus in tempore ſubſidium adeſſe non potuit, cæſi ab iis, qui ſuis venerant auxilio, omnes interierunt, præter paucos ex utraque navi, quos Thomas Duodus, qui in oneraria erat, ſuæ navis ſcapha ſublatos conſervavit: præterque Albanum, quem Turcæ inter ſuos e mari captum ſuſtulerunt. Proceſſerat eodem impetu atque ardore animi una cum Albano cumque Lauredano navis alia oneraria non ita magna, ut naves Thracias adoriretur: ſed ea pilis ferreis ab hoſtium navibus pugnæ initio conjectis depreſſa, ſuis cum militibus interiit. Unus Vincentius Polanus triremem, cui præerat (erat autem ex iis, quæ ad mercaturam inſtituuntur) in claſſem Thraciam magno animo intulit. Is parvo temporis ſpatio circunſcriptus ab hoſtium longis navibus omnis generis compluribuſque, cum ſe fortiſſime horas duas defendiſſet, naveſque hoſtium nonnullas tormentis perforaviſſet, ipſos audacter in ejus ſæpe navem conſcendentes interfeciſſet, aliquot ex ſuis amiſiſſet, vulnerata parte plurima, coorto forte vento, veliſque factis, ſe ſe hoſtibus eripuit. Ex reliquis reipublicæ navibus nulla cominus congreſſa, pilis tantum e longinquo emiſſis, omnes in mare dexteram ad partem claſſe hoſtium relicta abierunt: ex quibus Aloiſius Marcellus in navem hoſtium one-

onerariam incidens, injecta manu ferrea eam ſecum ab- 1499
duxit, longeque ab reliquis navibus captam atque direptam incendit. Ibi Antonius animo turbatus, ob eos eventus quos triſtes conſpexerat, nihil præterea tentare auſus, ſe recepit. Claſſis Thracia eodem ipſo in loco ſe continuit. Veneti ad Prodonum inſulam jactis anchoris conſtiterunt, cum tamen naves onerariæ complures majoreſque triremes prope omnes biduum fere, antequam eo convenirent, conſumpſiſſent. Albanus poſtea Byzantium productus, dum ei rex vitam ſe conceſſurum dixiſſet, ſi Maumettum Turcarum deum deinceps coleret, negans id unquam ſe facturum, in duas ſectus partes magna conſtantique voluntate mortem obiit.

Petierat ab Aloiſio Galliæ rege jam a primo Bajaſetis apparatu Rhodiorum magiſtratus claſſem, qua ſe tueri poſſet: propterea quod eam ad inſulam atque oppidum ſuas eſſe copias, ſuamque claſſem Bajaſetem illaturum multorum vocibus & nunciis afferebatur. Rex ne ſui regni initio parum diligens ad reipublicæ Chriſtianæ partes muniendas atque tuendas videretur, claſſem navium duarum & viginti in Gallia provincia coactam ad Rhodios miſerat. ea claſſis uti cum claſſe reipublicæ ſe conjungeret, quod Rhodiis navium nihil opus eſſet, Senatus a Rege libentiſſimo impetraverat: qui etiam omnes ſuas opes, ſeque ipſum per literas perque legatos in id bellum reipublicæ obtuliſſet. Itaque dum Antonius eo loci eſt, nunciatur ei claſſem Gallicam Zacynthi eſſe. qua intellecta re, ipſe tota cum claſſe Zacynthum profectus cum illa ſe conjunxit: ad quam quidem Rhodii & ipſi naves onerarias tres adjunxerant. Claſſis interim Thracia inferius aliquanto ad eum locum, qui Torneſium appellatur, ſe receperat. Antonius Gallique eam aggredi communi conſilio decreverunt: itaque cum omnes, ut videbantur, alacriter ad eam Zacyntho contendiſſent, animadverſum eſt Turcas claſſem ad littus accommodaviſſe, ſic, ut fere terram puppibus tangeret, proras navium in mare convertiſſe. Ea re cognita Antonius naviculas onerarias ſex minus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 nus ad bellum idoneas, hominibus, tormentis, cæteriſque rebus ablatis, ulva ſicca implendas curavit, pulvere ad comprehendendum ignem idoneo interjecto, quas incenſas claſſi Thraciæ objiceret. Is dies ea in re conſumitur. Poſtero die mane iis cum navibus triremes magnæ ſexdecim Antonii juſſu ubi ſe in hoſtes promoverunt, illi ſtatim claſſis partem contra eas miſerunt: quibus viſis, Venetæ triremes ſe ſe continent: Turcæ progreſſi naviculas ſex eas, quæ remulco longarum navium proceſſerant, ab iis relictas qui attraxerant, capiunt. Veneti ea re commoti, in illos ſe concitant, atque uſque ad claſſem inſecuti, aliquot eorum navigia deprimunt, triremeſque tres & biremem unam cum hominibus capiunt. Biduo autem poſt, cum omnino aggredi claſſem Thraciam Antonius Gallique ſtatuiſſent, atque ad eam tam proxime acceſſiſſent, ut tormentorum pilæ in hoſtes mitterentur, neſcio quo fato paululum commorati redierunt: id quod a Gallis damnatum fuit. Demum eo triduo hoſtibus vela facientibus, ut ſinum, qui proximus erat, caperent, Antonius claſſem explicuit, eoſque conſecutus cum aggredi ſuo vento poſſet, eodem iniquo fato, ut tunc quidem creditum fuit, ſe continuit: aliquot tamen naves longas hoſtium audacter progreſſas, quæ paulo ulterius ex Venetis proceſſerant naves, facto in eas impetu, ceperunt. Quod ſi reliquis eadem vis animo fuiſſet, hoſtes deleri facile potuiſſent. omnibus enim illis diebus quibus parte aliqua prælium commiſſum eſt, cum plures naves Thracias militibus rebuſque omnibus inſtructas Veneti ceperint, nulla tamen ex eorum navibus cum hominibus eſt capta. Quin etiam illud accidit: extrema erat navis una oneraria Gallorum eo in reditu, ut ſæpe fit, multo reliquis tardior: itemque ex Venetis altera. in eas præfectus claſſis Thraciæ magnam ſuarum navium partem convertit, ut plus triremes ac biremes triginta navem Gallicam circunſiſterent, Venetam plus viginti: quæ tamen duæ cum acriter diuque oppugnarentur, præter pilas tormentorum, quas hoſtes ejaculaverant, ſagittarum vi tanta

ta in eas conjecta, ut mali, antennæ, plutei, latera earum denique ſignorum modo ſagittis conſtipatis fixa eſſent: complures hoſtium biremes & triremes depreſſerunt, ut reliquæ magno accepto detrimento eas reliquerint. Galli poſt hæc cum ſibi nulla in re defuiſſe viderentur, cognoſcerentque fortunam omnibus noſtrorum conatibus adverſari, Antonio relicto abierunt. Hoſtium claſſis Naupactum ſe contulit: eodemque antea rex cum magno exercitu erat profectus. Is cum oppidum terra marique uno tempore cinxiſſet, nullo a noſtris auxilio allato, oppidani coacti deditionem faciunt. 1499

Naupactum a Turcis occupatur.

Hæc ad urbem allata, civium animos, qui longe alium rerum exitum expectabant, magno dolore affecerunt: cumque vulgo legati, reliquique qui ſeparatim aut navibus onerariis imperaverant, aut longis præfuerant, hominum ſermonibus carperentur, Antonius ante alios, totius populi, quemadmodum imperatoribus qui res minus feliciter tentaverint, plerunque ſolet accidere, maledictis lacerabatur, quod is tantam, tamque ſperatam atque a diis immortalibus oblatam ac plane traditam augendi imperii facultatem ſuis e manibus dimiſiſſe videretur: ſi eam hoſtium claſſem Antonius juſto prælio ſuperaviſſet, prout eum facere potuiſſe exiſtimabant, omnem Peloponneſum Græciæque oram Eubœamque inſulam ſub reipublicæ imperium redigere illum nullo negotio potuiſſe: nunc cum omnia ſecus, quam ſperaverant, evenîſſe intelligerent, ac Lauredani & Armerii interitus memoriæ hæreret infixus, omnes magno odio in eum ferebantur, acerbiuſque accuſabant. His atque talibus cattis Patres moti, legem in Decemvirum collegio tulerunt, ut Antonio præfectus claſſis ſublegeretur, qui ſtatim conſcenderet, ipſi imperium abrogaretur. Et quoniam Thomas Zenus, qui magni animi, magnæque virtutis eſſe vir ab omni plane civitate exiſtimabatur, fiſco pecuniam debebat: fiſci autem debitoribus antiqua lege magiſtratus mandari nullus poterat: uti Thomæ Zeno ea lex fraudi ne eſſet, quo minus ei navium præfectura quælibet attribui per Senatum

Antonio Grimano claſſis imperium abrogatur.

poſ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODËR (2018)

1499 possit, in lege Decemvirum est additum. Itaque & Malchioni Trivisano, qui legatus bello Gallico Cremonam illis diebus per deditionem ceperat, majoribus comitiis classis est imperium delatum, & a Senatu præfectura longarum navium majorum decemseptem Zeno tradita magna cum potestate: lectique a Principis collegio earum navium præfecti tresdecim veterum præfectorum loco: qui omnes statim profecti sunt cum militibus triginta quilibet. Latum etiam de veteribus, ut ob male gestam rempublicam ad urbem redirent, custodiæque traderentur. datumque Triumviris ex advocatis reipublicæ negotium, ut eos in judicia deducerent, quibus a judiciis, qua meriti essent, pœna condemnarentur. Idemque postea de Antonio constitutum. Lectus etiam per Senatum, qui Corcyræ magistratus esset, Lucas Quirinus cum militibus mille oppidi præsidio. Is & Zenus sine mora sunt profecti. pauloque post Malchio Cremona a Senatu accersitus, vexillo reipublicæ accepto conscendit, cum ei libras auri ducentas quinquaginta, quibus in classem uteretur, Patres ex ærario dedissent.

Zancanius mense quintili in Carnos profectus, ut ab hostium impetu, quos eo Patres venturos intellexerant, reipublicæ fines tueretur, ratione hominum, qui ferre arma poterant, earum regionum habita, quorum fuit numerus circiter centum viginti millium, Græcis equitibus, & levis gravioriſque armaturæ Italis quamplurimis peditibusque coactis, munitissimo in castello apud Sontium flumen, quod Gradiscæ appellatur, paulo ante nostram ætatem publice ædificatum, multos est dies commoratus; dum ad eum ex Gallico exercitu auxilia convenissent. *Turcarum irruptio in Forumjulium.* Turcæ interea equites septem millia magno ac difficili itinere confecto per Iapidum & Liburnorum fines Sontio trajecto, non longe a Gradiscis castris positis se continuerunt, eo consilio, ut si Zancanius castello exiret, prælium committerent. Eorum dux ubi Zancanium extra munitiones non audere egredi animadvertit, duo millia equitum prædatum mittit: jubet quoquoversus incursiones faciant,

ciant, celeriterque uti redeant, monet. Equites planitiem nacti magnam atque apertam, agrestes homines inopinantes, quod se ab illis tutos oppositio reipublicæ exercitu fore credebant, capiunt; vi eos diripiunt; incendunt; qui se defendere parant, interficiunt: in quibus fuerunt agrestes ducenti, qui Vicetia missi, ut ad Zancanium contenderent, in eos ex itinere inciderunt. Ea re a proximis audita, usque eo fugere omnibus ex partitibus contenderunt, ut cum duorum fluminum objectu Plavis Silisque hostes impedirentur, quorum alterum nullo tempore vado transiri potest, alterum ita sæpe augetur, ut magnum etiam detrimentum vicinitatibus inferat, ad urbis tamen æstuaria plerique nullo loco commorati pervenerint; neque Taurisanorum modo, sed Patavinorum etiam magna multitudo timore se in oppida receperit. A Forojulienſium magistratu autem Græci equites, Italique, qui sagittis utebantur, ex oppido emissi trecenti, ut si qua possent, hostibus nocerent, partem nacti centum eorum occiderunt. quod si Zancanius cum suis, quorum erat magnus numerus, in hostes impetum audacter fecisset: honestiorem res exitum habere potuisset. sed is pedem porta egredi adoriendi hostes causa nemini omnino homini ex suo exercitu permisit. Turcæ qui excurrerant, præda facta cum ad ducem redire vellent, atque ad Tillaventi fluminis ripas, quod ea nocte creverat, pervenissent, quo latum flumen trajicere facilius possent, superioris ætatis quos habebant captivos, in ripa fluminis ad duo millia interfecerunt: reliquos traduxerunt, & præda onusti una cum duce, qua venerant, abierunt. Zancanius imperii male gesti accusatus, cum in Senatu a magistratibus defenderetur, iique legem tulissent, qua lege Zancanio imperium prorogabatur, Franciscus Bolanus Quadraginta virum rerum capitalium magister legem tulit, ut is ad urbem vestigio rediret, carcerique se dederet: eamque legem Senatus frequens damnata altera comprobavit. qua ex re Bolanus magnopere laudatus, paulo post, quo die cives sexaginta suffragiis comitialibus deligun-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 guntur, qui annum in Senatu ſint (uſu autem ſemper fit, ut omnes civitatis principes, & natu majores, ad id muneris deligantur) ipſe non unus modo ex eo numero fuit; quod tamen ipſum ei ætati atque ordini magnum & inuſitatum videri poterat; ſed pluribus etiam ſuffragiis, quam cæteri complures, eum magiſtratum eſt adeptus: quod prope incredibile ante illum diem fuiſſet. tantam eo tempore imperator legati præfectique, ob ignaviæ opinionem, civitatis in ſe invidiam excitaverant: amorem autem & benivolentiam conciliaverat fortitudo. Nam & Antonius Lauredanus Andreæ Lauredani frater, & Aloiſius Armerius, Albani frater Armerii, magiſtratum ſale procurando omnibus ſuffragiis ſunt adepti: quem omnino per ſe ſe dignitatis & civitatis gradum decennio poſt uterque poſſe aſſequi ne ſperaviſſet quidem. Et Jacobo Polano, Vincentii Polani, ejus de quo ſermonem habuimus, patri, magno conſenſu locus datus eſt inter ſexaginta cives, qui quotannis Senatui adjici ſolent. Itaque Zancanius ad urbem rediens, cuſtodiæque traditus, a Senatu condemnatus eſt, ut Patavii annos quatuor exularet. Neque ei profuit, quod Antonii & reliquorum, qui rempublicam male geſſiſſe dicebantur, neceſſarii & propinqui ei faverent, ut vel omnino abſolveretur, vel leviſſime condemnaretur, quo Patres hujus exemplo judicii placabiliores in ſe ſe fierent: quæ eos opinio fefellit.

Naupacto Antonius amiſſo, navibus longis majoribus & onerariis compluribus abeundi facultatem conceſſit. Ea res moleſtiſſima fuit Patribus, qui nuncio de Naupacti deditione accepto, per literas Antonio mandaverant, ne claſſem diminueret: viſumque eſt multis id Antonium non ſatis bono conſilio feciſſe. Ipſe deinde Cephallenem inſulam aggreſſus, ubi nihil ſe proficere cognovit, Corcyram reliqua cum claſſe ſe recepit: ibi acceptis de Senatuſconſulto imperioque abrogato literis, claſſe, pecunia, rationibuſque publicis legatis traditis ad urbem rediit: cui præſto fuit Dominicus filius, vir philoſophiæ ſtudiis clarus, e Cardinalium inſuper collegio, Roma veniens, ut

ut ſi quid poſſet apud civitatem, ſua pietate atque officio ordiniſque ampliſſimi auctoritate, patrem ſublevaret. Neque multo poſt tamen majoribus comitiis, cauſa in vinculis dicta, quod Senatus lenitatem Triumviri, qui eum accuſabant, veriti, rem ad multitudinem & judicium tōtius nobilitatis deduxerant, exilio in Illyrici maris inſulas Apſorum & Crepſam damnatus exulatum abiit. Nicolaus Michaeles unus ex Triumviris magno favore civitatis ejus locum ad ædis Marciæ procurationem ſuffectus tenuit. 1499

Cæſaris Borgiæ geſta in Flaminia.

His rebus civitate domi foriſque occupata; quoniam Alexander a Senatu atque ab Rege Galliæ impetraverat, uti eorum voluntate aliquot in Flaminia oppida, quæ Romani juris eſſent, Cæſari Borgiæ ejus filio obtinenda cederentur: Cæſar ſua cum manu, cumque iis, quas ab rege altero cum duce Mediolani acceperat copiis, in Flaminiam eſt profectus. Erat is antea, ut ſuperioribus libris dictum eſt, in Cardinalium collegio: ſed magiſtratu repudiato, uxorem in Gallia duxerat. ac primum quidem Forum Cornelii & Forum Livii oppida ipſa, caſtris ad muros poſitis tormentiſque adductis, acri oppugnatione ad deditionem compulit. Arces vero eorum oppidorum, quod erant munitiſſimæ, varios eventus habuerunt. altera enim complures dies obſeſſa, conditionibus acceptis Cæſari anni exitu deditur. Forolivienſium arcem autem, in qua erat Catherina ipſa, diu ac magnis oppugnatam viribus, paulo poſt Cæſar muro tormentis dejecto militibus irrumpentibus multa cum ſuorum cæde tandem cepit: Catherina captiva facta. Interea, ut ſuos & eorum fines Senatus, quos e Flaminia in idem recepiſſet, ab Alexandro, atque ab Cæſare tantum exercitum habente, ſi quid aggredi & conari vellent, tueretur, tria militum millia, duo equitum, Liviano duce, Ravennam miſit, quos per oppida diſtribueret: ſimul legati duo, Franciſcus Capellus, Chriſtophorus Maurus, alter Ariminum, alter Faventiam profecti, qui eis oppidis reipublicæ nomine præeſſent. Arce Forolivienſium capta, Cæſar

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 sar cum Pisaurum vellet Patribus permittentibus exercitum adducere, propter novos Mediolani motus destitit: nam Patres, cum ad urbem Joannes Princeps Pisaurensium de Cæsaris in se voluntate certior factus venisset, oppidumque vellet reipublicæ tradere, modo ipsi aliquid in reipublicæ finibus oppiduli aut castelli Senatus daret, quo se alere & sustinere posset: consulto Senatu responderunt, nolle se ei præsidio esse, qui reipublicæ obesse voluisset. Id autem propterea Patres commemoraverant, quod Ludovici legatos ad Turcarum regem contra rempublicam missos, Joannem hospitio accepisse, navibus, rebus omnibus juvisse, regisque item ad Ludovicum legatum nave Pisauri egressum domi suæ habuisse, clamque ad illum misisse, tum ipsum singulis de rebus, quæ in urbe agerentur, literas ad regem dedisse, antea cognoverant. Sed Mediolani motus fuerant ejusmodi.

Ludovici reditus in ducatum Mediolanensem.

Ludovicus copiis non maximis in Rhetis comparatis, eorum factione, quos Galli irritaverant, quique res novas moliebantur, magnopere adjutus, in fines se regni contulerat insequente anno inito. Ejus adventu Triultius duxque regius ex duobus alter vehementer permoti atque perturbati, quod civitatis defectionem timebant, copias regias, quæ cum Cæsare aberant, revocaverunt, atque ad se celeriter reverti jusserunt. itaque Cæsar multo majore sui exercitus parte ablata, de Pisauro expugnando cogitationem in aliud tempus omisit, Romamque se contulit. Ludovico ad recuperanda, quæ amiserat, cum exercitu revertente, Senatus decrevit, ut milites equitesque reipublicæ omnes in agrum Cremonensem evestigio contenderent: ut Helvetiorum militum tria millia celeriter accerserentur: legatique ad bellum Petrus Marcellus, Christophorus Maurus lecti. Ipse interea Ludovicus Como per suos sine vi atque celeriter recepto (Galli enim, qui in eo erant, veriti ne ab oppidanis atque ab hostibus intercluderentur, municipio relicto discesserant) Ascanium fratrem cum parte copiarum Mediolanum præmisit: quo appropinquante, cives armis captis Triultium

tium & Gallos ejecerunt, eique portas aperuerunt: biduoque post ipse cum reliquo exercitu adveniens in urbem est receptus. His intellectis rebus Decemviri legem tulerunt, uti civis probata virtute Cremonam mitteretur, qui arci oppidi præesset: missusque est ipsorum suffragio lectus Nicolaus Priolus decemviralis. Missi etiam alii quatuor egregii nominis, qui totidiem oppidorum in Cremonæ Abduæque fluminis finibus arces custodirent. Mediolani Ludovicus paucos commoratus dies, dum a civibus humili subdolaque oratione pecuniam corrogaret, Ticinum proficiscitur: neque ullo in loco magnopere impeditus, Gallos, qui se quotidie in ulteriorem regni partem recipiebant, insequens, postremo Novariam, quam Triultius præsidiis firmaverat, aggreditur: & quod erat a muralibus tormentis imparatior, crebris assultibus premere oppidum insistit. Simul ad illum Sequani equites sexcenti auxilio a Maximiliano missi adveniunt: iis ad summovendos hostes usus, & modo per insidias detrimento accepto, modo fusis hostibus illato, abductis demum a Triultio præsidiis, quod diffidere oppidanis cœperat, neque jam commeatus intercluſis suppetebat, Novariam se dedentem recipit. Interea exercitus reipublicæ Cremonam Abduæque ad ripas confestim profectus, Laudem Pompeji, quod jam oppidum Ludovici milites introduxerat, misso præsidio expulsisque militibus, regi retinuit. Placentiam nutantem per se atque labantem confirmavit. Triultius reversis iis, qui cum Cæsare in Flaminiam ierant, Gallis, simul ab rege missis ad eum equitibus ex Gallia transalpina, atque ab Helvetiis coacto exercitu non longe ab Novaria contra Ludovicum castra posuit, itineribusque, ne commeatus Ludovico supportari posset, prope interceptis, paulo post commisso prælio illum in oppidum repulit: posteroque die, cum se fugæ dare decrevisset, omni cum exercitu oppido egressum veste pabulatoria & strigoso in equo inter milites dissimulantem, permittentibus Helvetiis perquisitum cepit. Ea re cognita, pars regni omnis, quæ defecerat, ad regem statim rediit. Ludovico capto,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1499 *Ludovicus & Aſcanius Sforcia capti in Galliam perducuntur.*

capto, Aſcanius principeſque civitatis permulti ex iis, qui Ludovici rebus favebant, una Mediolano aufugerunt Padum flumen verſus, ut ſe in tutum reciperent. verum ab Soncino Benzonio turmæ equitum reipublicæ præfecto, qui id, quod re evenit, opinione exiſtimans futurum, itinera obſervabat, in Cremonæ finibus intercepti ſunt. Aſcanius etiam Venetias adductus, in comitii turricula publice obſervatus eſt: pauloque poſt rege illum ab Senatu petente, ſeptum cuſtodibus in Galliam tranſmiſit, quo antea Ludovicus perductus, cuſtodiæquæ traditus, ea in cuſtodia aliquot poſt annos eſt mortuus. Ea æſtate, propterea quod Gaſpar Severinas reliquique fratres Roberti liberi bellum contra rempublicam geſſerant, Senatuſconſulto Cittadella oppidum receptum, & bona eorum fiſco ſunt addicta.

Sed Naupacto amiſſo, ut docuimus, Aloiſium Manentium in Decemvirum collegio ſcribam, Senatus Byzantium ad regem miſit queſtum, quod nulla laceſſitus injuria, pacem, quam paulo ante cum Zancanio legato firmaverat, bello terra marique illato violaviſſet: poſtulatumque ut mercatores Venetos, qui nihil deliquiſſent, quorum etiam adventu ejus portoria facta eſſent meliora, quos belli initio in vincula conjecerat, liberaret: Naupactum injuſto bello captum reipublicæ reſtitueret: demum, ſi id nollet, pacem renovaret. Id autem ea de cauſa ſibi tentandum Senatus decreverat, quod ab nonnullis, qui plurimum apud regem poterant, ſpes ei proponebatur, fore, ut ſi legatum mitteret, pax inter ipſos conciliaretur: tum quod graviſſimum civitati fore intelligebat, ſi claſſis eo etiam anno eſſet comparanda, contritis per tot bella non urbanis modo opibus, ſed etiam provincialibus, republica inſuper nihil proſpere contra illum moliente. Nam cum Naupacto ab hoſtibus expugnato Cephallenem inſulam capere primo Antonius, ut antea dictum eſt, deinde Zenus, poſtremo etiam Malchio claſſe adducta diuturna oppugnatione tentaviſſent, labor tamen omnis omnium irritus & inanis fuit. Manentius

anni

anni initio profectus Byzantium ubi pervenit, nihil eorum, quorum cauſa miſſus fuerat, impetrare potuit: rex enim ita reſpondit, pacem Veneti ſi velint, Methonem, Coronem, Naupliam, quæ haberent in Peloponneſo oppida, ſibi tradant, aurique libras centum ſtipendii nomine ſingulis annis dependant: alia ſe conditione pacem cum republica non facturum: itaque infecta re diſceſit. 1500

Sed Manentio ab urbe profecto, quod nuncii afferebantur in Epiri finibus magnum Turcarum equitum numerum cogi, Senatus veritus eam manum ſuperioris anni præda impunitateque allectam, in Carnos fineſque reipublicæ eſſe venturam, Petrum Orium, Angelum Barotium legatos creavit, qui una cum Forojulienſium magiſtratu earumque rerum peritis regiones inviſerent, &, quibus in locis atque itineribus operæpretium eſſet, munitiones inſtituendas curarent, quibus hoſtes repelli poſſent: Livianumque cum equitibus, quibus præerat, & Gurlinum Ravennatem, qui priores ordines gerebat, cum militibus duobus millibus legatis dedit. Petrus etiam Marcellus, alter ex duobus in Gallico exercitu legatis, juſſus cum copiis in Carnos proficiſci. Turcæ tamen, propterea quod rex eorum ducem Byzantium evocaverat, ſe in Carnos non intulerunt. Aeſtate autem media, quod eadem rurſus fama crebrioribus nunciis percrebruerat, parari hoſtium exercitum, qui ſit in fines Reipublicæ impetum facturus, Nicolaus Urſinus cum magna copiarum parte, cumque Joanne Baptiſta Carratio militum omnium Reipublicæ præfecto, Senatu jubente in Carnos eſt profectus, omneſque ejus regionis incolæ ſe & ſua in oppida & caſtella contulerunt. Hoſtes, vel quod loca communita ſcirent eſſe, vel quod ii in bellum Peloponneſiacum, de quo dicturi ſumus, uti rex voluerit, ab incurſionibus in eam reipublicæ partem ſe continuerunt. Manentius tantum ad urbem redierat, cum Patras Corcyræ inſulæ veriti, propterea quod ea in potestatem hoſtium redacta, quæ oppidum munitum & portus egregios haberet, omnis Adriani maris navigatio, & in Ionium

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1500 reliquaque maria exitus magnopere impediebantur : Decemvirum lege Angelum Quirinum, Aloisium Decanalem cum militibus centum eo miserunt, qui duabus oppidi arcibus præessent : quæ quidem arces quod promontoriolis item duobus oppido conjunctis sunt impositæ, spatiumque peranguſtum habent, multorum propugnatorum non indigent.

Nuncii deinde aprili mense venerunt, classem Thraciam, quæ Naupacti ea hyeme fuisset, magno studio esse refectam, aliamque in sinu Ambracio institutam classem deduci, ut se cum illa conjungeret : ipsum regem maximo cum exercitu brevi in Peloponnesum venturum, ut quæ oppida in pacis conditionibus a Manentio petierat, bello persequatur. Iis rebus cognitis Senatus decrevit, uti naves longæ decem ex iis quæ ad mercaturam instituuntur, onerariæque magnæ quatuor armarentur : decemque iis qui imperaret, Jacobus Venerius datus ; singulis autem navibus suus præfectus cuique : auctaque iis stipendia, quo libentius proficiscerentur : missusque ad supplendam classem remigum opportunus numerus, quem ex continenti Senatus conduxerat. Jussi etiam præfecti militum viginti bona cum manu, cumque iis rebus quæ idoneæ ad munitiones faciendas essent, Methonem proficisci : pecunia insuper in classis stipendium missa. Senatus etiam consultum factum, ut naves longæ minores non paucæ prioribus adderentur : biremesque complures confestim armarentur, classique submitterentur. Malchio & ipse, qui Corcyram venerat, navibus aliquot relictis ad Cephallenæ insulæ non tam quidem oppugnationem, quam ut in statione ibi essent, ne præsidium hostibus submitti posset, recentioribus de classe Thracia, regioque exercitu nunciis certior factus, uti e Creta milites & commeatus & tormenta Naupliam mitterentur, curam & diligentiam adhibuit. & quod Naupliam primum omnium venturum regem multi existimabant, pars ab illo præfectorum militum est eo transmissa : commeatum etiam omnis generis Methonem misit. Ipsi etiam oppidani, qui frumenta in agris pabulaque omnia cir-

circum oppidum corruperant, ædificia combusserant, ne 1500
hostibus opportuna fierent, munitionem in portu magni operis effecerunt, aggeremque in mari excitaverunt, quo ab aggere naves hostium arcerentur, ne ad muros propius accederent : aditumque uni tantum navi reliquerunt, quo se tueri facilius possent, quam si cum multis uno tempore navibus eis esset propugnandum. Malchio deinde Zacynthum profectus classem eo convenire jussit, navium longarum & onerariarum circiter septuaginta : in quibus erant naves longæ magnæ sexdecim. Turcæ interea suam classem duobus locis comparatam, apud insulam Leucadiam coegerant magna reipublicæ populorum querela, quod Malchio quique præerant legati, ne id per hostes fieri posset, minus prohibuissent : partem ejus classis utramlibet separatam ab altera parte atque semotam, superari ac deleri non maximo negotio potuisse : nunc eam conjunctam atque plenam nihil non ausuram, ad exitumque perducturam. Adjungebatur ad eas querelas etiam hoc, quod Malchio laborare adversa valetudine cœperat. Sed rex, coacta classe navium omnis generis plus ducentarum viginti, cum exercitu in Naupliæ fines est ingressus, missa equitum parte, qui ad oppidum accederent. Cum iis oppidani equites congressi mille quingenti, prælium secundissimum fecerunt : itaque Nauplia relicta rex Methonem venit. Præmissi autem ab eo Turcæ Pylon oppugnare sunt aggressi, quod quidem abest Methone millia passuum decem, loco edito impositum, portu adjecto [illegible] quod eo ipso tempore Contarenus legatus cum navibus longis aliquot adveniens, auxilium propugnatoribus attulerat, repulsi, spe castelli capiendi amissa, abeuntes cum reliquo se exercitu conjunxerunt. Inter hæc Malchio apud Cephallenem moritur : pauloque post legatorum & præfectorum omnium suffragio Hieronymus Contarenus legatus Malchioni pro imperatore sufficitur, quoad Patres, quem præesse velint, imperent.

Turcæ Peloponnesum invadunt.

Rex Methonem omni cum exercitu acerrime oppugnans, magnam propè ejus partem tormentis de-

Methonis oppugnatio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1500 jecerat. Milites, qui priores ordines gerebant, a Senatu miſſi, principeſque municipii veriti non poſſe ſe eam partem tueri, rebus omnibus & materia, quæ in eo erat ablata, atque in oppidum abducta, prooppidum reliquerunt. Hoſtes ingreſſi majore jam ſpe murum oppidi dejicere labore non intermiſſo inſtiterunt. Dum hæc ad oppidum geruntur, Contarenus omni cum claſſe Zacyntho proficiſcitur, ut ſi qua poſſet, aut afferret oppidanis auxilium, aut claſſi hoſtium noceret: cujus claſſis naves onerariæ Sphagiam inſulam circunvehebantur: reliquæ naves e Pyli portu ſe promovebant. quas ubi Veneti e longinquo viderunt, eas aggredi magno animo decreverunt: itaque tribus effectis ex omni claſſe cornibus, in hoſtes contenderunt: quorum in uno naves erant longæ minores univerſæ: in altero majores continebantur: tertium cornu naves onerariæ conficiebant. atque hoc aperto mari, illud littori propius erat. Ttriremes magnæ medium, ſatis idoneo inter utraſque ſpatio relicto, claſſis locum obtinebant. Hoſtes ubi contra ſe veniri animadvertunt, naves longas circiter centum in Venetos converterunt. Venerius medio e cornu, cui præerat, ſigno pugnæ dato, omnium primus impetum in hoſtes facit, triremem que contra ſe venientem unam ex prioribus aggreditur: ex eaque trireme magnus hoſtium numerus tormentis eſt interfectus: ex reliquis triremibus magnis ſex & ipſæ cladem non parvam claſſi Thraciæ intulerunt, complureſque triremes depreſſerunt; ex minoribus viginti prælium comiſerunt: eoque res eſt deducta, ut Turcæ, quemadmodum poſtea cognitum eſt, littori naves impingere, fugamque capere cogitarent. reliquæ triremes congredi non ſunt auſæ. Obfuit autem plurimum etiam fortuna ipſa, quæ multum in bellis poteſt, quod naves onerariæ tranquillitate magna oborta ſe movere non potuerunt. Turcæ utrunque conſpicati, & naves onerarias vento ſilente detineri, & longarum magnam partem a pugna conſerenda deterreri, animum ſumpſerunt, prælioque redintegrato atque ad noctem perducto, cum horas tres continenter pugnaviſſent, ex Venetis triremibus majoribus una depreſſa interiit, altera interfectis quamplurimis eſt capta, cum omnibus abeuntibus tamen ſola totam noctem impetum hoſtium ſuſtinuiſſet. Contarenus proimperator, navi ſua perforata, atque aqua eam degravante, in aliam ſe contulit, Zacynthumque, ut & illam & reliquas aliquid ex concurſu paſſas incommodi reficeret, eſt profectus.

Pugna navalis Venetorum cum Turcis.

1500 Interea cum de Malchionis adverſa valetudine Senatui eſſet nunciatum, Patres eveſtigio, ut ei claſſi imperator ſublegeretur, decreverunt: qui ſi eum ſalvum offendiſſet, reipublicæ nomine hortaretur, ut ad urbem rediret. idque eo deliberatius fecerunt, quod de Malchione quotidie, quæ non magnopere vellent, audiebant. Itaque majoribus comitiis Benedictus Piſaurus magna cum poteſtate lectus, pecunia in ſtipendium largiter ei curata, die ab ea die tertia conſcendit. Contarenus refectis navibus auxilium & commeatum Methonem mittere cum decreviſſet, veritus ne oppidani omni ſubſidio deſperato ſe ſe hoſtibus dederent, naves longas quinque omni ex claſſe delegit, atque in iis quæ opportuna eſſent, impoſuit. ante tamen optimum eſſe ratus oppidanos ea de re certiores facere, ut ſe ad frumentum atque arma reliquaſque res celeriter ex navibus extrahendas compararent, hominem fortem atque audacem cymba ei tradita cum remigibus decem eo miſit. is per mediam hoſtium claſſem omnibus inſpectantibus, quod erat meridiei fere tempus, celeritate adhibita pervolans, mandata Contareni oppidanis pertulit: poſteroque die, qui dies erat ante diem quintum iduum ſextilis, Contarenus nactus idoneam tempeſtatem Methonem verſus vela omnibus cum triremibus facit. Hoſtes claſſe viſa, id quod erat rati, ad oppidi ſe portum oppoſuerunt. Contarenus præfectos cohortatus, ut magno animo ad oppidum contenderent, remque ſuorum civium opis & virtutis egentem ſublevarent, eos ab ſe dimiſit. Ex iis quatuor triremes inter hoſtium naves elapſæ, ſe ad oppidum magna difficultate con-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1500 contulerunt . una quod erat tardior, multis hoſtium navibus iter impedientibus, cum reliquarum celeritatem ſe imitari poſſe diffideret, ad Contarenum rediit. Oppidani navibus auxiliariis conſpectis, ut ea quæ afferebantur, celeriter in oppidum aſportarent, læti ad portum convolaverunt: tantaque fuit ejus rei cura, ut ii etiam qui muros alia ex oppidi parte contra hoſtium exercitum ſervabant, cum feſtinari ab aliis viderent, eodem & ipſi accurrerent, ſtationeſque relinquerent, ſic, ut murus defenſoribus ſpoliaretur. Id ubi hoſtes ab exercitu conſpexerunt, occaſione rei bene gerendæ non omiſſa, per ruinas murorum, quas tormenta fecerant, ſcalis poſitis nixi, paucis defendentibus interfectis, ſe in oppidum intulerunt. Oppidani præfectique & milites præſidio & commeatu jam e navibus abducto ea de re certiores facti, hoſtibus medio in oppido occurrerunt, atque ibi prælio acerrime commiſſo cum diu fortiterque pugnaviſſent, ac magnum eorum numerum occidiſſent; demum creſcente hoſtium multitudine, plenis jam omnibus & obſeſſis viis, circunſepti undique ac preſſi, prope omnes interfecti ſunt una cum præfectis navium, qui tunc venerant, duobus, remigibuſque permultis. Ex municipibus ii qui ſuperfuerant, omni ex parte oppidum incenderunt, ſuaque omnia & ſuos comburere voluerunt: ita oppidum ardens ac ſemicombuſtum capitur, cum quidem Veneti multam in noctem ſe defendiſſent. Eo capto rex Pylon ducem ſuum miſit. is ut fidem oppidanis faceret Methonem in regis poteſtatem veniſſe, magiſtratum reipublicæ qui Methone erat in vinculis adductum eis oſtendit, cum civibus Venetis nonnullis. quibus viſis, ea conditione, ut neque libertatem neque quidquam ex rebus ſuis amitterent, oppidum regi tradiderunt.

Methonis expugnatio.

Pylos Turcæ ſe dedit.

At claſſis Veneta cum Zacynthum reverteretur, magna coorta tempeſtate curſum non tenuit: itaque navibus omnibus disjectis, nonnullæ longinquas inſulas, Cretamque uſque delatæ, vel amiſſis gubernaculis vel malo infracto, vel diſſutis contignationibus, jactura facta ægreque ſe in

in tutum receperunt: triremis una impacta littori ſalvis hominibus interiit. Coronem poſt hæc cum magna exercitus parte unus ex ducibus ab rege miſſus oppidanis propoſuit, ſi ſe, antequam oppidum obſidione cingeretur, regi dederent, fore ut bonis conditionibus uti poſſent: ſin vim expectarent, omnes ad unum interituros. quibus intellectis rebus Coronæi caſu Methonenſium perterriti, ſpretis præfectorum imperiis, qui ſe ad propugnationem comparaverant, æquiſſimis conditionibus ducem intromiſerunt. Rex deinde Naupliam eadem qua Coronem celeritate ſuo ſe imperio adjecturum exiſtimans, exercitus partem in Naupliorum fines induxit: miſſoque ad oppidum cum ſuis equitibus Paulo Contareno cive Veneto egregia virtute, Bernardi Contareni, ejus qui bello Neapolitano Epirotarum equitum præfectus mortem obierat, fratre, qui Corone uxorem duxerat, illiſque in regionibus erat notiſſimus, quemque rex, ut ad id uteretur, Corone in deditionem recepta habere ſecum voluerat: juſſit illum oppidanis ſuadere ut ſe regi dederent. Is medio in ſermone, quem cum Naupliis, ad urbis muros atque portam vocatis, ingreſſus fuerat, equo incitato equitibus imprudentibus ſe ſubripuit, atque in oppidum, vallo ſaltu equi ſuperato, eſt receptus. Oppidani primo cum Pauli hortatu ac ſtudio, tum per ſe ſe plane paratiſſimi, magno animo impetum hoſtium ſuſtinuerunt: egreſſique præterea per occaſiones prælia nonnulla ſecundiora fecerunt. poſtea vero quam rex cum reliquo exercitu eo venit, portas clauſerunt, & munierunt: itaque incluſi magna ſe virtute atque conſtantia præbantur. Interim ex claſſe Thracia, quam rex Naupacto, ut terrorem hoſtibus incuteret, Naupliam veterem convenire univerſam voluerat, naves triginta Aeginam ad inſulam miſſæ oppidum capiunt: relictiſque regio nomine qui præeſſent, Naupliam revertuntur.

1500 *Coronenſes Turcæ ſe dedunt.*

Naupliæ oppugnatio.

Aegina a Turcis capitur.

Hæc dum ſic adminiſtrarentur, Benedictus Piſaurus Corcyram, deinde Zacynthum profectus, die ibi aliquot, antequam claſſis, quæ propter tempeſtatem aberraverat, eo conveniret, ſe continuit. Coacta claſſe navium longarum majorum duodeviginti, minorum viginti quinque, onerariarum

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1500 plus viginti, quam quidem paucorum dierum ſpatio magna cum diligentia, tum vero etiam ſeveritate adhibita, remigibus, militibus, rebuſque omnibus ornatiorem melioremque reddiderat; ad hoſtium claſſem inſequendam ſe ſe promovet, eo animo, ut ſi aſſequi poſſet, prælium committeret. Sed rex de illius ad Zacynthum adventu certior factus, ſuæ claſſis præfectis, ut domum redirent, Byzantiumque ſe reciperent, imperavit: poſteroque die ipſe, qui quidem non magnopere ſuis jam copiis confidebat; propterea quod neque parvam, neque ſane ſpernendam militum equitumque partem eorum, qui Methonem obſediſſent, eo in bello expugnatione amiſerat; omni cum exercitu abiit. Eodem tempore Piſaurus Naupliam ſpeculatoriis præmiſſis navibus claſſem Thraciam & exercitum abiiſſe certior factus, Aeginam contendit, expoſitiſque militibus, Turcas, qui præerant, interfecit, eorum duce capto: atque inſulam reipublicæ reſtituit. Mitylenen deinde triremibus levioribus accelerans, quo appulſos hoſtes intellexerat, ferro atque igni omnia demetens, prædam, & quidem opulentam, quam abegerat, remigibus & militibus conceſſit: poſteroque die Tenedum diripuit, incendit, claſſiſque hoſtium fugientis atque in Euripi anguſtias jam ingreſſæ reliquias aſſecutus, naves complures extremo in agmine cum hominibus cepit: fixiſque utroque in littore non unis crucibus, captos Europæ atque Aſiæ ſpectaculo reſte ſuſpendit, agros & vicos depopulatus, ut qui oras incolerent magnopere perterrerentur. Samothraciam ad inſulam poſt hæc eadem celeritate adveniens, cum intellexiſſet oppidanos ægerrime Turcarum imperium perpeti, Aloiſio Decanali triremis præfecto ad oppidum miſſo, eos libentiſſimos in deditionem recepit: petentibuſque civem Venetum qui præeſſet, pollicitus eſt ſe miſſurum. Illi partem decimam ſuorum fructuum quotannis ei ſe daturos receperunt. Deinde Caryſto direpta, ad naves longas majores onerariaſque rediens, Naupliam ſe contulit, municipibuſque & militibus collaudatis, ſtipendio, quos oportuit, recreavit, & ſua liberalitate ſublevavit. Iis confectis rebus diſcedens, dum Corones littora prætervehitur, de Carolo Contareno, qui magiſtratus reipu-

Benedicti Piſauri res geſtæ in mari Ægeo.

blicæ

blicæ Pylo præfuerat, oppidumque ſitu & natura communitum, hoſtibus nulla coactus vi obſidioneque tradiderat, in ſuæ navis prora ſupplicium ſumpſit. 1500

Ibi cognoſcit Hiſpaniæ regum claſſem reipublicæ auxilio miſſam Zacynthum veniſſe. ii enim reges Aloiſii Galliæ regis prædicatione permoti, qui regnum Neapolitanum bello aggredi ſtatuiſſet, tum claſſe ab rege Thracio comparata, ne inſulam Siciliam ſine præſidio relinquerent, claſſem & ipſi confecerunt, illoque miſerunt, Conſalvo Ferdinando præfecto, qui bello Neapolitano dux eorum fuerat. Eam claſſem ut reges auxilio reipublicæ vellent eſſe, poſteaquam ſuis jam finibus nihil timerent, Senatus ab iis impetraverat, Alexandro adjuvante. Ea erat navium plus quinquaginta: quibus in navibus milites impoſuerant numero ad ſeptem millia. Cognito Conſalvi adventu Piſaurus Zacynthum ad illum venit: quem quidem reipublicæ magnopere prodeſſe cupientem cum reperiſſet, rebus belli rationibuſque omnibus una cum illo communicatis, ex ipſius & reliquorum Hiſpanarum navium præfectorum, quos Conſalvus in concilium adhibuerat, & legatorum ſententia ſtatuit ad Methonem recuperandam una proficiſci. Eam ad profectionem atque bellum quod res multæ materiæ indigebat cum ad caſtella, quæ parare inſtituerant, excitanda tum ad navium ſcaphas contegendas, quibus in primis uti decreverant; dato omnibus qui aderant jurejurando, ne quis quid enunciaret, concilio dimiſſo Cephallenem ad inſulam, quæ ſylvis admodum abundabat, uterque ſuam claſſem adduxit. Illis prope diebus cum ex Joannis Criſpi, de quo dictum eſt, qui Naxum inſulam obtinebat, liberis, is qui natu erat major, Matthæi Lauredani filiam in matrimonium duxiſſet, Senatui placuit, ut magiſtratus reipublicæ amplius eo non mitteretur, Naxiique Joannis filio jam adulto reſtituerentur; dum is paterni regni formam ne vellet imitari, Senatuſque liberalitate ad juſtitiam & temperantiam uteretur. Interim autem dum ad Cephallenem materia cæditur, & turres reliquaque, quæ ſane plurima ejus belli adminiſtratio requirebat, per fabros conficiuntur;

ne

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1500 ne reliqui milites tempus temere contererent, communi consilio statuerunt Cephallenes oppidum aggredi, turpe futurum existimantes, si ab insula re non tentata discessissent: posse Turcas gloriari, duabus classibus tam paratis atque tantis animum ad id capiendum defuisse. Iis constitutis rebus navis una oneraria trium millium amphorarum Genuæ ab Aloisio rege Galliæ auxilio reipublicæ comparata Cephallenem appellitur, ut Pisauro præsto esset. ad ejus navis præfectum, qui erat infirma valetudine, Pisaurus legatos misit salutatum, actumque regi gratias, quod in rempublicam liberalis tam opportuno tempore fuisset. Præfectus expectare se se navem alteram dixit, quæ item Genuæ instructa secum una solvisset, tempestateque acta cursum non tenuisset: earum navium, & militum mille quingentorum, qui in illis erant, trium mensium stipendia regem submini-straviſſe: ea stipendia desinere ad diem duodecimum calendarum decembris. Is autem dies, quo die illa dicebantur, erat ante diem sextum iduum novembrium. eis si navibus post eum diem uti vellent, ipsos stipendia præstare oportere. Ad ea Pisaurus respondi jussit, se nisi de Senatus auctoritate nihil acturum, literasque de eo ad Senatum daturum. Præfectus ubi ei rei moram esse interpositam vidit, nactus idoneam tempestatem vela fecit, atque abiit. de navi altera post illa nihil est auditum.

Cephallene oppugnatur.

Pisaurus interea Consalvusque tormentis muralibus eductis, oppidi muros verberare complures dies institerunt. nam quod erat loco editiore, monti etiam pluribus a partibus prærupto oppidum impositum, ea res magna cum difficultate administrabatur. deinde suo cuique legatorum & præfectorum navium attributo munere, ut quam quisque oppidi partem signo dato aggrederetur, irrumpereque conaretur, antea cognosceret; statuerunt experiri quantum in hostibus ad propugnationem animi virtutisque inesset. Erant autem, quemadmodum a profugis intellectum est, milites oppidi præsidio trecenti. Die oppugnationis dicta ejusmodi tempestates fuerunt, ut res differri oportuerit: demum pluviis remittentibus, pilis ferreis frequentioribus ejacu-

ejaculatis, omnes se ad muros contulerunt: conscendere- 1500
que scalis positis aggressi, hostibus saxis, sagittis, omni missilium telorum genere acerrime se defendentibus, oppidum capere non potuerunt. itaque nonnullis interfectis, vulneratis compluribus, se in castra receperunt: quorum ex numero fuere Hispani præfecti aliquot, Venetique cives sex, & Gurlinus vir egregia exploratague virtute, quem Pisaurus Nauplia obsessa plurimum oppidanis profuisse, & præclara multa oppido tuendo instituisse effecisseque cognoverat, & secum abductum militibus suis omnibus tum præfecerat: atque is magno nostrorum omnium, & Consalvi dolore, qui ei largiter jam tribuebat, paucis post diebus est mortuus. Eo accepto detrimento, duces vallum excitari usque eo, ut munitionem, quam hostes intra oppidum dejecto muro fecerant, superaret, suis militibus mandaverunt. Dum hæc ad Cephallenem geruntur, Pylos per insidias ad rempublicam rediit. Erat in Pisauri trireme miles signifer Demetrius quidam Methonensis: is amicum Epirotam item militem in Pyli præsidio cum haberet, ad eum bis terve amicitiæ nomine ubi venit, hominem spe pollicitationibusque impulit, sibi ut socius magni facinoris vellet esse. Re constituta ad Pisaurum revertitur. Pisaurus ei milites quinquaginta ex omni classe deligendi potestatem facit. eos ei milites attribuit. Ille cum iis trireme impositus Pylon noctu proficiscitur: expositusque clam in Epirotæ domum oppidi muro vicinam se atque milites occultuit, quoad die inlucescente portæ oppidi aperirentur: apertis portis Demetrius cum suis in oppidum irrumpit, & Turcas, qui oppidi erant præsidio, imparatos obtruncat circiter quinquaginta, paucis elapsis, qui se muro dejecerunt. Ita oppidum recipitur. Ad id Pisaurus triremes duas cum militibus, & Hieronymo Pisano legato, qui præesset, oppidumque communiret, Venetoque cive Sylvestro Trono, quem is magistratum ibi relinqueret, statim misit: nam quod erat portu egregio, reipublicæ fore usui ad classes recipiendas & tuendas mirum in modum existimabatur. Eo capto equites centum quinquaginta cum uxoribus & liberis Co-

Pylos recipitur.

rone

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1500 rone se Pylon evestigio contulerunt, oppidumque munierunt.

Sed jam vallo ad Cephallenem excitato, uti de superiore loco nostri in oppidum introspicerent, duces oppugnare, quibus a partibus poterant, uno tempore sunt adorti, eo uterque animo, eaque cura, ut utrius plures essent eo in bello partes, non facile dignoscerес; Consalvusque civis esse Venetus & ipse videretur. neque ejus quidem milites ullo in munere a nostris se militibus relinqui sustinebant; homines duri, parcoque victu assueti, & cum audaci in primis virtute, tum maxime habiles qui oppidorum oppugnationibus adhiberentur. Ea in aggressione Marcus Orius navium onerariarum præfectus, una cum Hispano homine impigro, quem ei Consalvus muneris socium dederat, militesque aliquot se in muro atque munitionibus primi omnium illatis signis ostenderunt. Ea re hostes perterriti, cedere, seque recipere in arcem oppidi cum vellent, irrumpentibus omni ex parte reliquis, cæsi captique sunt, præter paucos, qui se primo impetu in arcem intulerunt, qui tamen paulo post se Consalvo dediderunt, cum Venetorum iram, quos & ipsi sæpius elusissent, & rex eorum maximis incommodis affecisset, non injuria pertimescerent. Cephallene in reipublicæ ditionem anni exitu redacta, oppido Aloisius Salomonius, arci Joannes Venerius, toti insulæ Franciscus Leo a Pisauro sunt præfecti dati in annos duos. Arx etiam ut multo communitior fieret, institutum. Missaque Pylon navis oneraria magna, qua in navi Coronæi, qui cum familiis eo venerant, Cephallenem adveherentur: nam quod eam insulam propter bonitatem agrorum maxime esse feracem intelligebant, & illi, qui libere Pylo exire atque agros colere hostibus Methonem obtinentibus non poterant, & multi præterea homines Turcas perosi, eo ad incolendum e continenti commigraverunt. quam quidem ad rem portus perampli perque optimi facultas, quo nullus est eo toto mari fere præstantior, magnum adjumentum afferebat. Itaque parvo temporis spatio a magna est advenarum multitudine coli cœpta, cum per biennium a classibus reipublicæ vexata, cultoribus infrequentior fuisset.

Cephallene capitur a Venetis prid. kal. januar.

1501

Illis

Illis diebus triremes duæ Naupliam a Pisauro missæ, 1501
dum redeunt, biremes Thracias quatuor expugnaverunt, birememque unam Venetam, quam illi ad Aeginam insulam ceperant, recuperaverunt. Consalvus, qui suam classem in aqua menses complures habuisset, magnamque navium partem inutilem ad navigandum brevi futuram videret, Methones autem recuperandæ negotium Pisaurus in aliud tempus distulisset, quod Turcæ, Pylo amisso, eam militibus apprime communierant, diligentiusque tuebantur: se reversurum vere ineunte pollicitus, ad classem reficiendam primis anni diebus in Siciliam rediit. Ante autem quam proficisceretur, vini Cretici amphoræ quingentæ, casei libræ sexaginta millia ei dono a Pisauro datæ. alia etiam ab urbe munera pretiosiora a Senatu mitti nunciatum, quæ ille Senatui gratias agens se non cupere præ se tulit: suorum enim regum in rempublicam benivolentiæ causa venisse, quibus satis omnibus pro muneribus esset, par atque mutua Senatus in illos voluntas & benivolentia. Senatus tamen posteaquam de Consalvi abitu est ei nunciatum, legem tulit, uti Consalvo civitas cum jure comitiorum daretur, civisque Venetus cum libris argenti fabrefacti ducentis sexaginta sex in Siciliam ad illum mitteretur, qui eum de republica optime meritum diceret. lectusque Gabriel Maurus, unus ex magistratibus qui res maritimas in Senatu procurant, paulo post est profectus.

Pisaurus cum sciret in sinu Ambracio naves longas complures, quas hostes fabricari curavissent, esse jam deductas: navibus longis aliquot, onerariaque una Cephallenæ præsidio relictis, decimo calendas februarias sua cum classe triremium leviorum quatuordecim, graviorum octo, navium onerariarum quatuor (reliquas enim missas fecerat) ad insulam Leucadiam est profectus. Ejus in insulæ portu, in quo nihil offendi poterat, ex omni triremium numero levioribus lectis octo, atque in illas ex reliquis navibus, quos visum est, remigibus & militibus impositis, cum iis ad sinum Ambracium provehitur, reliquis navibus in portu relictis. Is habet finus aditum perangustum, qua naves commeant, ut lapide manu jacto fere trajiciatur: reliqua latitudo vadis brevioribus

Sinus Ambracii descriptio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2016)

1501 bus impedita, navigia triremesque non recipit. In ejus ore sinus, turris est communita ad arcendos, si qui ingredi vi experiantur. Pisaurus citatis remigibus dum turrim prætervehitur, jactu ab ea tormentorum tribus aut quatuor militibus interfectis, ad triremes Thracias numero undecim, rebus jam omnibus armamentisque instructas processit. Portus est in sinu Ambracio, in quem flumen, quod nunc appellatur *Prevesa*, influit. eo in portu navalia ad tuendum locum idoneo sunt castello proxima: aditus vero ad portum ejusmodi, ut singulæ tantum triremes ingredi possint. iis in navalibus fabricatæ naves Thraciæ tum in portu stationem habebant. Eo ingressus Pisaurus, expositisque militibus, hostes castello egressos, quique naves adservabant, acerrime cum iis congressos fudit, incensisque ædificiis, præda etiam rerum ad armandas naves comparatarum ingenti facta, triremes hostium novas omnes remulco e portu abduxit: duas veteres, quæ semiplenæ aqua ad littus erant deligatæ, incendit; cum iis in rebus administrandis quadraginta ex suis præda cupidius allectos, temereque procurrentes amisisset. abductas deinde lateri suarum navium adglutinans, atque ad turrim conversas trahens, reliquis omnibus incolumibus, ad eos, quos in portu Leucadiæ reliquerat, rediit; Corcyramque omnibus cum navibus ad supplendam classem ante diem calendarum februarii venit. Ibi Hjeronymo Contareno legato reperto, qui ex Leucadiæ littoribus valetudinis, ut ajebat, causa nullo Pisauri permissu Corcyram discesserat, eum ignominia notavit, ut legatione præfecturisque omnibus annos duos careret. Eodem tempore, uti qui pro republica mortem oppetiissent, inornati ne relinquerentur, in Senatu lex est lata, ut Gurlini Ravennatis, qui Cephallenæ, Antonii Fabri, Pauli Epirotæ præfectorum militum, qui Methone interfecti fuerant, liberis, quoad viverent, pensiones annuæ curarentur: ipsorum præterea filiabus sex, dos sesquilibra auri singulis constituta. Neque multo post Aloisii Michaelis liberis, & Joannis Maripetri fratribus, quos utrosque triremium præfectos auxilio Methonensium a proimperatore missos ab hostibus interfectos dixeramus, arcis Mestrinæ, itemque Patavinæ ad Medoaci in oppidum influxum

1501 præfecturas, alteris per annos quindecim, alteris quoad eorum major natu viveret, & uni virgini dotem civitas dono dedit. Reliquis triremium præfectis, qui Methone capti eodem impetu fuerant, seque pecunia redemerant, Alexandro Gotio Corcyrensi, in ea insula magistratus: Nicolao Cucaro Hydruntino, in sua urbe item magistratus, & auri libra unciæque septem annuæ; Jacobo Balbo Parensi, auri itidem libra unciæque. Item singulis omnium tributorum immunitas attributa: præmia insuper in complures vivos, qui se fortiter atque amanter gesserant, ex Pisauri literis honorifice collata: dataque lectis ad id magistratibus cura, ut Methonensium, quibus quidem aut parentes aut fratres, aut liberi pro republica interfecti fuissent, qui Venetias venissent, causas cognoscerent, deque eis ad Patres referrent, ut pro cujusque incommodis & jacturis a Senatu sarcirentur, aut omnino sublevarentur. Latum præterea de Naupliis, uti eis, bello confecto, immunitas per annos decem concederetur: domusque eorum, quas ipsi dirui permisissent, ut oppidum communitius fieret, reipublicæ pecunia restituerentur.

Iis rebus domi forisque administratis, Cæsar Alexandri filius, cui paulo ante a republica petente patre cum jure comitiorum civitas data fuerat, puellam ex Elisabetæ Metaurensium reginæ famulatu, ad Carratium reipublicæ militibus præfectum, cui erat nuptui tradita, proficiscentem, medio inter Ariminum Ravennamque itinere, missis Cesena suis equitibus, vi rapuit, comitatu ejus pulso, vulneratis compluribus. Ejus ille oppidi paucis ante mensibus regnum obtinuerat, Alexandro tradente, tum Pisauri atque Arimini republica ægre illa quidem, quod ad Ariminum attinet, ac pene subinuita, sed tamen ut perpetuis Alexandri postulatis precibusque satisfieret, una cum Aloisio rege Galliæ, qui suas ei copias iterum dederat, annuente atque permittente. Ea erat puella amræ pulchritudinis. itaque amore incensus adolescens, cum pretio aut precibus assequi se se posse nihil videret, sumpta a novo regno ani-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 animis, ad vim faciendam ſe convertit, & virgine per ſcelus eſt potitus. Ea re ad Patres celeriter delata, Decemvirum decreto Aloiſius Manentius eſt ad Cæſarem eo ipſo die juſſus contendere (is erat Fori Cornelii) queſtum de injuria tam inſigni, quam reſpublica pro ſuis in eum beneficiis nihil meruiſſet, puellamque repetitum. Poſteroque die Aloiſii regis legatus, re a Patribus graviter apud illum expoſtulantibus cognita, ſua ſponte ad Cæſarem iiſdem cum mandatis eſt profectus, cum eam fraudem atque injuriam etiam ad ſuum regem, qui Cæſarem, ut Flaminia potiretur, adjuviſſet, exiſtimaret pertinere. nihiloque ſecius literæ ſunt ad Alexandrum a Senatu datæ magna cum querela. Sed neque Manentius, neque regis legatus quidquam apud eum valuerunt, nedum literæ ad patrem miſſæ proficerent. pernegavit enim ille ſuo juſſu id feciſſe, qui puellam rapuiſſent; neque ſe, qui eſſent, adhuc quidem comperiſſe: repertis autem raptoribus, cui quidem rei omnem eſſet diligentiam adhibiturus, ſe daturum operam, ut & rex, & Senatus Venetus, & omnes homines intelligerent, quam ægre tulerit ſuis in finibus id fuiſſe facinus atque flagitium perpetratum: puellas ſibi non deeſſe, quas habere facile poſſit; ne hac tanta cum reipublicæ offenſione atque invidia, & ſuo cum probro, per vim atque fraudem potiri concupierit. Patres verba ſibi dari intelligentes, cum mittendis nunciis ac literis multos dies conſumpſiſſent, quod rebus belli ab ea cogitatione avocabantur, Carratium, qui ad eos queſtum venerat, conſolati, ejus vindictam ſceleris in aliud tempus diſtulerunt.

Venetorum cum Uladislao Pannone fœdus in Turcas.

Poſt hæc autem reipublicæ legati, qui ad Uladislaum Pannoniæ regem anno ſuperiore miſſi fuerant, ut illum ad bellum in Turcas incitarent, fœdus cum rege aliquando tandem percuſſerunt: quo ex fœdere bellum regi Thracio inferre omnibus copiis Uladislaus jubebatur; res vero publica mille auri libras tribus penſionibus regi Pannoniæ mittere quotannis tenebatur, quoad bellum eſſet confectum. Ei fœderi feriendo Alexander & auctoritatem adhibuit ſuam, miſſo Roma legato e Cardinalium collegio, & auri libras annuas

nuas quadringentas regi Pannoniæ per triennium pollicitus 1501
eſt ſe daturum. Domi vero inter hæc, ne ad bellum pecunia deeſſet, lex eſt lata, uti qui fundos atque agros in continenti poſſiderent, pro quoque ſoli culti jugero, ſiliquas argenti ſeptem in ærarium conferrent; ſemel quidem tantum, præter Carnos, quorum ſe in fines Turcæ ſuperiori anno intuliſſent: literæque ad civitates datæ, quæ eas hortarentur, tam duris reipublicæ temporibus ne deeſſent, atque urbem laborantem ſublevarent. Piſaurus claſſe Corcyræ remigibus reliquiſque rebus inſtaurata, ad naves longas, quas Turcæ in Loi fluminis ripis ædificaverant, atque in flumen deduxerant, capiendas aut incendendas animum adjecit. itaque cum ſciret ejus fluminis oſtium adiri magnis a navibus non poſſe, alveo diffundente ſe ſe magis, quam demittente, niſi cum flumen ex imbribus creviſſet: tametſi invecta hoſtium navigia ſatis alta aqua excipiebat, onerariarum & longarum navium ſcaphas complures integi juſſit, quibus in ſcaphis atque in biremibus duabus milites impoſuit, Marcumque Orium navium onerariarum præfectum, qui ſe obtulerat, ei negotio præpoſuit. ipſe Aulonam cum longis navibus eſt aggreſſus, ut hoſtes occupatos ea in propugnatione diſtineret, ne ſuas peti naves exiſtimarent. Porro Turcæ vel de ea re, ut ſæpe fit, certiores facti, vel ipſimet propter recentem in ſinu Ambracio navium ſuarum jacturam idem in Loo flumine metuentes; eas naves longius ab oſtio in flumen introduxerant, paſſuum millia quatuordecim, atque una compoſuerant ſic, ut proras Secundum curſum fluminis converſas haberent: ipſæ, quod remi nondum erant impoſiti, inter ſe conjunctæ totum flumen caperent. Ripas autem Turcæ tormentis communierant ad naves hoſtium repellendas. Orius audaciſſime ſuperato flumine, cum navibus Thraciis appropinquaviſſet, ea magno militum præſidio fultas atque inſtructas eſt conſpicatus: tum miſſis in eum ex utraque ripa frequentibus tormentorum pilis, ad illas propius accedere non potuit. itaque omnem aditum fruſtra expertus, creſcente hinc atque hinc hoſtium multitudine ſcaphas retrahi imperat. Red-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 euntibus Turcæ ſummis in ripis atque ipſo prope in flumine occurrerunt, naviculamque unam truncis ramiſque arborum, quos in flumen dejecerant, impeditam oppreſſerunt. Ipſe cum reliquis incolumibus ad oſtium fluminis cum revertiſſet, atque interim mare, quod vadoſum late erat, magno coorto vento ſe excitaviſſet, erumpere auſi mediis in vadis naufragium fecerunt : quorum pars interiit, atque in his Hieronymus Maurocenus propinquus meus, navis onerariæ bellicæ præfectus, magno animo, magnaque virtute. reliqui plerique in litus ejecti, ab hoſtibus capti ſunt, præter naviculas pauculas, quæ tempeſtate ſuperata ſe Dyrrhachium contulerunt, quo jam venerat Piſaurus, eaque illum de re certiorem fecerunt. Marcus Orius, & Vincentius Paſcalicus, navis item bellicæ præfectus, capti. ac fuit eorum qui interierunt, & qui in manus hoſtium pervenerunt, numerus circiter trecenti.

Alexium ſe Venetis dedit.

Piſauro Dyrrhachio digreſſo, Georgii Caſtriotæ Epirotæ hortatu & Antonii Boni legati, ſponte ſe Alexiani dediderunt. Eſt Alexium in Drino flumine, quod vado tranſiri non poteſt, inſula triquetra, mare uno ab latere attingens, ab reliquis flumen, quod ipſa dirimit. Eorum quodque laterum tria millia paſſuum efficit : ipſa vallo circummunita : quam ad inſulam, capta ab rege Thracio Scodra, eorum locorum ſe ſe homines contulerunt, atque incolere cœperunt. Ea Turcæ ad mercaturam utebantur, magnumque frumenti numerum, quo montani late homines earum regionum alerentur, neque parvam ſalis copiam cuotannis eo convehebant : picis autem ceræque ac mellis magnam vim eodem ab interioribus Illyrici finibus, atque ab Epiro importari ſolitam coemebant. Iſque reipublicæ uſui futurus locus videbatur. Eo tempore Alexander triremes reipublicæ viginti pecunia ſua ſacraque ſe armaturum pollicitus, quibus civitas bello Thracio uteretur, quindecim modo per ſuos miniſtros, ut inſtruerentur, diligentiam adhibuit : reliquas quinque Senatui armandas remiſit, cum ei pecuniam ſacram, quam homines in imperio Veneto, ut criminibus & maleficiis obnoxii, ob commiſſa poſt mortem apud

apud inferos pœna liberarentur, ex Alexandri literis perſol- 1501
verent, bello Thracio inſumendam permiſiſſet : quarum omnino viginti navium imperium legatus ab ſe ſe datus obtineret. *Is* fuit Jacobus Piſaurus Epiſcopus Paphiorum ex Veneta nobilitate : qui etiam majori earum navium parti, quam Venetiis armandam curavit (nam reliquam in Flaminiæ maritimis municipiis Anconæ inſtruxerat) præfectos cives ſibi Venetos adlegit. Pecuniæ vero ſacræ ſummam libuit mihi huic loco adſcribere, ut intelligi poſſit, quanta quamque ardens eo tempore fuerit in hominum mentibus religionis exiſtimatio, & Deorum immortalium timor. Porro in urbe auri libræ ducentæ nonaginta ſeptem eo nomine ſunt confectæ, Patavii una & ſexaginta, Vicetiæ ſexagintaquatuor & ſemilibra, Veronæ una & triginta, Brixiæ quadraginta octo, Bergomi fere quadragintaquatuor, Cremonæ duodecim, Cremæ plus novem, Tauriſi viginti-quatuor, Feltriæ duodecim & ſemilibra, Cividali Carnico novem, Utini quadraginta duæ. atque ut a claris urbibus ad tenuiora oppida deſcendamus, Foſſa Clodia libras auri paulo minus octo facile contulit : Portus, quem *Gruarium* appellant, fere undecim : Colonia, qui quidem vicus eſt in Vicetinorum finibus, quatuor : itemque ſupraquam quis crederet alia in continenti caſtella, vicique : ut eſſet ſumma omnis auri libræ ſepties centies & nonies, ſoque amplius.

Atque illo ipſo tempore Cæſar Alexandri filius diu preſſam armis atque acri obſidione Faventiam, a qua Patres Alexandri precibus legatum ſuum revocaverant, certis conditionibus tandem cepit : Heſtorique puero ea lege ſe dedenti, ut ſalvus ſoſpeſque eſſet, fidem fregit : Romamque adductum, atque in cuſtodia complures ad menſes adſervatum necavit. Per eos etiam dies Patavii Baptiſta Zenus e Cardinalium collegio moritur, grandi pecunia, augentique fabrefacti magno pondere teſtamenti tabulis ſuæ genti, & propinquis, & ſacerdotium collegiis, & reipublicæ relicto. Abſcondiderat is Roma veniens, aliquot ante annos auri libras ducentas ſexaginta Arcionæ in ædis ſacræ pariete. de eo

Baptiſtæ Cardinalis Zeni obitus VIII. id. maj.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 Alexander a Senatu certior factus, aurum abſtulit. Zeno ad urbem delato, funus ampliſſimum publice curatum. Laudavit Angelus Gabriel. Poſtea ei ex teſtamento Senatus in ædis Marciæ porticu ſepulcrum ex ære ponendum locavit.

Pylos iterum a Turcis capitur.

Interea in Achaja magnum incommodum publice eſt acceptum, Pylo ab rege Thracio iterum capta. Is enim cum eo & terreſtri itinere equitum millia complura, & mari triremes quatuordecim, & biremulas quinque (ſic enim naves eas appellant, quæ fere ſemitriremium loco ſunt) Camali præfecto miſiſſet, eſſentque in Pyli portu triremes reipublicæ tres ſine ulla ſtatione aut ſpecula: eas Camales improviſo aggreſſus, non magno negotio cepit. aliquot ex iis, qui in eis erant, fuga in ſcaphis elapſi, ad triremes quinque majores reipublicæ quæ cum mercibus Beryto illo ipſo tempore venerant, erantque in anchoris portui vicinæ, ſe contulerunt. Eæ quinque eadem formidine uſæ, cum terrori eſſe hoſtibus potuiſſent, velis factis abierunt. quarum conſpecta fuga, qui Pylo præerant, ſe ſe hoſtibus dediderunt. Earum triremium præfectis eo minus ignoſcendum fuit, quod paulo ante Cretæ cum eſſent, a Piſauro eis erat imperatum, ut ſe Pyli expectarent: iſque poſtero die cum triremibus quindecim eo venit. Sed Camales, cum Piſauri claſſem e longinquo venientem ii qui in ſpecula erant poſiti conſpexiſſent (id enim ne accideret, verebatur, ut in Piſaurum, quem brevi eo venturum a captivis intellexerat, imprudens incideret) eveſtigio triremes captas abducens, lituſque proximum legens, ei ſe vitabundus eripuit.

Piſaurus deinde Corcyram adveniens, quod audierat naves longas Turcas e Loo flumine, quæ in eo erant, brevi educturos, triremes aliquot miſit, quæ oſtium fluminis adſervarent: ipſe cum reliqua claſſe longarum navium viginti-quinque in Achajam revehitur, atque in Corones finibus magnum hominum numerum cum uxoribus & liberis ſuis in navibus impoſuit, quos Cephallenem ad incolendum traduceret. Paulo poſt Aeginæ cum eſſet, intellexiſſetque Megaræ & biremes fabricari, & frumenti magnam copiam eſſe, Aloiſium Lauredanum legatum cum navibus octo, ſi quid

Megara capitur & diruitur.

quid ex uſu efficere poſſet, eo miſit. Is bireme una cum hominibus, altera vacua captis, expoſitis militibus, & equitibus Naupliis adhibitis, prælio cum Megarenſibus commiſſo eos fudit: atque arcem, quæ a Thracibus defendebatur, magno impetu cepit: ac reſte ſuſpenſis iis, qui oppugnationi ſuperfuerant, quoſque cum biremi ceperat, frumentoque omni abducto, oppidum incenſum ac ſolo æquatum delevit, ne impedimento Naupliis eſſet, quo minus eo ab latere quam vellent libere vagari eis liceret. Idem poſtea complures ad inſulas, poſtremo ad Eubœam profectus, prædam, & quidem opulentam, abegit, oppidaque aliquot & caſtella multa incendit, ac magnum propugnatorum numerum interfecit, ingenti undique omni illo in mari terrore hoſtibus atque formidine incuſſa. Quo quidem tempore captis ab ſe oppidis rex metuens, Coronem, Methonem, Pylon muris & propugnaculis, reliquiſque rebus ad hoſtem repellendum idoneis, & militum præſidio apprime communivit. Naupliі autem equites, cum hoſtes ad illos laceſſendos in eorum prope ſuburbia irrupiſſent, egreſſi eos fuderunt: ex quibus ducenti quinquaginta interfecti atque capti. Idem paulo poſt alii hoſtium equites Catarbejo duce aggreſſi, omnes a Naupliis capti ſunt præter ducem, qui cum duobus equitibus aufugit. Reverſo Corcyram Piſauro, ut claſſem regis Galliæ, itemque regis Luſitaniæ, de quibus proximo libro dicetur, expectaret: magiſtratus reipublicæ qui Dyrrhachio præerat, morbo affectus, ut valetudinem curaret, Olicinium ſe contulit cœli ſalubrioris gratia. Eam occaſionem nacti hoſtes, noctu Dyrrachium furtim aggreſſi, ſcalis ad murum poſitis ſe in oppidum intulerunt: interfectiſque paucis ſomno expergefactis oppido ſunt potiti. Sed ea æſtate foris Pylo atque Dyrrhachio amiſſis, nullo autem negotio, quod magnopere exercitu eſſet, confecto, domi Auguſtinus Barbadicus vita functus eſt, de mente ſeptembri, cum annos XV. civitatis principatum obtinuiſſet.

Dyrrachium a Turcis capitur.

Auguſtini Barbadici, Principis, obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN LIBRUM SEXTUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

NOvarum terrarum gentiumque narratio. Galliæ regis cum Maximiliano Cæsare pax. Leonardus Lauredanus Princeps Venetiis declaratur. Gallica & Lusitana classes Venetis auxilio missæ re infecta recedunt. Federicus rex ab Galliæ & Hispaniæ regibus, regnum inter se dividentibus, pellitur. Venetorum cum Turcis belli progressus. Pannoniæ regis cum Turca bellum. Mitylenes a Veneta & Gallica classe oppugnatur. Ericus pirata capitur comburiturque. Antonii Mimi & Lauredani Principis de stipendiis magistratuum dimidiis accipiendis contrariæ actiones. Triremium præfecti, qui rem ignaviter gesserant, ignominia notati. Lucretia Borgia Alfonso Atestino nubit. Res a Pannoniæ rege contra Turcas feliciter gestæ. Cives Veneti Byzantii libertati restituti. Metaurensium ducis oppida a Cæsare Borgia insidiis occupantur. Anna Candala Pannoniæ regi nubit, & Venetias venit. Aloysius rex iterum in Italiam venit, ejusdemque cum Hispaniæ regibus ob imperii fines in regno Neapolitano bellum. Leucadia a Venetis capitur. Guidus-Ubaldus, nullo apud Aloysium regem præsidio invento, se Venetias confert: deinde Ursinorum auxilio in ducatum suum redit. Multi populi se reipublicæ dedere volentes rejiciuntur. Hispaniæ regum ad Senatum legatio. Guidus-Ubaldus iterum a Cæsare pellitur, & ab eodem multi principes necantur. Lex in eos, qui sacerdotia emerent, lata. Ioannis Michaelis Cardinalis interitus. Bajazetis cum Venetis & Pannoniæ rege pax. Galliæ rex novum cum Venetis fœdus petit. Alexandri Pontificis interitus & Cæsaris Borgiæ calamitates. Benedicti Pisauri obitus. Guidus-Ubaldus iterum in principatum suum redit. Pius III. Pontifex creatur & moritur; eique Julius II. succedit. Multa Flaminiæ oppida reipublicæ deduntur. Florentinorum contra Venetos artes. Pandulphus Malatesta Ariminum Venetis tradit. Faventia a Venetis capitur. Julii Pontificis contra Venetos consilia. Nicolao Ursino imperium prorogatur.

PE-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM HISTORIAE
LIBER VI.



Alibus jactatæ incommodis civitati, ma- 1501
lum etiam inopinatum ab longinquis *Navigatio in Arabiam & Indiam per oceanum.*
gentibus & regionibus extitit. Petro enim Pascalici apud Emanuelem Lusitaniæ regem legati literis Patres certiores facti sunt, regem illum per Mauritaniæ Getuliæque oceanum convehendis ex Arabia Indiaque mercibus itinera, suis tentata sæpe navibus, demum explorata compertaque habuisse: navesque aliquot eo missas, pipere, & cinnamo ejusmodique rebus onustas Olysipponem revertisse: itaque futurum, ut ejus rei facultate Hispanis hominibus tradita, nostri in posterum cives parcius angustiusque mercarentur, magnique illi proventus, qui urbem opulentam reddidissent, toti pene terrarum orbi rebus Indicis tradendis, civitatem deficerent. Eo nuncio Patres accepto non parvam ani-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 animi ægritudinem contraxerunt, quam tamen compendiis aliorum populorum ſolabantur. Simul & illud cogitabant, amabile profecto eſſe, novas regiones alterumque prope acquiri orbem, genteſque abditas atque ſepoſitas celebrari. Ac poſteaquam hunc ad locum meorum me commentariorum curſus perduxit, non alienum eſſe arbitror, quod ejus rei omnium, quas ulla ætas unquam ab hominibus effectas vidit, maximæ atque pulcherrimæ fuerit initium; tum quæ terrarum portio poſt id, quæ ve gentes, & quibus moribus ſint repertæ, quantum ſuſcepti operis ratio permittet, breviter dicere.

Novi orbis per Columbum detectio.

Erat Columbus homo Ligur ingenio peracri, qui multas emenſus regiones, multum maris & oceani perluſtraverat. is, ut eſt humanus animus novarum rerum appetens, Ferdinando & Iſabellæ Hiſpaniæ regibus proponit, edocetque: *Illud, quod omnis fere antiquitas credidit, quinque eſſe cœli partes, quarum media caloribus, extremæ duæ frigoribus ſic afficiantur, ut quæ ſub illis ſint totidem terræ plagæ, incoli ab hominibus non poſſint; duæ tantum inter eas ſub eiſdem poſitæ cœli partibus poſſint: inanem eſſe antiquorum hominum fabulam & nullis veris rationibus fultam, & confirmatam deſcriptionem. improvidum prope neceſſe eſſe haberi Deum, ſi ita mundum ſit fabricatus, ut longe major terrarum pars propter nimiam intemperiem hominibus vacua, nullum ex ſe ſe uſum præbeat. globum eſſe terræ hunc ejuſmodi, ut commeandi per omnes ejus partes facultas hominibus ne deſit. cur ſub media cœli converſione degi non poſſit, ubi diei calor cum noctis frigore pari dimenſo utriuſque moræ ſpatio temperetur? præſertim cum tam cito ſol in alterutram declinet partem: cumque ſub iis cœli converſionibus, in quibus noſtro vertici propior longinquam ſol moram trahit, tamen degatur? algentes ſub ſeptentrionalibus eſſe terras, ſed eas hominibus non defici. ſic ſub auſtrali terras eſſe frigidas vertice, eſſe animantium atque hominum genus. quem Oceanum ſcriptores appellarint, eum non eſſe inertis magnitudinis, ſed inſulis atque terris ſcatere, quas homines inhabitent: itaque vigere*

gere atque incoli univerſum globum, qui ubique ſit vitalis auræ particeps. Hac oratione apud reges habita petit, 1501
ut ſibi liceat eorum opibus novas inſulas, nova litora quærere: ſpem ſe habere, non defore incœptis fortunam: editionemque ipſorum magnopere iri auctum, ſi rem ſuſceperint, confirmat. Ab regibus nova ſpe allectis ſententia Columbi, quam quidem totum ſeptennium rejecerant, ad extremum comprobata, quam tamen multo antea Poſſidonii philoſophi Panetii diſcipuli primum, deinde etiam Avicennæ medici fuiſſe video, magni & præclari viri, anno ab urbe condita milleſimo ſeptuageſimo primo, tribus cum navibus Columbus ad inſulas Fortunatas, de quibus ſuperioribus libris ſermonem habuimus, quas *Canarias* appellant, profectus, atque ab iis tres & triginta totos dies occidentem ſequutus ſolem, ſex numero inſulas reperit; quarum ſunt duæ ingentis magnitudinis; quibus in inſulis luſciniæ novembri menſe canerent; homines nudi, ingenio miti, lintribus ex uno ligno factis uterentur. Frumentum hi habent, quod *maicem* appellant, multo, quam nos, ſpica & culmo grandioribus, arundineiſque foliis, & plurimo ac rotundo grano, quod ſpicæ infixum membrana pro ariſtis veſtitur, quam quidem matureſcens rejiciat. Animalium quadrupedum genera habent perpauca: ex his canes puſillos, qui muti etiam ſint nec latrent: avium vero longe plurima, noſtris tum grandiora, tum etiam minora, adeo ut aviculæ inveniantur, quæ ſingulæ ſuo cum nido vigeſimamquartam uncïæ partem non exuperent: pſitacorum magnam copiam, formā & colore variam. Vellera ſponte naſcentia ex nemoribus atque montibus colligunt: ſed ea cum volunt candidiora melioraque fieri, ipſi purgant, atque apud domos ſuas ferunt. Aurum, quod in fluminum arenis legunt, habent: ferrum non habent: itaque præduris atque acutis lapidibus, & ad lintres cavandos, & ad reliquam materiam in uſum domeſticum formandam, aurumque mollendum, pro ferro utuntur. Sed aurum cultus tantummodo gratia molliunt, idque auribus & naribus perforatis pendulum gerunt:

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 gerunt : neque enim numos noverunt, neque ſtipis ullo genere utuntur. Harum duarum inſularum unius cum rege amicitia fœdereque inito Columbus, duodequadriginta ex ſuis apud illum relictis, qui mores & ſermonem gentis addiſcerent, ſeque brevi rediturum expectarent, decem ex inſularibus ſecum ducens, in Hiſpaniam rediit. Hæc illorum itinerum origo, inſtitutæque ad incognitas orbis terrarum oras navigationis initium hoc fuit.

Anno autem inſequente, ut pollicitus fuerat, Columbus cum navibus decem ſeptem, & militibus, & fabris, & commeatu omnis generis miſſu regum eodem rediens, cum ſe ad lævam verſus parumper flexiſſet, quamplures ad inſulas eſt delatus : quarum partem homines incolebant feri truceſque, qui puerorum & virorum carnibus, quos aliis in inſulis bello aut latrociniis cepiſſent, veſcebantur, a fœminis abſtinebant, *Canibales* appellati. Vicos hi habebant vicenis aut tricenis domibus ſingulos : domuſque erant omnes ligneæ, ac rotunda forma, palmis & ſtipulis contectæ, certarumque arborum & arundinum foliis, ad arcendos imbres. Aere utebantur adeo temperato, ut decembri menſe avium aliæ nidos ponerent, aliæ pullos educarent ſuos. Sed cum ad illam inſulam, a qua reditum anno ſuperiore apparaverat, *Hiſpaniolamque* ipſam appellaverat, Columbus revertiſſet, propter ſoli bonitatem magnitudinemque inſulæ, oppidum opportuno loco condere, ac terram colere cœpit. Arbores frondibus nullo anni tempore ſpoliabantur ; una aut altera exceptis, quarum Hiſpani, præter pinum palmamque, nobis cognitam viderunt nullam. Inſulares duobus ſe e ſpecubus terra proditos atque natos dicunt. Deos penates, quos appellant *Zemes*, colunt. eos plebs habet communes, ſuum vero ex regibus quilibet ; eorumque ſimulacra lana contexta in bellum profecturi capiti alligant, juvarique ſe ab iis majorem in modum putant. Noctu vagari mortuos credunt, poſſeque omnia humana membra ſumere præter umbilicum. Ab ſuis *Zemibus* ejuſmodi reſponſa non multos ante annos accepiſſe illos

los conſtat : venturam eo indutam veſtibus gentem, quæ regionem ſubigeret, & ipſorum aboleret Deos. Sed vicinæ huic inſulæ hominibus alterius ex duabus, de quibus ſupra dictum eſt, inſulis, quam quidem & propter magnitudinem Hiſpani terram eſſe continentem crediderunt, & hominum genere atque auri copia multum præſtare cæteris intellexerunt, & *Cubam* appellari didicerunt : ſerpentes nova totius corporis ſpecie ac forma præditi, ſeſquipedis plerunque longitudine, qui ex terra & ex aqua vivunt, in lautioribus erant epulis. Verum enimvero & illi, & qui proximas obtinebant inſulas, quarum magnus erat numerus, plerique auream ætatem agere ; nullum agri modum noſcere ; non judicia, non leges habere ; non literis, non mercatura uti ; non in poſterum ſed in dies vivere. 1501

Hiſpaniæ Luſitaniæque regum diſceptatio per Alexandrum dirempta.

Ac dum hæc conquiruntur, Joannes Luſitaniæ rex per legatos apud Hiſpaniæ reges queritur : *Sua litora, ſuaſque regiones ab ipſis tentari : eas, quas reperiſſent inſulas ad ſe ſpectare, qui Heſperides habeat, & cujus majores oceanum percurrere ante omnes alios ſint auſi.* Contra Hiſpaniæ reges dicere : *Quæ non fuerint ullo ab homine ante parta, omnibus hominibus patere : ſe nulli eſſe injurios, ſi ab cæteris ignorata, labore & ſtudio acquiſiverint ſuo.* Itaque magnis ex ea re obortis inter eos diſceptationibus, ne controverſiæ ejuſmodi ad bellum deducerentur, utrique ſe Alexandri Pontificis Maximi judicio ſtaturos ſpondent. Alexander tota re cognita ſtatuit, ut a ſeptentrionibus directa ducta in auſtralem polum linea, quæ a Gorgonum inſulis tercenta millia paſſus in occaſum diſtaret, quæ pars orbis in oceano ad occidentem ſolem eſſet, ea Hiſpaniæ regibus cederet : quæ ad orientem ſpectaret, juris Luſitani cenſeretur. Ita orbis terrarum alterum oceani ora in duas diviſus partes, duobus regibus perquirendus & obtinendus eſt traditus. ad quam quidem certe rem magna utrique diligentia conſequendam ſe dedit.

Sed Hiſpanis ulteriora tentantibus, terra eſt objecta continens paulo minus decies centena millia paſſuum ab

Hiſpa-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 Hiſpaniola protenſa meridiem verſus : atque in ea populi ſub rege bellum cum finitimis gerente occurrerunt : quorum fœminæ virum paſſæ, nullam partem corporis, præter muliebria, virgines ne illam quidem tegebant. Regem ii ſuum honoris gratia ſublime in humeris ferunt. Tum alii deinde populi capillo promiſſo, & liberali aſpectu, auro atque gemmis culti. Vino ii utuntur albo nigroque ex quibuſdam confecto fructibus, ſapore delectabili. Poſt hos item alii, qui certarum ſe herbarum colloribus pullo & purpureo inficiunt : aſpectuque ſunt in pugna eam ob rem tetriore ac horribiliore. Demum gens inventa agilis admodum, & item nuda, genitalibus tantummodo cucurbitula vel marina teſta incluſis. Cadavera ibi regum & magnorum hominum deſiccata in domibus aſſervantur, eaque in honore magno habent. eſt etiam, ubi arida facta conterant, eoque pulvere in epulis & poculis honoris cauſa utantur. Poſtremo autem ad meridiem audacius in dies iter flectentibus Hiſpanis, cum vertex ſe ſubducere noſter cœpit, tum e regione alia quædam magnopere ſplendentium quatuor ſtellarum forma atque ſeries extitit, quam eſſe auſtralis verticis faciem crediderunt. Viſi poſt hæc homines noſtris longe proceriores, & magno ad obeundas pugnas animo. tum flumen refertum inſulis immani latitudine : patet enim amplius paſſuum millia centum : & ſylvæ arborum, quæ materiam habent ad tingendas lanas idoneam; aliarumque ita procerarum, ut eas viginti hominum extremis ſe manibus contingentium capere complexus ſæpe nequeat. Siliquas hæ producunt longitudine palmari, pollice craſſiores, lanæ molliſſimæ conciſæque plenas ; quæ quidem ob tenuitatem & brevitatem deduci in ſubtegmina fuſis non poſſit, ſed ad farcienda ſtrata culcitraſque magnopere ſit idonea. Animal eæ ſylvæ nutriunt cuniculi magnitudine, gallinis infeſtiſſimum : quod quidem fœmina loculum habet e pelle utero adnexum, quaſi uterum alterum, fœcundum uberibus, in quo catulos ſecum geſtat, emittitque cum vult. itaque ſi animal noxium videt, ſi venatores adeſſe intelligit,

ligit, loculo illos recipit, & incluſos fugiens aufert : 1501
idque tandiu facit, quoad catuli per ſe, & quæ ſibi uſui ad victum ſunt, quærere, & vitam tueri poſſint. In ea terrarum parte homines impuberes in omni ætate ſunt prope univerſi, neque ullos habent pilos. Iidem magnopere natandi artem callent, tum mares tum fœminæ : eique rei a parvulis inſueſcunt. filios ex ſororibus ſibi hæredes inſtituunt, quoniam non dubie ſuæ gentis ſunt. Mulieres adoleſcentes parere, ſervile ducunt eſſe : itaque ſi prægnantes fiunt, herba ad eam rem idonea abortum faciunt. cum vero ætatis flos exaruit, tum pariunt, ac proli ſtudent. Sed quæ regio ſunt ſanguine, negare aliquid ulli viro qui ex nobili ſit genere, in turpibus habent rebus. fere ſemper cum rege mortuo uxor una & altera ſepeliri vult eo cum ornatu, quem vivens adamavit : tum ſervi etiam, & clientes : ita enim ſe cum illo apud ſuperos tota tempora victuros putant. Nonnullæ gentes Deorum imagines filiorum ſuorum infantium ſpargunt ſanguine. Mitiores aliæ, ſacerdotes ita habent inſtitutos, ut barbam, ſi quam habent, aut capillum neque tondeant, neque pectant totius vitæ tempore. Quibuſdam in locis propter paludes incolæ domos in arboribus ædificant, eaſque inhabitant cum uxoribus & liberis. Atque omnibus fere in continentis regionibus aurum ex fluminibus colligunt, aut ex vicinis fluminibus locis, non magna tamen diligentia (neque enim numos cudunt) minutis plerunque cum terra globulis, ſed ſæpe etiam librali pondere, ac nonnunquam multo majoribus. Gemmas vero maximeque margaritas ii habent populi, qui Cubagæ, & Cumanæ, & Terarequi inſulis (ſic enim eas appellant) in ſeptentrionem verſis paulum a media cœli converſione declinantibus ſunt proximi : ubi eas urinatores expiſcantur, tanta cum mari aſſuetudine, ut ſemihoræ interdum ſpatium conchis margaritarum conquirendis ſub aqua ſe contineant. Earum magna vis ab incolis regibus Hiſpanis tradita, nobilium fœminarum mundum facile auxit. Atque ea quidem omnia ante hos plane annos, quibus hæc a nobis

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODËR (2018)

1501 nobis conſcribi cœpta ſunt, contigerunt: nam quæ proxime gentes bello ab Hiſpanis ſunt devictæ, eæ porro & veſtium cultu, & oppidorum nobilitate, & bellandi ſtudio, & hominum frequentia, & finium ac regnorum amplitudine, reliquis earum regionum omnibus multum præſtant, quorum nonnulli ſolem & lunam, uti virum & uxorem, colunt. neque impuberes plane ſunt, venuſta etiam forma, & probis moribus fœminæ, tum ornatæ gemmis præter cætera extremas quoque ſuras ad talos uſque. auro autem ſic abundant, ut parietes templorum ac domorum reges eo veſtiant: & vaſis ad victum domeſticum prope omnibus, uti nos ahenis aut teſtaceis, ſic illi aureis utantur. itaque victi magno auri pondere Hiſpaniam referſerunt. Cum iis, quos ſuperius diximus, populis Meſſicum Temiſtanæ regionis oppidum egregium in lacu ſalſæ aquæ ſitum, ſub cancro fere ad converſionem poſitum, numerare nos oportet, cum pleriſque non oppidis modo, ſed etiam regionibus, ac magno terrarum ſpatio vectigale factum. quod ſi quas etiam terras ad auſtralem verticem poſitas Hiſpaniæ imperio adjecerint, æſtimabitur: nullus prope antiquorum hominum labor eorum induſtriam æquaverit.

Nova Luſitanorum in Arabias & Indias per oceanum navigatio.

Alia ex parte Luſitani, claſſe ab rege comparata, in auſtrum ab Heſperidibus converſi, Africæque promontorio, quod *Bonam ſpem* appellant, trajecto, Aethiopici oceani ſe primum oſtendentibus litoribus, ad continentem nigrorum hominum terram, quæ appellatur Cephala, naves appulerunt, auro divitem: quod interiores eo important populi, ut res alias contra mercentur, nullo id pondere aut menſura, ſed tantum fruſtis ex oculorum fide atque arbitrio permutantes; ut qui accipiunt, ſæpe lucrum centupli faciant: atque ibi arcem condiderunt. Deinde ad Mogambicem regionem delati, portu egregio, & advenarum frequentia nobilem, arce item poſita, ejus ſunt imperio potiti. Labrum inferius hi ſibi homines perforant, oſſulaque aut gemmas foraminibus appendunt cultus honeſtioris gratia. Quiloæ deinde regem bello devictum expu-

expulerunt, eumque tenuerunt. Oppidani domus noſtro 1501
more habent exædificatas, colore ipſi inter nigrum albumque, veſtibus liberaliter induti. Aliis poſt hos relictis populis, mare Rubrum ingreſſi complures nigrorum item & bonorum hominum ac bello fortium civitates adierunt, qui natis ſtatim fœminis naturam conſuunt, quoad urinæ exitus ne impediatur: eaſque cum adoleverint, ſic conſutas in matrimonium collocant, ut ſponſi prima cura ſit conglutinatas atque coalitas puellæ oras ferro interſcindere: tanto in honore apud homines barbaros eſt non ambigua ducendis uxoribus virginitas.

Ac Luſitanis mediam Rubri maris partem tranſgreſſis, Zides ſe oppidum obtulit amplo cum portu, ad quod quidem Indici populi ſuas merces convehebant. eas Aegyptii, qui eo loci mercaturæ cauſa quotannis convenire conſueverunt, camelis imponebant, Alexandriamque perferebant: quas quidem Veneti merces, ſtato anni tempore eam ad urbem adnavigantes, coemebant, domumque convectas omnium gentium mercatoribus, ea ſe de cauſa vulgo petentibus, venditantes, incredibili auri proventu civitatem locupletabant ſuam. Sed poſteaquam ad eas regiones Luſitani venerunt, magna rerum commutatio eſt conſequuta: quidquid enim fere mercaturæ cauſa ex omnibus Arabiæ Indiæque locis mare Rubrum importabatur, ipſi emere domumque convehere cœperunt. qua adductus neceſſitate rex Aegyptius anno ab urbe condita milleſimo octogeſimo, Zidenſium in portu, qui quidem in intimi ejus maris ſinu ſunt, claſſem magno ſumptu comparavit, ut ab Indiæ maris navigatione Luſitanos averteret. ſed ab illis ad Dium in oſtio Indi fluminis oppidum victus, claſſe capta atque incenſa, rem inchoatam reliquit. Zidenſes nullam poſtea, vel omnino medicam rerum Indicarum advectionem habuerunt: ita Aegyptios Venetoſque inſtituta antiquitus mercaturæ ratio, quæ intercipi nullo poſſe tempore videbatur, alio converſa prope deſeruit. Neque hercule propterea Luſitani finem progrediendi fecerunt: ſed ad complures Arabici, Perſici, Indicique inſulas

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 ſulas oceani, atque ad innumeros continentis portus conventuſque hominum profecti, ſylvis felicibus odorum omni genere, ebore, argento, auro, gemmis beatos, ſe contulerunt: & Colocuete, oppido propter affluentem earum rerum, quas in primis quærebant atque adamabant, copiam maxime omnium opportuno, præliis ſecundis factis, & munitionibus inſtitutis in poteſtatem redacto, eas regiones tenuerunt: Taprobaneque inſula multorum menſium itinere poſt tergum relicta, quo nemo unquam penetravit, ſui regis ſigna audaciſſime feliciſſimeque intulerunt. Tametſi majore omnino audacia, felicitate autem nunquam alias audita, ſi vixiſſet, Ernandus Maglajanes Luſitanus fuit, qui Hiſpaniæ regum opibus claſſe comparata, viæ initio in auſtrum ſe flectens, atque ultra mediam cœli converſionem propter continentis terræ oras dextrorſum velificans, magno ſpatio ad polum verſus peracto, ut illum longius altiorem, quam nobis noſter ſit, eo in itinere habuerit; & freti, quod nunc *Maglajanis* appellant, anguſtiis trecentorum millium paſſuum in longitudinem decurſis; iterum ad medium cœli ſpatium ſe convertit: deinde ad auroræ populos atque inſulas odoratarum arborum plenas, quas Molucas appellant, medium complexus globi ſolidi ſpatium pervenit, ibique pugnans interiit. Poſtremo illius comitatus per Luſitanorum partis oceanum labore plurimo univerſi orbis terrarum navigatione triennio confecta, in Hiſpaniam rediit: cumque totius itineris enumeratis diebus rationem, quam in tabulis habebat, repetiſſet, uno ſibi annos illos dierum nominibus domi audiens, reperit: qui omnino anni, ſi ſe is ad orientem, domo profectus, convertiſſet, ac contra ſolem uſquequaque currens illud ipſum iter univerſum confeciſſet, uno breviores die redeunti ſane fuiſſent. ſemper enim tanto citius orienti ſoli occurrens, quanto plus itineris poſt ſe circumvectus reliquiſſet, emenſo demum totius terræ globo, die uno prius ſolem ſibi orientem, quam cum viæ ſe dederat, profecto habuiſſet.

Ernandus Maglajanes primus navigando totum circuit terrarum orbem.

Eodem fere tempore, quo legati Paſcalici literæ ad Senatum

natum venerunt; Aloiſius rex Gallorum Tridenti per le- 1501
gatum ſuum Cardinalem Rotomagenſem, cui Mediolano proficiſcenti (illi enim urbi atque regno præerat) Georgium Cornelium Brixiæ magiſtratum reginæ Cypriæ fratrem Senatus legavit; pacem cum Maximiliano Imperatore certis conditionibus fecerat: quarum illa erat maxima; ut is ſe regem Mediolani appellaret, ipſe in corona, ex qua Maximilianus jure Imperator dici poſſet, more inſtitutoque majorum a Pontifice Maximo Romæ tradenda, auctoritate opibuſque ſuis præſto ei eſſe teneretur. Cardinali per fines reipublicæ cum magno comitatu eunti & redeunti ſumptus eſt publice factus. Sed Barbadici, quem vita functum dixeramus, loco, Leonardum Lauredanum plurimis neceſſitudinibus & propinquitatibus atque affinitatibus fultum, civitas ſibi Principem declaravit. Eo comitia primum habente, ædis Marciæ procuratio, quo in magiſtratu Philippus Tronus, cujus pater Nicolaus annos ſex civitatis principatum obtinuerat, illis ipſis diebus erat mortuus, Benedicto Piſauro claſſis præfecto magno favore civitatis eſt delata. Ejuſdem vero ædis procurationem eam, ex qua Lauredanus ſummum locum inierat, Marinus Garzonius alteris comitiis eſt adeptus. Claſſis interim Gallica itemque Luſitana, quas uterque rex, ut reipublicæ auxilio eſſent, ſe ſe receperat miſſurum, non uno tempore altera Corcyram, altera Zacynthum adveniunt: tametſi neutra omnino earum illi reipublicæ uſui fuit. Galli enim priores apud Zacynthum cum eſſent, Piſauro non expectato, quem auſter ventus Corcyræ multos dies perincommode flans detinuerat, Rhodum verſus profecti ſunt. Sed naves illas Aloiſius ad Federicum regem Neapolis regno expellendum, inita cum Hiſpaniæ regibus ſocietate comparaverat: itaque pulſo illo, ac diviſis regni regionibus ex fœdere, ut Apulia Calabriſque Conſalvo eorum duci traditis, reliqua omnia Aloiſius obtinuerit; claſſem, cujus præterea non magnopere indigebat, juvandæ ad ſpeciem reipublicæ illo miſit. Luſitani autem paulo poſt a Piſauro Corcyræ perliberaliter

Leonardus Lauredanus Dux creatur V. non. oct.

Prid. non. octobr.

VIII. id. oct.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 ter accepti, cum ille ab eis petiiſſet, ut ſecum aut ad Dyrrhachium recuperandum, aut ad inſulam Leucadiam oppugnandam accederent; neutro negotio ſuſcepto, quod dicerent ſuum ſibi regem mandaviſſe, ut contra claſſem Thraciam una cum Veneta omnem belli fortunam experirentur, ab oppidis obſidendis aut omnino tentandis abſtinerent; quo itinere venerant, domum diſceſſerunt. Ea erat claſſis navium onerariarum undetriginta: quarum quinque ſatis magnæ, reliquæ puſillæ, ſed omnes magna tormentorum vi & numero militum pulcherrime inſtructæ, tum opertis ſingularum tegumento verſicolore puppibus, ut late aquam tentoria tangerent, fluctibuſque verrerentur (quoniam in noſtris claſſibus id non fit, præterquam in navibus longis; neque illo impendio, ſed ad uſum tantum) inuſitatam atque egregiam claſſis faciem præbuerunt.

Illis deſtituti Patres claſſibus rogationem jufſerunt, ut triremes in Creta inſula decem armarentur, eiſque triremibus, quo libentius civitates imperata facerent, præfecti Cretenſes imponerentur. Itaque triremes ex navalibus, pecunia in ſtipendium ex ærario eſt in Cretam miſſa. Latum etiam, ne quid intentatum Patres relinquerent, ut Franciſcus Capellus (cui legatione apud Aloiſium functo Dominicus Triviſanus, Hieronymus Donatus de regno Neapolitano ſub ejus imperium redacto gratulatum a Senatu miſſi ſucceſſerant) ad Henricum Britanniæ regem ſocium atque amicum reipublicæ proficiſceretur auxilium in Turcas poſtulatum. Tametſi nuncii venerant, Bajaſetem a rege Pannoniæ bello laceſſitum, ſuas vires eo convertiſſe, navium ædificatione intermiſſa. nam e Pannonia literæ ad Senatum datæ certiores Patres fecerant, Turcas equites, cum Danubium flumen trajeciſſent, ut in fines hoſtium incurſiones facerent, a regio exercitu fuſos, duobus millibus interfectis revertiſſe: tum tranſmiſſo ab eodem exercitu flumine Turcas duobus itineribus intercluſos maleque habitos, partem ſuorum non ſpernendam, una cum duce filioque ducis amiſiſſe. Piſaurus profectis Luſitanis, uti claſſe Gallica ſe conjungeret, omnem diligentiam adhibuit.

Uladislai Pannonis de Turcis victoriæ.

1501 buit. itaque eam demum ad Maleam nactus, muneribus & commeatu largiter præfecto claſſis miſſis, ad Mitylenem expugnandam prope invitus una ſe contulit: cum Galli nihil ea de re antea cum illo communicaviſſent, neque quid ſui conſilii eſſet, ab eo petiiſſent: nihilo tamen ſecius omnibus in rebus ſuam illis operam præſtitit. Itaque tormentis expoſitis, Galli noſtrique oppidum aggreſſi, muro dejecto, repulſis atque occiſis propugnatoribus, magno impetu ipſum ceperunt. Arcem oppidi autem, ſine qua teneri oppidum non poterat, cum jam Veneti turri dejecta ſigna in muros intuliſſent, idemque Ligures ex claſſe Gallica Venetis proximi feciſſent; tamen capere non potuerunt, quod duorum præfectorum interitu, quos hoſtes interfecerant, Galli perterriti ſe in caſtra receperunt. Erant autem ex Armoricis finibus plerique, qui ſuorum ducum dicto audientes non fuerunt. eos ſe recipientes cæteri omnes ſubſequuti, oppugnationem reliquerunt: ita victoria jam plane parta, ſi ſuum Galli munus obiiſſent, interpellata pedem retulit. Accidit autem ab Thracibus ea in oppugnatione res permira, quæ virtutem illorum atque animum oſtenderet. Nam cum tot navibus oppidum obſideretur, tot hoſtium millia circunfuſa ad muros ſtationes haberent: una in biremi & tribus navigiolis milites trecenti a Bajaſetis filio e Magneſia, cui præerat, auxilio miſſi, in arcem ſe inferre velle non dubitaverunt: ſed ab Gallis intercepti, cum ſe fortiſſime defendiſſent, reliquis interfectis viginti eorum Gallos elapſi, quo intenderant, tenuerunt; atque in arcem recepti ſunt. Præfectus claſſis ea ſpe dejectus, Piſauro relicto, diſceſſit: tempeſtate turbidiſſima deprehenſus ad Cytheram inſulam navi ita eliſa, ex hominibus quingentis, qui in ea erant, ipſe perpaucique, qui ſe in parte navis fracta ſcopuloque infixa continuerunt, evaſerunt. Navis ex hujus claſſe altera cum ſexcentis hominibus interiit.

Mitylenis oppugnatio.

Piſaurus, multis diebus ad bellum gerendum idoneis Gallorum cauſa fruſtra conſumptis, hyeme præcipiti ſe ad Melum inſulam contulit. Forte ibi Dricus Thrax, qui

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1501 qui piraticam multos annos exercuerat, plurimaque damna Venetis hominibus intulerat; quod ex Africa veniens naufragium ad insulam fecerat, captus a Meliis in custodia tum erat. Id simul est Pisauro nunciatum, Ericum ad se adduci imperavit; propterea quod is aliquot ante annos civem Venetum Ambrosium Contarenum Franciſci filium, cum quo mercaturæ societatem inierat, nihil ab eo metuentem, cum ejus navi per insidias contra juris-jurandi religionem, apud Thessalonicam a se captum igni

1502 excruciatum necaverat, vivum comburi jussit. Hæc dum foris administrantur, domi, quod pecunia publice deerat, Senatus decrevit, uti quam ipse legem prius, deinde comitia hujus belli initio jusserant, ut magistratus omnes provinciales atque urbani mediam stipendiorum partem reipublicæ remitterent, ea in annum unum prorogaretur. Itaque primis anni diebus cum in comitio Lauredanus, quique illi assident sex viri, & quadraginta virum magistri eam legem pronunciavissent, Joannes Antonius Minius, civis in dicendo satis audax, qui omnem suam ætatem, erat enim jam senex, causis agendis in privatorum patrocinio consumpserat, ejusmodi concionem habuit.

1502 Lauredanus Princeps legem fert de magistratuum stipendiis.

Jo. Antonii Minii concio adversus eam legem.

Non ignoro cives magnam me rem, & multorum invidiæ propositam suscepisse, qui sim contra Senatus præjudicia, contra magistratuum voluntatem, pro vestris commodis & vestra incolumitate libere, quæ sentio, dicturus: neque dubito, quin me plerique arroganter facere existiment, quod ea quæ Patres conscripti jampridem jusserunt, vosque ipsi rata esse voluistis, nunc Patribus iterum jubentibus, ego unus, tanquam plus omnibus provideam, improbaturus surrexerim. Sed me præstat omnem invidiæ aleam atque pericula subire, dum vos decipi, & reipublicæ muneribus spoliari, quoad potero, non patiar. Legem hoc bello, quod cum rege Thracio gerimus, in Senatu latam, vestris sententiis sancitam, præteritis expletam mensibus, prorogare Patres decreverunt: uti magistratus omnes, qui per nos creantur, mediam stipendii partem annum reipublicæ remittant. itaque Senatu approbante ad vos veniunt;

niunt; ut eam ratam & sanctam habeatis. quid est hoc 1502
aliud, quam velle, vos qui liberos, qui uxores, qui domos familiasque vestras, qui vos ipsos beneficio reipublicæ magistratibus obeundis sustinetis, quando annum jam omnibus in difficultatibus confeciſtis, alterum non habere annum, unde inopiam levare & vitam tolerare vestram queatis? An, quoniam divitibus ea lege parum iri nocitum vident, reliquos, qui re angusta utuntur, non respiciunt? est ne id alteros tanquam seipsum diligere? quo uno mediusfidius præcepto omnis humana societas continetur. Ego vero cives sic existimo: quod contra hostes nihil prospere gerimus, adversa vero multa & misera singulis diebus nunciantur, hoc ex fonte manare, quod ipsi inter nos non amamus, neque quisquam alteri consultum vult: nemo, qui opibus pollet, ei qui debilior est, prospicit. Dii profecto immortales, qui acta & cogitationes nostras perspiciunt, irati nobis infensique sunt, conatusque nostros frustra suscipi, evanescereque omnes sinunt, hostibus virtutem & consilia subministrant. Tria sunt omnino hac in urbe civium genera: unum locupletum atque potentium: aliud eorum, qui sunt dignitate opibusque tenuissimis: mediæ inter hos fortunæ tertium. Primum illud atque summum, propter potentiam in tributa sæpe nihil dat, propterea quod nemo principes viros cogere audet, qui plerunque in magistratibus sunt, remquepublicam administrant. a mediis, quæ imponuntur publice onera, multi magistratus exigunt: ab infimis plane universi: nam ab iis minime resistitur. ita fit, ut qui rei minus habent, plus in ærarium conferant; illi, qui omnia possident, nihil tribuant, nisi cum libet: tanquam reliqui serviant, ipsi regnent atque imperent. Quod si divites, fisco quæ debent, etiam dependant, nihil sit necesse curarum & laborum vestrorum decundis magistratibus mercedem reipublicæ condonari, ut in bellum pecunia suppeditet: ea summa omnis pro parte media tercentum auri libras non exuperat. locupletum & potentium reliqua si ratio subducatur, tantundem decies aut plus etiam conficient. illa exigite, qui propositi vestri pecuniæ publicæ magi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1502 *ſtratus: neque vos fiſco debentium auctoritas deterreat, ne quid facere contra ipſorum voluntatem audeatis: abunde vobis aderit, quod quæritur: neque tenuiorum, ſed bonorum tamen civium ſudorem, aut potius ſanguinem exugere cogemini. Quid autem? nonne cives illud etiam vos impellere ad legem repudiandam poteſt, quod multi magiſtratus, ut ſit unde ſe, liberoſque ſuos alant, non tam juſtitiam in juriſdictionibus agitare, quam ſervire quæſtui, & ſtudere lucro ſtatuent; dum ea, quæ injuria ſibi erepta exiſtimabunt, quoquo modo ſarciant? Quamobrem omnia paſſim erunt venalia, neque immerito, quoniam ita Senatus & civitatis principes decreverunt. Animus mihi cives eo anno tum, cum primo lex eſt lata, ſuadebat, ut ejus lationi contradicerem: ſed me Senatus auctoritas continuit, quod exiſtimabam ea veſtra incommoda annum tantum duratura, neque legem tam iniquam iri prorogatum verebar: ita me meæ cogitationes fefellerunt. Nunc eo res eſt perducta, ut in veſtra manu atque ſententiis tamen ſit totius rei exitus. quod ſi vos legem iterum juſſeritis, quid erit cauſæ, quare non aut eam optimates ſingulis annis ferant, aut vos, quod ſecundo probaviſtis, tertio etiam & quarto ſanciatis? ita res in exemplum ceſſerit: vos, cum rumor belli aliquis paulum excitabitur, ſtatim plectemini: ea ſemper erit magiſtratibus opportuna erogandæ pecuniæ ratio: ſemper reipublicæ beneficio ſpoliabimini, quod eſſe veſtrum ſolidum atque proprium debuerat. Quare cenſeo ut legem rejiciatis, ne, veſtra quæ ſunt, ipſimet projiciatis, neve ullis ab hominibus ludibrio vobis libentibus habeamini.*

Lauretani Principis concio pro eadem lege.

Hæc cum eſſet Minius concionatus, magna perturbatio comitium tenuit, quoad, quis ei reſponſurus eſſet, ſciri potuit, Lauredano Principe ſua ſe e ſella ſublevante, qui ſtans dicere ſic eſt exorſus: *Valde me hodie cives a mea de Joanne Antonio Minio ſpe atque opinione deceptum fateor, qui cum mihi heri eſſet dictum, contra legem, quam ferimus, verba illum apud vos velle facere, non credidi: neque enim perſuadere mihi poteram, hujuſce*

ſce civitatis hominem quatuor & ſexaginta annos natum, 1502
qui aliquando rempublicam attigiſſet, tam æquam, tam etiam neceſſariam rogationem, quam Senatus ipſe frequens probaviſſet, eſſe impugnaturum. Quanquam fuere qui dicerent, quoniam Minius ad ſenectutem ſine ulla dignitate pervenerit, ſemel tantum anno ſuperiore in magiſtratu adoleſcentulis mandari ſolito fuerit, id illum cogitaviſſe, ſi cauſam tenuiorum civium ſuſcepiſſet, qui ſtipendio munerum reipublicæ fraudari ſe magnopere indignantur, fore ut favorem ſibi atque ſuffragia illorum ad magiſtratus adipiſcendos conciliaret. quod quidem ego, ut reliqua, falſum eſſe facile putavi: vos, qui melius hæc cognoſcitis, quid ſibi is hoc ſuſcepto negotio voluerit, vobiſcum reputatote. Tu vero Mini, ſolus ne es omnium, qui, quo impliciti bello duos jam annos verſemur, quantas in eo impenſas fecerimus, quantas facere neceſſe ſit, quibus in difficultatibus cogendæ pecuniæ dies totos ſoliciti noctes inſomnes conficiamus, ut hoc imperium ab hoſte omnium acerrimo tueamur, neſcias? remigum, militum, præfectorum navium noſtrarum, quos innumeros alimus, ſtipendia immane auri pondus requirunt. in arcium & oppidorum præſidiis multum pecuniæ inſumitur. navalia urbana tot claſſibus exhauſta, magni æris ſingulis menſibus indigent, ut naves, ut tormenta, ut reliqua, quæ bello uſui ſunt, noſtris imperatoribus ſubminiſtrent. Regi Pannoniæ, ut cum noſtris hoſtibus bellum gerat, mille auri libræ ternis curationibus ſunt ex fœdere quotannis dependendæ. his tot atque tantis impenſis pecunia ſuppeditari qui poteſt? Cives enim noſtri, tributis innumerabilibus perſolutis, amplius quod tribuant, non habent. Provinciales, nova pecunia imperata, agriſque ſuis præter morem cenſui addictis, conqueruntur: neque quidquam, niſi coacti, fortunisque ſuis diviſis, in ærarium conferunt. Vectigalia reſpublica portoriis propter bellum impeditis anguſte redimuntur. mercatores noſtri ad exteras nationes, exteri ad nos mari commeare non permittuntur. Itaque niſi nos, quorum maxime intereſt, quibus poſſumus rationibus reipublicæ belli fluctibus jactatæ

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1502 *opem ferimus, quis omnino erit reliquorum hominum, qui ferat? omnes enim nobis alieniores sunt, quam nos ipsi. Numi autem nervi bellorum sunt: sine iis bellum gerere nulla natio potest. Nos quidem cives, quos huic urbi atque imperio præesse voluistis, reliquique magistratus, qui nobiscum una rempublicam administrant, hanc inviti legem, magnoque nostro cum dolore ad vos ferimus: propterea quod urbes nostras ab hostibus capi, dirui, teneri, regiones vastari, populos dissipari, cives nostros aut interfici, aut in servitutem abduci multo pejus est, quam hanc munerum mercedis portionem pro sua quenque parte reipublicæ remittere. quæ adhuc mala & acciderunt, & deinceps accidere necesse est, nisi bellum magno apparatu, magnis opibus gesserimus. opes autem hæ pecunia comparantur. Minius, qui vobis, ut legem repudietis, suadet, illa suadet ut perpetiamini, dum, ne pecunia comparari possit, nititur efficere. Ego vero hujus sum animi atque sententiæ, ut a fanorum & templorum adytis aurum atque argentum sacrum omne numis cudendis auferamus, quibus bellum commodius administrari possit, potius quam ea, quæ commemorata sunt, perferamus, remquepublicam periclitari, atque hoc imperium proteri ab hoste impurissimo, deterrimoque permittamus: idque nos Diis ipsis libentissimis, quorum templa spoliabuntur, facturos puto. Verum adhuc quidem ad id nos descendere nulla res cogit, modo vos hoc, quod multo est æquius, quodque vobis facere nulla religione impeditis licet, quod ordo amplissimus probavit, vestris hodie sententiis, vestra in patriam liberalitate pietateque jubeatis. Nam quod Minius Deos nobis esse iratos commemoravit; mihi quidem dubium non est, quin qui male atque perperam agunt, ii Deorum sibi iram pariant. itaque præfecti nostri, qui improbe rempublicam gesserunt, partim interierunt, partim exilio ignominiaque mulctati, Deorum numen suis infensum rebus, dignitatibus, rationibus habuerunt. Vos, si quæ decet, quæ tempus exigit, quæ status reipublicæ turbulentus, quæ pecuniæ cogendæ difficultas in præsentia postulat, statueritis, nihil ab*

ab Diis immortalibus timetote: prospera vobis omnia ab illis secundaque advenient. Quid, quod vos injustitiæ Minius insimulat, quos lege jussa in magistratibus obeundis jurisdictiones vestras ad quæstum conversuros putat? conjecturam scilicet de aliorum moribus a se ipse capiens, qui linguam atque ingenium, ex quo primum loqui cœpit, usque ad hos annos, atque senium in lucro & quæstu semper habuerit, atque opes sibi amplas ea tantum ratione comparavit. quasi nesciat, qui natura boni sunt, magistratibus initis, in rebus difficilibus meliores porro fieri: qui pravi & mali, eos a Triumviris, vel qui ad urbem sunt, vel quos querelis populorum cognoscendis in provincias mittitis, ad urbana judicia deduci, quibus a judiciis improbe factorum pœnas luant. ita fit, ut aut suopte ingenio cives duris in rebus afflictati, tanquam in cote virtutem subigant & exacuant suam: aut metu judiciorum a maleficiis nullo non tempore aut rerum casu absterreantur. Ausus etiam tu quidem es Mini tria esse genera nostrorum civium dicere, locupletum, mediocrium, tenuiorum: atque hæc inter se dissidere ostendisti, dum a divitibus in tributa nihil penditur, a reliquis onera omnia sufferuntur. regnare etiam illos dixisti, hos servire, atque in ea civitate, quæ, ex quo nata est, libera & sui juris semper fuit. Id te non puduit in concione esse mentitum. Hoc quidem, esse tria genera, nihil impedio: id enim omnibus in civitatibus evenire consuevit: neque aliter propemodum se habere hominum conventus ullus atque societas potest. Divites vero nihil conferre, laxexos omnia, hoc falsum & injuriosum est: nulli enim homini parcitur: omnes peræque, quod fisco debent, etiam solvunt: aut, si id per se non faciunt, ab iis, qui præsunt, facere coguntur. quære a fisci magistratibus rationes: subduci jube: reliqua civium inspice: nihil eorum reperies, quæ dixisti. An, quod bona locupletum minus haltæ subjiciuntur, mediorum autem & tenuiorum quotidie: propterea tu divites conferre nihil existimas? reliquos omnino unos omnia? male tu quidem urbis nostræ mores & rerum conditionem dispicis, aut te dissimulare simulavisti. Divites, quia sol-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1502 *ſolvendo ſunt, ſua diſtrahi non ſinunt; ſed in ærarium ſponte conferunt. quod cum reliqui non faciunt, ſæpe fit, ut eorum inſulas, fundos, prædia, magiſtratus ad licentes transferant. Sed quid illud tandem eſt, quod tu ſervitutis & regni nomina in hanc rempublicam induxiſti? alteramque civium partem in alterius invidiam trahere his impuris vocibus excogitaviſti? an, qui ab urbe condita uni atque iidem ſemper fuimus, nunc ut diſſideamus inter nos, ut ſeceſſiones facere incipiamus, tibi uni eſſe optabile & conducibile exiſtimas? id vis, id poſtulas, id efficere conaris. Vos appello magiſtri Decemvirum, qui ſedetis, cui antiquitus magiſtratui cives improbos coercendi omnis eſt poteſtas attributa, vos ab eo hujus rei cauſam repoſcite. Bello, quod cum Liguribus quartum geſſimus, Italis populis atque in reipublicæ temperatione conſtitutis, ærario exinanito majores noſtri edixerunt, ſi quis rempublicam pecunia juviſſet, eum ſe civitate & jure comitiorum muneraturos. Itaque bello confecto, eam ob cauſam triginta homines ad rempublicam admiſerunt: ii totidem familias in nobilitatem intulerunt, quæ noſtro jure, noſtris muneribus, noſtro imperio deinceps ſunt uſæ. Nobis hoc tempore bellum cum barbaris nationibus, cum gente a noſtra vitæ ratione, a noſtris moribus alieniſſima, cum rege infeſtiſſimo ferociſſimoque gerentibus, vos hujus reipublicæ alumnos, ut patriæ laboranti ſuccurratis, ejus pecuniæ, qua una cum magiſtratibus ab ipſa republica donamini, mediam partem eidem reipublicæ pigebit reſtituere? Illi ſuam civitatem, nobilitatem, jura, imperia in exteros, propterea quod in ærarium contuliſſent, libenter transfuderunt: vos veſtrorum ſtipendiorum partem veſtræ patriæ, veſtris aris atque focis, veſtris liberis cedere gravabimini? nam nunc quidem, ut veſtri liberi ne ſerviant, eſt a vobis cautio atque curatio adhibenda. Quis hoc in animum, niſi hujus urbis, horum templorum, hujus comitii atque curiæ hoſtis & everſor, poſſet inducere? Inventus tamen eſt Minius, qui hoc vobis ſuadere ſit conatus. Sed illum ſua mens, ſuus animus, ſui mores punient. Vos autem cives, vos inquam*

quam cives, quos ſcio veſtræ ditionis atque imperii, quemadmodum ſemper eſtis participes, ita nunquam non amantes fuiſſe, ne deſinite, quod ſemel libentiſſime feciſtis, legem iterum velle jubere, iterum pro veſtra in patriam charitate hoc, quidquid eſt incommodi, alacri animo annum alterum ſufferre & perpeti; dum hæc reipublicæ procella decedat, quæ longinqua eſſe, niſi me meus fallit animus, non poteſt. confirmate veſtris ſententiis illud, quod eorum, qui ad gubernacula reipublicæ ſunt poſiti, ſententiis optimum eſſe factu videtis. ſtatuite hoc judicio, quam cuique charta eſſe debeat ſuæ patriæ libertas, cum ipſi veſtræ libertatis cauſa, veſtra vitæ præſidia reipublicæ condonetis. oſtendite provincialibus, atque iis, qui veſtris legibus parent, quid ipſi facere debeant, quando vos, qui cæteros cogere poteſtis, communis omnium utilitatis cauſa, leges vobis unis detrimentoſas imponitis. Nemo erit hac in urbe, nemo in reliquis, ubi nomen Venetum viget, qui non nos ſummis laudibus efferat, atque omnibus regendis populis & gentibus dignos putet; cum intelliget, nihil vos muneris aliis præcipere, quin prius alterum tantum, eoque multo amplius, vobiſmet imperaveritis. 1502

Hac a Lauredano concione habita, ubi ille conſedit, lex eſt ferri cœpta. Erant omnino in comitio judices mille quadringenti quadraginta duo. ex iis mille octoginta octo legem probaverunt; trecenti quadraginta ſeptem rejecerunt: quibus non liqueret, fuerunt ſeptem. Itaque magno conſenſu civitatis lege juſſa, Lauredanum omnes laudare, bonum eſſe Principem dicere, cui reſpublica curæ eſſet. Poſtridie autem ejus diei Minius ob concionem ſeditioſam a Decemviris condemnatus eſt, ut in Arba Illyrici inſula, quoad viveret, exularet, triginta auri libris ei, quicunque illum extra inſulam captum magiſtratibus tradidiſſet, ex ejus bonis conſtitutis: eique rei bona ſunt pignori addicta: ipſi, ut laqueo vitam finiret, pœna addita. Illis diebus ignominiæ notam, qua Piſaurus in triremium præfectos quinque uſus fuerat, Patres in foro promulgari voluerunt. Ea nota erat ejuſmodi: *Dum claſſem Gallicam Piſau-*

Minius damnatur a Decemviris.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1502 *Ignominiæ nota in quoſdam triremium præfectos.*

Piſaurus conſequi cuperet ; Paulus Nanus, Georgius Triviſanus, Marcus Antonius Decanalis, Nicolaus Barbadicus e colonia Cretenſi, Petrus Capitellus Apulus, ejus miſſu ad Maleam profecti ; quod Galli eſſe illis in locis dicebantur, in biremes Thracias ſeptem inciderunt, quæ navem onerariam hominum Cretenſium a ſe captam remulco trahebant. Ea re animadverſa, biremes aggredi communi conſilio ſtatuerunt. itaque incitatis remigibus ad illas contenderunt. Sed cum eis appropinquaſſent, timore impediti remiges inhibuerunt, ſe ſeque turpiter a congreſſu dimicationeque continuerunt. Accidit autem paulo poſt ut naves triremes aliquot e claſſe Gallica, quæ non longe aberat, idem conſpicatæ, biremes Thracias magno animo aggrederentur. quæ quidem res auxit illorum dedecus, quod eos reipublicæ hoſtes, quos propter formidinem ipſi dimiſerant, Galli, quorum minus intererat, virtute eſſent atque animi præſentia conſequuti. ob eam imbecillitatem atque formidinem Piſaurus annos quinque a præfecturis omnibus illos removit, ſtipendiaque ab iis emerita fiſco addixit. Iiſdem diebus Gabrielem Maurum, Andream Foſculum, Senatus legatos creavit, qui Ferrariam proficiſcerentur Lucretiæ Borgiæ Alexandri filiæ, quam pater Alfonſo Ateſtino Herculis filio in matrimonium ſpoponderat, Roma ad illum venienti, & ipſi ſoceroque eis de nuptiis reipublicæ nomine gratulatum. E Pannonia vero crebriores allatæ literæ, Turcas pluribus locis fuſos a regiis ducibus occidione, & præda ingenti facta, Senatui attulerunt. Neque tamen ob eas res claſſis curam ulla ex parte Bajaſetes intermittebat: quam quidem curam cum magnopere agitaret, reficique naves veteres ſuis ducibus mandaviſſet, atque id ei tardius negligentiuſque agi ab illis atque adminiſtrari videretur, arcum ſibi afferri & ſagittas imperavit : quibus adductis, ſtantem ante ſe illum ipſum ducem, qui priore apud ſe erat loco, indignabundus transfixit. Reſtituerat idem rex paulo ante ad libertatem cives Venetos, quos belli initio Byzantii in vincula conjectos in turri ad fretum ſervandos miſerat. ii ſe libris auri centum redemerunt : quorum e numero Andreas Grittus

tus id. mart. ad urbem rediit : eique eſt univerſa civitas gratulata. Attulit is ab Admete Bajaſetis duce literas ad Senatum, cum mandatis, ut ſi bello, quod inter ipſos & Bajaſetem vigebat, vellent finem imponere, mitterent Byzantium aliquem ad pacis conditiones tractandas : ei ſe adjutorem futurum. 1502

Guidus Ubaldus Cæſaris Borgiæ fraude Urbino pulſus.

Interea Cæſarem Alexandri filium augendi regni cupiditas magnum in ſcelus & proditionem impulit. Nam cum Guidi Ubaldi Metaurenſium ducis regnum, quod unum ei deerat ad omnem Flaminiam obtinendam, propter mirificum populorum in illum amorem aggredi aperto bello non auderet, neque Venetos ſibi permiſſuros ut illum expelleret, arbitraretur, neque ullam haberet ſuſcipiendi belli cauſam, Guido Ubaldo omnibus in patrem ſuum obſequiis, in ſe officiis benivolentiſſimi conjunctiſſimique hominis plane functo : velle ſe bellum Camertibus inferre ſimulavit, ut ad fines Urbinatium, qua iter erat ei faciendum, ſine Guidi Ubaldi ſuſpicione, tanquam alio tendens, cum exercitu accederet. atque, ut bono ſe in illum eſſe animo fidem ei majorem faceret, & ſuis eum opibus exueret, ne tueri ſe ſe poſſet communitior, a Guido Ubaldo, ut auxiliares ad id bellum copias cum tormentis muralibus ad ſe mitteret, pro amicitiæ jure per legatos poſtulavit. Iis impetratis, atque miſſis, cum ad fines regni veniſſet, repente in illos hoſtiliter irrupit, & magna celeritate adhibita, quod neminem obvium habebat, Urbinum contendit, parumque abfuit, quin Guidum ipſum Ubaldum caperet. Sed is paucarum horarum beneficio, in jumenti[s] agricolarum, & veſte ruſtica, itineribus deviis, quod omnia nota loca per Cæſaris milites obſeſſa tenebantur, fugiens, Ravennam ſe recepit, atque inde Mantuam eſt profectus : quam ad urbem paulo ante uxor ejus Elisabeta, Francisci Mantuanorum ducis ſoror, pudiciſſima lectiſſimaque ſe contulerat ; cum officii cauſa Alexandri poſtulatu Lucretiæ Borgiæ ad maritum proficiſcenti comes itineris fuiſſet. Ea re permotis Patribus equites quingenti, pedites mille

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1502 le Ravennam ſunt miſſi, ut cum iis copiis, quæ ibi erant, conjuncti, oppidi præſidium augerent, ſi quid a Cæſare conſilii, cui fides haberi nulla poterat, contra rempublicam iniretur. Neque multo poſt Anna Candala, natione Aquitana, Aloiſii regis Gallorum propinqua, ad Uladislaum Pannoniæ regem, cui erat nuptui per legatos tradita, proficiſcens Venetias venit cum magno utriuſque regis comitatu. Ei fines reipublicæ ingreſſæ, ſumptus eſt publice atque largiter factus. Ad urbem ubi fuit, omnia in illam liberalitatis & benivolentiæ officia profuſe collata, ut cum exacto menſe diſcederet, Lauredano Principi dixerit, *tum primum ſe reginam ſibi ipſi viſam, cum apud illum fuit*: poſtea vero quam in Pannonia regiam exercere dignitatem cœpit, amica & benivola reipublicæ omnibus in rebus ſemper fuerit. Interim Aloiſius rex domo diſceſſerat, ut in Italiam ſe conferret, Neapolitano bello, quod cum Hiſpaniæ regibus propter finium controverſiam gerebat, auxilia comparaturus. Eo Mediolani finibus appropinquante, Senatus Bernardum Bembum patrem meum e prætura Veronenſi, qua in prætura tunc erat, legatum miſit, ut Aloiſio reipublicæ nomine ſalvere juſſo de adventu gratularetur. Is regi ad Vegevenum oppidum occurrit, eſtque apud illum commoratus, dum is Mediolani fuit: ſed rege in Liguriam profecto ad auxilia in regnum Neapolitanum mari tranſmittenda, Veronam rediit.

Annæ Pannonum reginæ Venetias adventus.

Dum hæc domi adminiſtrantur, a Piſauro apud Chryſopolim, atque in ſinu Theſſalonico depoſitis militibus damna ſunt plurima illata, prædæque ingentes factæ: tum in Aegæo captæ naves onerariæ duodecim, biremes undecim. atque is ad Maleam cum veniſſet, naves triremes Rhodiorum tres, onerarias duas, regis Gallorum triremes quatuor ad ſe miſſas reperit. Neque multo poſt Jacobus Piſaurus Alexandri legatus ſuas triremes cum Piſauri claſſe conjunxit. Erat autem univerſæ claſſis navium omnis generis numerus ad ſeptuaginta: quibus cum navibus de legatorum conſilio ad inſulam Leucadiam oppugnandam ſe convertit. Eo cum appropinquaret, Pontificis legatum præ-

Leucadia a Venetis oppugnatur.

præmiſit, qui per vada eo ab latere, quod ad orientem 1502
ſpectat, oppidum aggrederetur. vadis autem ea parte inſula maxime cingitur. Is accelerans per Dioriſtum in vada ſe ſe inferens, duodecim biremes, quæ ibi ſtationem habebant, eaque maria percurrentes, Venetorum navibus infenſiſſimæ diu fuerant, & tunc, ut aditu claſſem prohiberent, occurrebant, omnes fugavit, pauloque poſt vacuas hominibus occupavit, cum ii ſe ſe raptim in litus ejeciſſent: quos oppidani fugientes receperunt. Iis captis, quod illis in vadis erat a continenti ad oppidum via aquis tecta, ſic, ut equites commeare ea poſſent, ibi naves aliquot diſpoſuit: quibus navibus Thracum turmas equitum tres, qui per illam viam, ut eſſent oppidanis auxilio, vicinis ex locis adventabant, repulit: cum tamen antea munitionem pro tempore, quæ tranſitum impediret, media in via effeciſſet. Ea Thraces munitione retardati, dum perrumpere conantur, tormentis ſe navium vulnerandos præbuerunt: amiſſiſque perpluribus, duce eorum equo dejecto, nulla parte munitionis perrupta, unde venerant redierunt. Atque idem interea legatus ſuorum militum partem equiteſque omnes, quos in navibus eam ad rem habebat, cum primo adventu in terram expoſuiſſet, atque ad oppidum contendere juſſiſſet: illi itinere, quod quidem erat paſſuum millium quatuor, celeriter confecto, circumvecti audaciſſime pugnantes, eo ipſo die prooppidum capiunt. Piſaurus præfectus, quem mari reliquam claſſem ventis non ſecundis, qui eo die flaverant, circumducere oportuit, poſtero die ad oppidum oppugnandum ſe ſe contulit, ac muros quatere tormentis cœpit. Erant in oppido milites Thraces quingenti, qui ſe acerrime una cum oppidanis defendebant. ii cum magna tormentorum vi oppugnatione non intermiſſa premerentur, ſeptimo die deditionem facere voluerunt. is fuit dies ad diem tertium calendarum ſeptembris. Sed dum inter ſe eam de re conſulunt, militibus irrumpentibus oppidum capitur. ipſi atque oppidani captivi facti, præda omnis viritim diviſa. Hoſtes prima oppugnationis die Gabrielem Superantium triremis præfectum

Et expugnatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1502 fectum interfecerunt, capite pila ferrea disjecto. Ejus frater Hieronymus, adoleſcens nullo reipublicæ munere antea functus, paucis poſt diebus quam id eſt Venetias allatum, magno comitiorum favore in Senatu adlectus eſt præteritis quamplurimis, qui & magiſtratus geſſerant, & ætate longe præſtabant.

Patres ut primum ex Admetis literis in ſpem pacis venerunt, propterea quod hyems ſuberat, Piſauro mandarunt, ut triremibus viginti apud ſe retentis, claſſem reliquam domum remitteret. atque ad regem Pannoniæ literas dederunt, quibus literis, quid ab Admete habuiſſent, certiorem illum fecerunt, velleque ſe ſuum hominem Byzantium mittere ſignificaverunt; atque ab eo petierunt, ut & ipſe ſuum hominem eodem mitteret, quo majore cum dignitate pax æquioribuſque conditionibus tractari conficique poſſet. Uladislaus intellecta re Patrum conſilium probavit, facturumque quod vellent, de legato ſe recepit. Illi Zachariam Freſcum, Decemvirum ſcribam, ire Byzantium jufſerunt. Guidus Ubaldus regno amiſſo ad Aloiſium regem Galliæ Mediolanum ſe ſe conferens auxilia in Cæſarem poſtulatum, ubi nihil in eo probitati & innocentiæ contra perfidiam & crudelitatem eſſe præſidii cognovit, cum uxore Venetias venit. Patres eum lubentes exceperunt, & domo pro illius dignitate publice tradita, bono eſſe animo jufſerunt: qua ex domo paulo poſt, cum Metaurenſes, Cæſaris arcium præfectis & militibus interfectis, oppidiſque aliquot receptis, ejus imperio ſe ſubtraxiſſent, ſuum in regnum facile rediit: atque in eo ab Urſinæ gentis principibus adjutus, devictis hoſtibus ſuam dignitatem aliquot menſes obtinuit. Ea rerum mutatione plerique ſe populi reipublicæ commendaverunt, orantes, ut ſe in deditionem reciperet. Eſt in Ariminenſium finibus mons excelſus, duplici jugo, qua mare proſpicit, præruptus: alia parte declivitatem habet late in occaſum patentem, vinetis & ſegetibus uberem. Illis in jugis duæ arces ſunt ſumma in crepidine, quibus oppidum ſubjacet, civitaſque montanorum hominum, qui rempublicam admi-

Guidus-Ubaldus Urbinum recipit.

adminiſtrant, neque ulli regi ſerviunt. Crepidines Pinnæ 1502
Marinianæ appellantur. Ii & ipſi, ne ab Cæſare in ſervitutem redigerentur, cum magnopere timerent, Senatui eo tempore ſignificaverunt, velle ſe ſub ejus imperio eſſe: mitteret ad ſe aliquem reipublicæ nomine: ſe illius dicto audientes futuros, imperataque facturos. Sed neque hos, nec cæteros, qui ſe reipublicæ dedere cupiebant, Patres recipiendos cenſuerunt.

Miſerant inter hæc reges Hiſpaniæ ad Senatum Laurentium Suarem, illum eundem qui legatus eorum bello Gallico apud rempublicam fuerat. is clam itinere per Galliam confecto, paucis ante calend. decembris diebus ad urbem venit: atque illi auri libra ſingulis eſt menſibus in ſumptum a Senatu conſtituta. In primis apud Lauredanum Principem & Patres ſermonibus Suares de Aloiſio rege Gallorum queſtus, *Quod fœderi cum ſuis inito regibus non ſtetiſſet, ut cui neque ſua, neque aliena ſatis eſſent:* ab ejus amicitia Patres avertere modis omnibus eſt conatus, *illum* affirmans *propterea Cæſaris rebus tanto ſtudio faviſſe, ut eſſet qui reipublicæ finibus immineret, neque quieſcere illam ſineret. gaudere implicitam eſſe bello Thracio civitatem. Quam ad eos claſſem miſerit, ad ſpeciem, non ad ullam reipublicæ frugem miſiſſe. id eventu patuiſſe, quod obfuerit potius, quam ulli uſui fuerit. Hiſpaniæ regum voluntatem omni tempore cum reipublicæ voluntate conſenſiſſe, quoniam utrique fidem & pietatem colerent: ſi ſe ii fœderibus una firment, neminem nocere eis poſſe.* Hæc & his ſimilia de Suare non ſemel a Patribus audita, tametſi vera eſſe pleraque cognoſcerent, illos tamen non moverunt, ut quod ipſis cum Aloiſio fœdus intercedebat, ulla ex parte violarent: tantum dicere: *Se ſe Hiſpaniæ regum fidem atque virtutem & propenſum in rempublicam animum plurimi ſane facere, ſemperque facturos: cum Aloiſio fœderis conditionibus ſeneri: moleſte ferre bellum inter ipſos exerceri potius, quam agere pacem: ſi quid poſſent ad reconciliandam inter eos gratiam, de eo ſi admoneantur, ſe non defuturos, amiciſſimorumque hominum officio in utrumque functuros.* Cum Uladislao autem

Hiſpaniæ regis legatio ad Venetos, ut fœdus ineant ſe. cum adverſus Galliarum regem.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1502 tem Pannoniæ rege, de legati ad Bajaſetem miſſione diem ex die ducente, propterea quod pace cum illo a Senatu inita, niſi novæ ſponſiones intercederent, ſtipendiis reipublicæ carendum ipſi erat: ne res tanta differretur, legati reipublicæ pacti ſunt, uti mille auri libræ, regi annis ſingulis ab Senatu bello Thracio dari ſolitæ, ad tercentum redigerentur, quoad Bajaſetes viveret, tribus item penſionibus perſolvendas.

Alexander cum vidiſſet Guidum Ubaldum Urſinæ gentis ſtudiis regnum ſuum recuperaviſſe, orando, territando, magna pollicendo, ejus familiæ principibus in ſuas traductis partes, fœdus cum illis percuſſit. Simul ab Aloiſio miſſis ad ſe auxiliis Cæſar, magniſque copiis undique comparatis, Guidum Ubaldum, quem quidem ſine ſpe, ſine opibus deſtitutum amici deſeruerant, iterum regno expulit, cum tamen ille munitiſſimum natura totius regni oppidum, miſſo ad id cuſtodiendum Octaviano Fregoſio adoleſcente ſororis ſuæ filio, cum militibus, & omnium rerum pro tempore copia, communitius factum obtineret.

Guidus-Ubaldus iterum Urbino expellitur.

1503 Urbinatibus receptis ad Senogalliam oppugnandam Cæſar primis anni diebus recta profectus, ubi civibus ſine mora ſe dedentibus oppido eſt potitus, Urſinæ gentis principes eos ipſos, cum quibus paulo ante fœdus percuſſerat, quique ſecum una venerant, omnes in vincula conjecit: eaque de re Alexandrum patrem mira celeritate certiorem fecit. Ille ſtatim Baptiſtam Urſinum Cardinalem, qui fœderis auctor fuerat, magna apud ſuos auctoritate, nihil ejuſmodi verentem, ad ſe vocatum cuſtodiæ tradidit: qua in cuſtodia paucis poſt diebus eſt mortuus. Conjectis ab Cæſare in vincula partim nocte proxima, reliquis in Senenſium fines adductis, quo Cæſar cum exercitu contenderat, laqueo gula fracta. Idem vitæ finis Venantio & Octaviano adoleſcentulis, Camertium regis liberis captis a Cæſare, Piſauri datus. Pater eorum regno amiſſo clam elapſus, paulo poſt ad urbem venit. Ob eas Cæſaris actiones, qui cum Camertibus Ariminum etiam in ſuam ditionem redegerat, Senatus, uti ſuos fines magis communiret, Livianum

Borgiæ perfidia & crudelitas.

num Carracciolumque cum equitibus & militibus Ravennam miſit. Guidus Ubaldus hoſtem fugiens cum ſe Pitilianum in Hetruriam contuliſſet, dieſque complures ibi fuiſſet, Cæſare Pitilianum bello aggredi velle dictitante, ut illum interciperet, magno cum periculo per Senarum & Florentinorum agrum in fines reipublicæ atque ad urbem ſe recepit: cui a Senatu libra auri dono in ſumptum ſingulis menſibus conſtituta. Quoniam autem libido ea inter cives creverat, ut quamplurimi ſacerdotia, quæ habere bonis artibus non poterant, Romæ coemerent, qua in urbe ejus rei conſuetudo facultaſque ab Alexandro inſtituta late palamque invaluerat, Decemviri ſanxerunt, ſi quis in poſterum id faceret, ejus bona fiſco inferrentur, ipſe ab urbe atque urbis finibus quandiu viveret exul eſſet. 1503

Neque multo poſt Joannes Michael civis Venetus Cardinalis, qui Pauli ſecundi Pontificis Maximi ſororis filius fuerat, Romæ veneno interiit, quod ei Alexander a præfecto Michaelis epularum dari juſſit. Cauſa interficiendi hominem fuit aurum atque argentum, quod is habere exiſtimabatur: quarum omnino rerum inexplebilis Alexandri animum cupiditas ad omnem iniquitatem incendebat, uti filio pecuniam exercitibus alendis ſuppeditaret, quo is Italorum principum regna occupare celerius poſſet ſe jam ſene. Miniſter veneni haud multo poſt, Julio Pontifice Maximo, re per indicium enunciata, in vincula conjectus, quæſtione habita ſui ſceleris pœnas perſolvit.

Jo. Michaelii Cardinalis mors. IV. id. april.

Bajaſetes interim induciis cum Sophi Armeniæ rege initis, cum quo ſibi atrox bellum intercedebat, ad bellum Venetum ſolutior factus, animos, quos dejecerat, ſumpſit, deque pace cum republica nihil ſe facturum dixit, niſi Veneti Leucadiam ſibi inſulam reſtituerent. Patres de eo p[illegible] Admetis ad Andream Grittum literas perc[illegible] nuncios certiores facti, ne diutius eo bello conterer[illegible]ur, pacem cum Bajaſete fecerunt, Leucadiamque inſulam, cujus oppidum magna impenſa Piſaurus longe firmius jam communitiuſque fecerat, Bajaſeti reſtituendam curaverunt, Piſauro domum reditione pe[illegible]ſſa. Fa[illegible] de pace uti Diis immortalibus

Pax cum Bajazete.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1503 libus gratiæ agerentur, atque auri libræ tres dono in ſacerdotium collegia diſtribuerentur, Senatus cenſuit. Et quoniam Bajaſetes legatum ſuum una cum Zacharia domum redeunte ad urbem miſerat, ut quando ipſe legato reipublicæ jusjurandum dederat, fore de pace, uti pollicebatur, ita is dando item a Lauredano Principe jurijurando præſens adeſſet: Senatus Andream Grittum legavit, qui ad Bajaſetem cum eodem legato reverti properante proficiſceretur. cui legato veſtis aurea, & item ſerica, cum ternis auri libris dono data. Eadem eſt pax aliquot poſt menſes a Bajaſete cum Uladislao rege Pannoniæ inita. His rebus ita conſtitutis, ab Aloiſio rege Galliæ miſſus ad Senatum legatus paucis ante calendas quintiles diebus poſtulavit, uti novum ſuo cum rege Patres fœdus ſancirent. Is fuit Joannes Laſcaris Byzantius, græcis literis eruditus. atque id ea de cauſa rex procurandum ſibi & contendendum ſtatuerat, ut quoniam Conſalvus Hiſpani dux exercitus in Brutiis ſuum exercitum interfecto duce fuderat, fugaverat, regnumque Neapolitanum prope omne ſub regum ſuorum imperio redegerat, renovato fœdere Veneti cum Hiſpaniæ regibus bellum una facere tenerentur. atque ut ad eam rem Patres animum inducerent, ampliſſimæ ab Aloiſio conditiones proponebantur: quas omnes Senatus reſpuit, veteri ſe fœdere contentum dictitans. Alexander veneno, quod furtim dari Adriano Cardinali familiari ſuo juſſerat, cujus in hortis una cum Cæſare filio cœnabat, per miniſtri imprudentiam epoto, quintodecimo calendas ſeptembris exceſſit e vita. Cæſar eodem hauſtu pene abſumptus, difficilem in morbum incidit. qua in re Deorum immortalium mens & voluntas viſa eſt magnopere affuiſſe: cum ii, qui plurimos & Romanæ reipublicæ principes, & clientes ſuos, ut eorum opibus & theſauris potirentur, veneno necaverant, & tunc ſuum hoſpitem atque alumnum adjungi ad reliquos, necarique mandaverant, eo ipſo in miniſterio ſemet pro illo interficerent. Illis diebus Benedictus Piſaurus claſſis præfectus vir egregia virtute, cum ſe ad reditum compararet, valetudine impeditus Corcyræ interiit.

Alexandri VI. obitus.

Benedicti Piſauri obitus.

Pa-

Patres ob Alexandri mortem id, quod re evenit, exiſtimantes fore, ut multa oppida malis artibus ab Cæſare capta ejus imperium eſſent detrectatura, præfectis aliquot Ravennam miſſis, copiarum, quæ ibi erant, numerum duplicaverunt. pauloque poſt Decemviri Chriſtophorum Maurum, unum ex quinqueviris, qui res bellicas in Senatu procurant, legatum creaverunt, atque in Flaminiam contendere juſſerunt, ut, ſi quod ex Cæſaris oppidis ſponte reipublicæ ſe dederet, ab eo reciperetur. Cumque complura jam Romanorum principum caſtella pagique, ejectis aut interfectis Cæſaris miniſtris, ad priores dominos rediiſſent, Piſaurum, Ariminum, Camerinum, Senogallia, etiam Populonia, cujus regem Cæſar expulerat, oppidumque ceperat, idem factura dicerentur: Guidus Ubaldus & ipſe ſuum ad regnum recuperandum a popularibus accerſitus, triginta auri libris a Senatu mutuo acceptis viæ ſe dedit, eoque adveniens omnibus ab oppidis magna gratulatione eſt receptus. Cæſar, non tam quod eſſet morbo implicitus, quam propter Romanorum civium in ſe ſe odia vitæ ſuæ metuens, quidquid equitum & militum habebat, in urbem introduxit. Ea re accidit, quod accidere erat neceſſe, ut Cardinales, qui jam prope omnes convenerant ad novum Pontificem legendum, ne facere id poſſent, Cæſaris exercitus timore impedirentur. qua intellecta re Senatus literas ad eos dedit, ſi ita opus eſſe ducerent, ſe celeriter omnes ſuas copias Romam miſſurum, quibus facilius Romanæ reipublicæ majeſtatem, & ſuam dignitatem tueri, &, quæ ex uſu eſſent, adminiſtrare libere ac ſine metu poſſent. Antonius etiam Juſtinianus legatus coram idem eſt pollicitus Senatus reipublicæque nomine. quod quidem illis tam ſuſpecto tempore gratum ac peropportunum fuit. ea enim re permotus, ne in ſe rempublicam incitaret, Roma cum ſuis omnibus egreſſus copiis Cæſar, Vaticanum ſacro Senatui reliquit. Interea Guido Ubaldo nuncius ad Senatum venit, ſe ſe regnum & ſalutem ſuam illi acceptam referre, cupere cum equitibus gravioris armaturæ centum, levioris, qui ſagittis uterentur, centum &

Guidus Ubaldus iterum recipit Urbinatium ducatum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1503 quinquaginta, ſtipendia reipublicæ facere: milites ſe habere paratiſſimos numero ad duo millia, quibus ſine ſtipendio menſem eoque amplius Senatus uti poſſit: rogare, ut in ejus fidem recipiatur. Cognitis his poſtulatis, ſatis eſt ei omnibus in rebus ab Senatu factum, atque auri libræ centum annuæ in ſtipendium conſtitutæ. Cardinalium collegium, Cæſaris abitu liberum factum, Cardinalem Senenſem Pontificem Maximum creavit, qui ſe Pium tertium appellari voluit. Huic ante menſis exitum vitiatæ tibiæ doloribus mortuo, ſucceſſit Julius ſecundus Ligur, quem reſpublica Pontificem fieri majorem in modum concupiverat, eique rei omnem ſuam operam adhibuerat.

Pius III. Pont. creatur X. cal. oct. & moritur XV. cal. novemb.

Julius II. pont. creatur pr. cal. nov.

Sed Pio vita fruente Jacobus Venerius Ravennæ præfectus, Ceſenam ab ejus oppidi civibus accerſitus, qui ſe reipublicæ dedere volebant, cum militibus noctu ſe contulit fruſtra, propterea quod non ea quæ inter ipſos convenerat, ſed nocte poſtera eo venit. illi autem cum ſe ſuperiori nocte ad illum recipiendum comparaviſſent, neque is ſe oſtendiſſet, ſtudium & diligentiam remiſerunt. Accidit autem ob ejuſmodi moram, uti Cæſaris militibus res in ſuſpicionem veniret, qui ad portas & in muris ſtationes habuerunt. itaque Venerius infecta re Ravennam rediit. Paucis poſt diebus Petri Remiri Hiſpani, qui Fori Livii arcem munitiſſimam Cæſari cuſtodiebat, nuncius Ravennam ad legatum venit; ſi reſpublica eam arcem velit, Remirum illam traditurum, modo ei liceat, quæ in arce ſit ſupellex Cæſaris, Ravennam atque ad urbem aſportare: tum ab Senatu præfecturam habeat equitum quinquaginta, totque in urbe inſulas, quibus ex inſulis duarum auri librarum fructus annuus ad ſe ſe redeat. Ea intellecta re Senatuſconſultum factum eſt, legato licere præfecto arcis fidem dare reipublicæ nomine, fore quemadmodum velle ſe oſtendiſſet, arcemque ab eo accipere, atque ea de cauſa Forum Livii accedere cum ea copia, quam ex uſu eſſe reipublicæ ſtatuiſſet: neve quis eam rem enunciaret, a ſenatoribus omnibus jusjurandum datum. Deinde Romani interregni diebus cum Pandulphum Malateſtam, qui Ariminum a Roberto patre tra-

traditum aliquot annos injuſte regnans obtinuerat, & ab Cæſare ejectus oppido fuerat, eo cum copiis accedentem oppidani repuliſſent: Guidus Ubaldus per legatum ſuum Senatui ſignificavit, Pandulphum cupere, ut quoniam oppidani adduci non poterant ut ei ſe ſe dederent, reipublicæ autem imperium magnopere optarent, Senatus oppidum reciperet: ſperare, ſibi ab republica non defore vitæ pro dignitate traducendæ facultatem: itaque ſi Senatus jubeat, ipſum eam rem curaturum, quo Ariminenſes magnopere confiderent. Quamobrem Senatus cenſuit legato reſpondi oportere: ſi Guidus Ubaldus, uti Ariminum oppidum reipublicæ ſe dederet, ſuo ſtudio & auctoritate, quam cum illa civitate habeat, effeciſſet, eam rem Senatui gratam fore. poſtremo cum Guidus Ubaldus aliquot pagos & caſtella ex Ariminenſium & Ceſenatium finibus valde vel communita, vel propter agrorum bonitatem opportuna, vi expugnaviſſet, & Senatui ſignificaviſſet, ea ſe omnia reipublicæ traditurum, modo id ſe non nolle oſtendat: alterum Senatuſconſultum factum eſt, ea recipi Senatui placere. Tum Faventinis civibus aliquot, qui Ravennam ad legatum venerant, reipublicæ ſe ſe dedere cupientibus, idem uti legatus eis oſtenderet, imperatum. Et quoniam Arimini, Faventiæ, Forique Cornelii arces munitiſſimæ ſingulatim a præfectis Cæſaris obtinebantur, quorum pars reipublicæ eas vendere cupiebat: latum, uti de conditionibus cum eorum nunciis legatus ageret. Ruſſinum præterea in Faventinorum, & Archangelianum ac Savinianum in Ariminenſium finibus pagi frumentarii, & magna uterque fertilitate, itemque caſtellum Urbinatibus finitimum ſummo in jugo, quod incolæ *Montisflorem* appellant, reipublicæ deduntur. Etiam Faventiæ ager prope univerſus una cum arce oppidi egregia, legato cum copiis accedente in fidem recipitur: quo fere die allatum eſt, Julium Pontificem Maximum eſſe factum. Itaque in urbe omnes magnopere lætari, oppido egregio ad reipublicæ imperium accedente, & Julio Pontifice, in quem Senatus largiter omnia ſua ſtudia atque officia contuliſſet, lecto. Ipſe vero Julius cum ad eum gratulatum Antonius legatus acceſſiſſet, hominem hilariter com-

Flaminia Venetis accedit.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1503 complexus, *Omnia se reipublicæ debere* profiteri: *nihil esse quod de se Senatus polliceri sibi non posset*. Cumque ab legato sermo de Cæsare institutus esset, propterea quod nonnullis ab hominibus prædicabatur, illum ab Julio fotum ac defensum iri: legato, uti nihil ejusmodi vereretur, fidem fecit. Illud etiam se dixit cupere, ut quæ Cæsar possideret in Flaminia oppida, ea illi eriperentur. quæ quidem certe oratio gratissima civitati fuit. Inter hæc Pandulphus, nonnullorum factione inter eos excitata, ab Ariminensibus recipitur.

Florentini, quod ægre ferrent Faventiam in reipublicæ potestatem venire, copias miserant, quæ civium parti, qui secum sentiebant, auxilio essent, ut sibi potius, quam reipublicæ se dederent. Ea pars milites & agrestes homines in oppidum introduxerat: ab iis reliqui perterrebantur, ne portas legato aperirent. itaque milites, quos Guidus Ubaldus Senatui pollicitus fuerat, legatus ab eo accersit: alios comparat, & delectum habet: tormenta adduci imperat: equites mittit, qui Florentinorum copias in montibus morentur & repellant. Dum hæc foris administrantur, Senatus legatos creavit, qui Romam proficiscerentur Julio Pontifici Maximo gratulatum, ob propensam in illum reipublicæ voluntatem, octo: quod ante eam diem nunquam acciderat, ut tot legati ad Pontificem non Venetum mitterentur. Florentini, cum potiri Faventia non possent, per Franciscum Soderinum civem suum Cardinalem egerunt, ut is suspectam Julio rempublicam faceret: *Omnes ejus oppidi fines, arcemque oppidi jam in reipublicæ potestate esse: oppidum etiam brevi futurum: id illam, non tam ut ab Cæsare male parta extorqueantur, quam ut sibi acquirat, contendere, & tantopere conari: quod semel Veneti ceperint, numquam eos reddere consuevisse: ipsum eam rem sero cogniturum, cum jam ii rerum domini ejus permissu fuerint*. De eo Antonius legatus certior factus, ut Senatum purgaret, Julium adiit, rogavitque, *ne reipublicæ calumniatoribus aures tribueret, quos non defore sciebat*. cumque quod visum fuit in eam sententiam dixisset,

1503 xisset, Julius *Neque se quidquam credidisse iis, qui maledictis rempublicam insectati essent*, respondit, *neque in posterum crediturum: scire, se amari a Veneta civitate, ejusque rei permulta habere indicia: & ipsum contra amore summo erga illam affici: gaudere etiam, cum quis se ob id non Ligurem, sed Venetum appellet: quod quidem jam fieret ab iis, qui tantam ipsius & reipublicæ conjunctionem, & inter ipsos benivolentiam moleste admodum ferunt. Sed quod ad Cæsaris regnum ditionemque attinet, cupere se, ut quæ in Romanæ reipublicæ imperio ante illum erant oppida, eidem reipublicæ restituantur*. Hoc sermone habito ab se legatum dimisit. Inter hæc Pandulphus ad urbem venit: qui cum vereretur se se Ariminum propter civium infensam in se voluntatem obtinere diutius non posse, ad id, quod per Guidum Ubaldum paulo ante Senatui proposuerat, rediit, atque Ariminum reipublicæ certis conditionibus tradidit. Itaque Dominicum Maripetrum legatum qui oppidum, & Vincentium Valerium qui arcem reciperet, Patres Ariminum miserunt. Pandulpho posteriscque ejus Cittadella oppidum in Patavinorum finibus, & paulo post civitas cum jure comitiorum ipsi & Carolo fratri ejus data. Pandulphus etiam in reipublicæ militiam receptus, eique præfectura equitum attributa; uxori & fratri Carolo quinque auri libræ annuæ utrique constitutæ: alteri et liberis duobus sacerdotia liberiora promissa, quot petierat. ipsi datæ dono in præsentia auri libræ centum. Ea de re per Antonium legatum Senatus Julium certiorem facit: qui in eo perseverat, ut velle se ostendat, quæ fuerint Romanæ reipublicæ oppida, ei restitui: itaque petere a Senatu, ut auxilio suo atque opibus ad ea recuperanda se se juvet. Miserat ante illos dies Senatus alterum Faventiæ legatum Nicolaum Fuscarenum, ad oppidi oppugnationem majore studio & celeritate procurandam, lente adhuc administratam existimans. Jusserat etiam, ut Nicolaus copiarum reipublicæ præfectus cum iis Faventiam contenderet. Is statim viæ se dedit. Sed antequam Ravennam perveniret, muro tormentis percusso, legatique proponentibus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1503 bus se oppidum ad prædam militibus daturos, si cives deditionem differant, ante diem tertiumdecimum calendarum decembrium Faventia deditur. Venetias ubi de eo est allatum, Senatusconsultum fit, ne Julii animus irritetur, nihil oppidorum Cæsaris recipi amplius ab legatis oportere: satis in Arimino atque Faventia reipublicæ factum. Deinde legatorum alter jussus Ariminum se conferre, honestandi oppidi causa.

Iisdem diebus Andreas Grittus, quem Senatus ad regem Thracium miserat, pacis conditionibus aliquot in reipublicæ utilitatem recognitis, ipsa recte firmata domum rediit. At cum paulo post Roma Antonii legati literis Patres intellexissent, multorum sermonibus confirmari Julii permissu Cæsarem ad suum in Flaminia regnum propediem reversurum: proximo Senatusconsulto resciſſo, literæ sunt ad legatos ab Senatu datæ, ut quidquid possent, de Cæsaris ditione reipublicæ addere capereque festinarent. Ea re evenit, ut Meldulam in Ariminensi agro, & Tossinianum in Foro Cornelienſi, pagos muris arcibusque communitos, missi ab legatis equites ad reipublicæ imperium lubentissimos adjecerint. Post hæc Angelus Episcopus Tiburtinus, qui Alexandri legatus aliquot annos apud rempublicam fuerat, eoque mortuo Romam redierat, iterum missu Julii Venetias venit eodem legati nomine. Is primo adventus sui die *Salvere ab Julio Lauredanum Principem & Patres* jussit *humanissimis amantissimisque verbis: eisque gratias ingentes agere illum* dixit, *quod in se juvando, ut Pontifex Maximus legeretur, multum operæ studiique contulissent: plurimumque ex ea se re debere Senatui, libenter profiteri, neque unquam ejus officii memoriam abjecturum: amare insuper sua sponte Venetam civitatem, remquepublicam optimis utentem & institutis & legibus: itaque omnia ei omni tempore tributurum, quæ ex dignitate sua tribui amicissimis hominibus possint.* Hoc sermone habito, appellatis suo nomine Patribus, quibus cum priore legatione assueverat, discedit, mandata reliqua, quæ longioris essent moræ, in aliam se differre diem pronuncians. Ea dies ubi venit, secreto apud illos,

Julius Pont. a Venetis Flaminiam repetit.

los, Decemvirum adhibitis magistris, proponit, *Velle Julium* 1503
& petere, uti Ariminum & Faventia, quæ interceperint de Romana ditione oppida, ea ipsi restituantur: rogare etiam, ut ad reliqua recuperanda eum juvent: decrevisse enim, ne ulla Cæsari turricula, cui imperet, relinquatur, sed omnia eo redeant, unde recessere. Patres questi, non esse hoc illud, quod ob suam in Julium pietatem & studium ab eo expectarent, rem ad Senatum deferunt. Senatus censuit legato respondi oportere, *Quod Ariminum & Faventiam respublica ceperit, ea ab Cæsare homine importunissimo crudelissimoque cepisse, Julio ipso, antequam Pontifex Maximus fieret, hortante, facto autem permittente atque assentiente: eaque oppida, uti a vicariis obtineri solita, rempublicam modo sua feciſſe, reliqua non attigisse: quæ si voluisset, non fuisse difficile capere, atque retinere: eorum duorum oppidorum nomine se vicariam Romanæ reipublicæ velle esse, uti priores domini fuissent. quid in eo Julius amitteret? quare ea sibi esse retinenda statuisse. Quod ad eum ad reliqua juvandum attineret, suas omnes copias atque opes polliceri: eis ille tanquam suis uteretur.* Hæc responsi lex. Illud autem, hortatorem Julium ejus negotii fuisse, verissima Senatus oratio fuit: nam cum apud Julium Antonius legatus Pii Pontificis regno in eum sermonem esset ingressus, ut de Cæsaris injustissima Flaminiæ possessione quereretur, auctor reipublicæ ejus magnopere consilii Julius fuerat. Iis de rebus sæpe ultro citroque datis ad legatum Romam literis & acceptis, Julio a sententia non recedente, affirmante interdum, *potius, quoniam sibi ad bellum cum republica gerendum vires non suppeterent, se a Christianis regibus auxilia contra eam imploraturum, quos scire Romanæ reipublicæ opis eorum egenti nunquam defuisse*; Antonio autem legato ipsum illum ab eo nondum Pontificem habitum secum sermonem repetente, atque ut ejus rem misereretur, ab illo postulante, cujus omnino rei Julius satis idoneam afferre excusationem non poterat: tantum inquiebat, *quæ non Pontifex dixerit, ea se expendere non oportuisse.*

Annus ad exitum labitur: itaque prima insequentis anni die Antonius oratione composita de leni Julium satis hilarem 1504

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1504 rem aggreſſus familiariter petiit, *Ut quoniam ea die clientibus atque amicis dari munera conſuevisſent, ipſe dono reipublicæ tam illi deditæ, tam affectæ atque amanti daret, ut Ariminum & Faventiam eo libente obtineret, quo ipſe vellet nomine*. Ad quæ ſubridens Julius ita reſpondit: *Ageret ipſe cum republica ut Toſſinianum, quod eſſet in Fori Cornelii finibus, poſtremo captum, ante omnia reſtitueret: poſt id de Arimino atque Faventia peteret: aliquid fortaſſe impetraturum*. Hoc Julii ſermone ad Senatum Antonii literis celeriter perlato, dum de eo Patres conſulunt, reſque altercatione magiſtratuum ex die in diem rejicitur, Angelus legatus literas Julii Patribus reddit: quibus literis omnem illis ſpem Julius adimit, *aliter inter ſe remquepublicam non poſſe convenire, quam ſi ablata reſtituantur: id ni fecerint, Deos ſe & homines in auxilium vocaturum, atque ad omnia deſcenſurum* minatur. Tum vero Patres magnopere turbari, idque ſe ab Angelo magis, quam ab Julio agnoſcere, qui de Senatus in illum voluntate perincommode ſæpe ſcripſerit, cum moderatius atque ſedatius agere debuiſſet; Julii-que animum, quem quidem cum iracundum per ſe, tum calumniis malivolorum incitatum & ſuccenſum, reſtingui bonis verbis oportebat, digna atque indigna congerens malis perſuaſionibus inflammaviſſet. eoque magis indignabantur, quod omnia, quæ in Senatu ſecreto agitabantur, idem cognoſcere modis omnibus nitebatur, dabatque operam ut ea quamprimum Julius intelligeret, odioſaſque ad eum literas dabat.

Illud etiam Patribus ad hanc moleſtiam accedebat, quod Julius ſuum hominem legatum ad Aloiſium regem Galliæ miſerat queſtum de reipublicæ injuriis, auxiliaque contra illam poſtulatum: idemque apud Maximilianum per oratoris ipſius ſcribam Jacobum Banniſium Roma miſſum fieri procurarique mandaverat, ſcriptis ad eum literis acerbioribus ea de re, decimamque fructuum ex ſacerdotiis Germanicis, quam quidem Maximilianus ab eo magno ſtudio petierat, ultro illi deferens, ſi ſe juverit. Apud quem utrunque, Senatus ab legatis reipublicæ facti excuſationem afferri juſ-

ſit:

ſit: *Se Ariminum & Faventiam non ab Romanis Pontificibus, ſed ab latrone omnium teterrimo avertiſſe: alterum, ne a Florentina civitate, ſibi propter recentem Piſani belli memoriam inimiciſſima, quæ eo ſuas copias miſerat, interciperetur: alterum, permutatione oppidi cum ejus regulo facta in reipublicæ finibus. ea oppida ante Cæſarem per vicarios obtineri conſuevisſe. ſi ſe illorum vicarium fieri Senatus velit, nihil novi petere: id pro ejus plurimis in rempublicam Chriſtianam meritis æquum eſſe ei tribui, quod ſæpe aliis nihil merentibus ſit datum: neminem in Flaminia vicarium, neque ad eam ipſam reliquaque Romanæ ditionis oppida defendenda firmiorem, quam Senatus ſit, neque qui majori illi uſui, ſi res exigat, poſſit eſſe, hac Julium tempeſtate habiturum. Quænam invidia ſit, quod temere cuilibet, ac ſine ullo uſu condonatur, id & præteritis reipublicæ promeritis & ſpei futurorum, cum ſe occaſio dederit, proventuum & commodorum pernegari? Ipſum præterea Julium ſuaſorem Senatui per legatum abripiendi ab Cæſare Flaminiam extitiſſe: poſt id, præter illud, cujus ipſe hortator fuit, nihil novi accidiſſe: ut non tam Julius habere cauſam, cur a ſententia recedat, quam quonam modo reipublicæ noceat, quærere ac meditari videatur. Petere itaque rempublicam ab Aloiſio quidem, ne fœderis religionem, quod ei cum Senatu eſt, propter Julium tam injuſte ſe efferentem violet: a Maximiliano autem, ut amicus reipublicæ quæ finitima illi eſt, atque benivola ſemper fuit, bona in cauſa malit eſſe, quam Julio, qui longe ab ejus regno abeſt, in periniqua, ſi fides inter homines atque conſtantia ſuum jus obtineant*. Qua accepta excuſatione, uterque a ſe reipublicæ cauſam apud Julium defenſum iri liberaliter pollicitus, Senatum paulo quietiorem reddidit. Illis diebus, propterea quod Nicolao Urſino, qui Ravennæ erat, reipublicæ copiarum præfecturæ tempus explebatur, ob ejus fidem atque conſtantiam, quod a compluribus civitatibus & regibus, ut ipſorum ſtipendia faceret, magnis pollicitationibus invitatus, rempublicam deſerere noluerat, perpetuum imperatorium ei nomen cum ſtipendio annuo auri librarum quingentarum Senatus dandum cenſuit.

IN

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN LIBRUM SEPTIMUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

Franciscus-Maria a Guido-Ubaldo adoptatur. Aloysii cum Maximiliano Cæsare fœdus. Tronus Venetiis ob proditionem suspenditur. Joannes Pisaurum obtinens Venetiis uxorem ducit. Isabella Hispaniæ regina moritur. Herculis Atestini obitus. Germanorum domus Venetiis conflagrata, magnificentius a Senatu iterum ædificatur. Senatus controversiæ cum Julio Pontifice compositæ, & legati octo ad eum missi. Alfonsi Atestini Venetias adventus. Aloysii cum Ferdinando fœdus. Piraticum bellum. Tunetani regis ad Senatum legatio & munera. Norimbergenses Venetarum legum exemplum petunt. Senatus Alexium Thracio regi tradit. Sabellici obitus. Aegyptii regis legatus componendarum controversiarum causa Venetias venit. Philippi Austrii in Hispaniam profectio & obitus. Ferdinandi regis Neapolim adventus. Julii Pontificis literæ a Senatu rejiciuntur. Joannes Bentivolus a Julio Pontifice Bononia pellitur. S. C. in eos, qui principum legatorumve favore uterentur, latum. Petri Barotii obitus. Liguribus petentibus civitas & securitas datur. Aloysii in Italiam adventus. Genuæ expugnatio. Ejusdem cum Ferdinando rege colloquium & in Italiam reditus. Milites ex agris a Venetis instituti. Maximiliano petenti itineris cum exercitu facultas denegata. Reipublicæ ad bellum apparatus. Germanorum in Rhetos & Carnos irruptio. Eorumdem ad Cadoras clades. Tergeste cum multis aliis oppidis a Venetis expugnatur. Venetorum cum Maximiliano induciæ. Terræmotus in Creta ingens. Contarenus Camalis naufragio perit. Lex in eos, qui largitione magistratus quærerent, lata. Pax Maximiliano petenti denegatur. Novi homines in Britannico oceano capti. Cameracense fœdus. Venetorum ad bellum apparatus. Pulvis tormentarius & urbana navalia fulmine tacta. Hispani regis fraudes. Belli contra Venetos initium. Fœdus cum quatuor Helvetiorum pagis a Venetis ictum. Galliæ rex Venetis bellum indicit. Pontifex Venetis aqua & igni interdicit, Galliæ regis Mediolanum adventus, ejusque copiæ. Venetorum cum Gallis ad Abduam pugna.

P E-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM
HISTORIAE
LIBER VII.

EOdem fere tempore, quod Vincentius Naldius Faventinus, magna in oppidi finibus gratia, omne studium & diligentiam adhibuisset, ut Faventia in deditionem potestatemque reipublicæ rediger- 1504
retur, ei militiæ insignia cum vel- rea, aurique libræ viginti sunt a Patribus dono datæ, tum quinque in annos singulos constitutæ pensionis nomine, immunitate omnium rerum, quam hæredes ejus sequerentur, addita: primis quoque proximi ordines militum belli tempore promissi: ejus etiam propinquis quatuor victus annuus attributus. neque multo post eædem honestates, donaque totidem, quot in Vincentium Senatus contulerat, in Dionysium item Naldium ejus consobrinum sunt collata. Aestate vero insita cum Guidus Ubaldus Julii suasu Franciscum Mariam, fororis suæ

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1504 ſuæ filium, cui fuerat pater Joannes Julii frater Senogalliam obtinens, adoptaviſſet, eam adoptionem Julius de collegii ſententia magno ſtudio comprobavit. qua una quidem re ſuam in Venetos iracundiam injuſtiorem reddidit, cum videri poſſet, quod illis juris in Romanæ reipublicæ oppida tam obſtinate pernegaret, ſuis facile propinquis tribuiſſe. Maximilianus autem ſuſcepti paulo ante reipublicæ apud Julium patrocinii plane jam immemor, duos legatos Venetias miſit, qui Senatum hortarentur, *Uti Julio Faventiam atque Ariminum reſtitueret: eam in primis curam ad ſe ſpectare, ſuique eſſe muneris Romanæ reipublicæ Pontificiſque rerum procurationem: id ſi nolit, cauſam ad judicium remittat: ſe curaturum, ut item ab Julio remittatur: quod ſi ſe arbitrum velint ejus diſceptationis facere, ſe non recuſaturum, & pro rei æquitate ſententiam laturum.* Iis legatis Lauredanus, conſulto Senatu, cum omnes ejus rei cauſas, quas quidem Maximiliano civitatis legati antea oſtenderant, enumeraviſſet, unum modo reſpondit, *Reipublicæ jus illis in oppidis ſatis eſſe clarum atque notum per ſe ſe: itaque nolle Patres id in ambiguum vertere.* Eo reſponſo accepto, legatorum alter Romam diſceſſit, altero apud Senatum relicto, eique ſumptus publice factus, quoad apud Patres fuit. Julius interim arcem Forolivianam, auri libris centum quinquaginta, quas ab Cæſare acceperat, Remiro præfecto traditis, unaque oppidum obtinuit; cum antea Ceſenam & Cornelium Forum iiſdem prope artibus ſuæ poteſtatis feciſſet. Præfectus arcis Forolivianæ cum Cæſaris ſupellectili Venetias venit. Poſt hæc inter Aloiſium Gallorum regem & Maximilianum fœdera ſunt firmata, cum de eo per legatos diu multumque diſceptaviſſent. quibus confectis Joannem Laſcarem Byzantium Aloiſius iterum ad Senatum miſit, qui diceret, hortari ſe ſe Patres, *ut aliquam cum Julio inirent ad concordiam & conſenſionem viam: qua inita unanimi omnes ſtudio ea de bello Thracio cogitare poſſent, quæ jampridem cogitanda atque agenda ſunt. adderet & illud, ſibi cum Maximiliano conveniſſe, pacemque*

Maximiliani ad Remp. legatio.

Fœdus inter Cæſarem & Gallorum regem.

que & benivolentiam inter ipſos eſſe conſtitutam; non illam quidem, ut cuipiam nocerent, ſed ſuarum utriuſque rerum & regnorum tuendorum cauſa. Patres auri libra in ſumptum menſibus ſingulis legato regio a quæſtoribus dari juſſa, *Nihil ſe feciſſe reliqui* dixerunt *orando, pollicendo, uti Julium placarent: deſcendiſſe enim etiam ad illud, tametſi Alexander Faventiam, & reliqua oppida Cæſari libera immuniaque dederit; velle tamen ſe ſtipendiarios Romanæ reipublicæ fieri, Faventiæ Ariminique nomine: legem ipſe ſtipendiorum diceret, nihil ſe recuſaturos, auroque Veneto recenter ſignato annis omnibus ea libenter perſoluturos: neque quidquam tamen profeciſſe. cæterum lætari ſe, duorum tantorum regum animos ab odio exercendo ad pacem & benivolentiam eſſe converſos. verum, propterea quod in fœdere, quod reipublicæ cum Aloiſio intercedebat, caput unum erat ejuſmodi, neutri ſine alterius voluntate fœdus ullum cum rege ullo facere licere, ſcire Patres cupere, cur de eo rex nihil antea Senatui ſignificaviſſet.* Ad ea legatus cum aliquandiu ſiluiſſet, tandem *ſe ſcire nihil* reſpondit, *niſi unum, ei fœderi tempus quatuor menſium eſſe præſtitutum, quos uterque velit, ſibi ſocios & fœderatos nominandi: itaque poſſe adhuc quidem regem ei fœderi inſerere rempublicam.* Qui legati tamen ſermo Patrum animos, quibus quidem ea pax Senatu non appellato confecta, ſuſpicionem haud parvam afferebat, nihil leniit. 1504

Poſt hæc Decemviri certiores facti ſervi indicio, qui ab eo vapulaverat, Hieronymum Tronum (qui bello Thracio Naupacti arcem, quam reipublicæ nomine cuſtodiebat, hoſtibus tradiderat, eamque ob rem exul aliquot annos fuerat) id quod fecerat de tradenda arce pretio accepto feciſſe: Tronum ab exilio domum redeuntem in vincula conjecerunt, pauloque poſt quæſtione habita, e ſuperiore curiæ porticu, quæ in foro eſt, inter rubri lapidis columnas reſte ſuſpenſo carnifex gulam fregit. Atque ultimis fere anni diebus Joannes Piſaurum obtinens Matthæi Teupoli filiam duxit uxorem, nuptiis in urbe per legatos inſtitutis. Tum litera ex Hiſpania ad Senatum ve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1504 *Isabellæ, Hispaniæ reginæ obitus VI. kal. decemb.*

nerunt, Isabellam reginam Ferdinandi uxorem, magno animo excellentique virtute fœminam, e vita excessisse: ejusque generum Philippum Maximiliani filium, in Belgis regem, testamenti tabulis permagna Hispaniæ terræ parte auctum fuisse. quibus duabus de causis Vincentius Quirinus, vir in philosophiæ studiis clarus, ad Philippum legatus a Senatu lectus est, ut illi & de socrus morte reipublicæ molestiam ostenderet, & de regni accessione gratularetur. Pauloque post Hercules Ferrariensium dux item moriens Alphonso filio regnum reliquit. Erat in celeberrima urbis regione ad Rivumaltum domus reipublicæ perampla, quæ antiquitus a Germanis mercatoribus incoli consueverat: in eam illi cujusque modi res, quas quidem vendere cuperent, advectas suis ab oppidis inferebant, & civitati emendas proponebant: quasque in urbe ipsi coemebant, ut in Germaniam conveherent, eodem congerebant, quoad essent deportandæ. Ea domus, ut erat mercium omnis generis plenissima, insequentis anni initio magna cum plurimorum honestorum hominum jactura conflagravit: quam tamen domum illo ipso anno civitas a fundamentis, fornicibus inædificatam, ne ignis nocere posset, magnificentiore multo forma commodioreque restituit. Ejusdem initio anni Bartholomæo Liviano, qui a republica peracto stipendiorum tempore, Patribus non permittentibus discesserat, ut illatas suæ in primis genti, reliquisque Romanis principibus ab Alexandro atque ab Cæsare cædes & vastitatem vindicaret, Hispaniæque regum militiam fecerat, iterum recipi postulanti, præfectura equitum, cum stipendio annuo librarum auri centum quinquaginta, est a Senatu data.

1505 *Herculis Ferrariensis mors VII. kal. febr.*

Germanorum domus incendium, & restitutio.

Cumque Cesenæ, Forilivii, Forique Cornelii legati apud Julium questi essent, se a Venetis magna agri parte spoliatos, angustis uti finibus, atque inopia multarum rerum premi: Julius per Guidum Ubaldum Antonio legato proposuit, si Senatus eos fines sibi restituat, de Faventia atque Arimino se deinceps verbum non facturum, reiquepublicæ oppida illa in omne tempus uti retineat, permissu-

1505 *Pontificis & Venetorum controversiæ.*

missurum. Ea Guidi Ubaldi oratione Antonii literis ad Patres perlata, Senatus, ne cuipiam obstinatior videri posset, Antonio rescripsit: si ei Julius fidem faciat, ita fore, uti Guidus Ubaldus ei dixit, se fines illos restituturum, legatosque quos creasset octo ad illum missurum, suumque in eum studium & observantiam præstaturum. Quo responso accepto, Julius & Antonio de Arimino atque Faventia liberaliter est pollicitus, & magnam se ex eo voluptatem cepisse, apud suos familiares præfetulit. Senatus de eo certior factus, oppidula decem numero cum eorum finibus uti Julio restituerentur, censuit: in quibus Cesenæ portus, qui est in maris litore, Savinianum, Tossinianum, Archangelianum fuere. Iis Julii internuncio, quem ad id in Flaminiam miserat, per legatos reipublicæ restitutis, Julius rem ad collegium deduxit, laudatusque ab omnibus, quod se ad concordiam cum Senatu dedisset, magnum sui consilii fructum tulit. Unus Franciscus Soderinus Cardinalis, cum & ipse Julium verbis honorificis extulisset, addidit, eo se magis illum laudare, quod quemadmodum fines illos recuperavisset, ita etiam Ariminum ab eo atque Faventiam brevi recuperatum iri confidebat. Legatio postea, de qua supra dictum est, Romam missa ab Julio libentissimo recipitur: ii fuerunt, Bernardus Bembus pater meus, Paulus Pisanus, Hieronymus Donatus, Nicolaus Foscarenus, Andreas Venerius, Andreas Grittus, Leonardus Mocenicus cujus pater Joannes Venetorum Dux fuerat, & Dominicus Trivisanus templi Marcii procurator. Ejus legationis Bernardus Bembus propter ætatem principem locum tenuit. Andreas Grittus & Nicolaus Foscarenus e senatu, qui Principi assident, legationem inierunt. Antonio autem, cum diu Romæ in ea legatione fuisset, reiquepublicæ singulari suo studio atque prudentia magnopere satisfecisset, domum est reditio permissa. Atque hæc fere medio eum, quem diximus, eventum habuerunt.

Aestate vero inita, Alfonsus Atellanas, ut Lauredanum Principem & Patres regni sui initio salutaret, magno comita-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1505 mitatu ad urbem venit, honorificeque acceptus, & auri libra diebus ſingulis in ſumptum a Senatu donatus, gravi cum Patribus benivolentiæ fœdere amicitiaque arctiore conſtituta, domum rediit. Patres ſub hæc de adventu in Italiam Maximiliani, qui Romam velle ire dictitabat, ut imperii inſignia a Pontifice Maximo acciperet, ſæpe conſulti, ejus legatorum poſtulatis amice & benivole ſunt polliciti. Decembri demum menſe, de confectis ab Aloiſio Gallorum rege Ferdinandoque inter ſe fœderibus cognoverunt: quæ omnino res ſuſceptam ab illis jam antea de Aloiſii in ſe ſe animo ſuſpicionem facile auxit, propterea quod is nihil ante de ea quoque re Senatui ſignificaviſſet. Ferdinandus quidem per legatum ſuum Patribus oſtendit, propter nova illa inita cum Gallorum rege fœdera, nihil ſe de vetere ſua cum ipſis benivolentia diminuere, quam non retinere modo atque alere, ſed augere etiam ſtudiis atque officiis in dies ſingulos cuperet: nullos
1506 eventus eam ſibi mentem erepturos. Anno inſequente, ob nonnullos mare Aegeum atque Ionium, demum etiam Adriaticum navigantibus infeſtum reddentes piratas; Senatus quamplurimas triremes non uno tempore armandas curavit: quibus a triremibus capti aliquot, latrociniorum pœnas reipublicæ dederunt. Eo tempore Tunetis regis legatus ad Senatum miſſus, equos miræ pernicitatis more Punico ephippiatos quatuor, aquilaſque aucupio idoneas totidem, & canes venaticos Patribus dono attulit, petens, ut naves longas ad mercatum eo mitterent: velle enim regem ſuum amicitiam cum republica inſtituere. Is legatus liberaliter acceptus, domumque cum muneribus remiſſus, optimam in regem civitatis voluntatem reportavit. Etiam Norimbergenſes, ampla & florens atque in primis libera ſuique juris in Germania civitas, miſſis ad urbem legatis, exemplum Venetarum legum a Patribus petiverunt: velleque ſe ſe eis uti legibus oſtenderunt: quod quidem illis Senatus frequens conceſſit. Petente autem ab Senatu arroganter Bajaſete rege, ut Alexium in Illyrico inſulam bello Thracio captam ſibi reſtitueret, obſtinatis

Alfonſi Ferrarienſis Venetias adventus.

ejus

ejus atque aſſiduis poſtulationibus Patres victi, ne is pacem, quam cum illo fecerant, ſi rejiceretur, frangeret, ab Alexio incolis omnibus emigrare juſſis, aliiſque in locis collocatis, rebus aſportatis, arce diruta, eam inanem atque vacuam importuno regi relinquendam cenſuerunt. 1506
Erat paucis ante id Senatuſconſultum diebus Marcus Antonius Sabellicus, qui res Venetas conſcripſit, ipſa in urbe mortuus: laudaveratque illum Egnatius. Quoniam vero civibus Venetis, qui tunc in Aegypto mercaturam exercebant, multa incommoda rex Alexandrinus intulerat, auctis præter morem Indicarum mercium pretiis, ipſorum bonis vi direptis, aliquot in vincula conjectis; Senatuſque ea de re per legatos apud regem queſtus fuerat: regis legatus ad Senatum venit ejus controverſiæ dirimendæ atque componendæ gratia, Tanguardinus homo Hiſpanus, qui multos annos Alexandriæ fuiſſet. ei eſt ſumptus de mercatorum pecuniis æquis portionibus æſtimatis datus.

Sabellicus moritur XIIII. kal. majas.

E Gallia etiam ab rege literæ, Julii literas ad Senatum datas attulerunt; quibus literis, quoad Julius viveret, Ariminum & Faventiam retinendi reipublicæ facultas dabatur. Eas literas Julius ad regem miſerat, ut per illum Senatui redderentur, quo major auctoritas intercederet; quod intelligebat, illarum ſcripto multo minus ſe præſtare, quam id erat, quod pactus cum republica fuiſſet, legatoque ipſe Veneto ſuamet oratione confirmaviſſet. Id ubi Patres de legato regio intellexerunt, magna eos indignatio tenuit, ingrato animo eſſe Julium prædicantes, nullaque conſtantia, qui tantis acceptis beneficiis, tot ad ſe miſſis una legatione civibus, quot nemini unquam externo, tam inſignibus in illum civitate facta officiis, tamen nunc conditionibus a ſe uno poſitis non ſtet, niſi tenuiſſima ex parte, atque ejus quidem partis rege internuncio, ut illius auctoritate res, quemadmodum quidem vult, minore negotio tranſigatur. Eas ob regis literas coacto biduum Senatu decernitur, literas Julianas non eſſe accipiendas. Ferdinandus interea rex claſſe Nea-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1506 polim adventabat, ut, quoniam ad Philippum generum omnis prope Hiſpaniæ nobilitas confluebat, atque ipſum priſtina populorum gratia, dignitaſque apud eas nationes deſtituebant, id in regnum ſe conferret, cujus ille particeps non eſſet. Eam ob rem Patres Georgium Piſanum, Marcum Dandulum legatos creaverunt, qui Neapolim ad Ferdinandum proficiſcerentur, de ejus in Italiam adventu gratulatum. atque is nequedum Neapolim attigerat, cum Philippus in Hiſpania, quo ſocru mortua mari e Belgio venerat, pituita interiit. ita ſunt magna incœpta ſpeſque ingentes una cum vita juveni abruptæ. Eam ob filii mortem Maximilianus pater ſuum in aliud tempus Romanum iter diſtulit: quique jam præmiſſi ab eo in Alpibus Germani erant milites, domum revocati redierunt. Julius autem, qui omnes ſuos conatus eo intenderat, ut oppidum Bononiam in ſuam ditionem atque imperium revocaret; cujus quidem oppidi regnum tametſi Romani juris eſſet, a Joanne tamen Bentivolo obtinebatur; comparatis rebus omnibus, quæ ad bellum uſui eſſent, Roma cum exercitu & collegio in Flaminiam æſtate jam confecta diſceſſerat, ut illum oppido expelleret. quod omnino longe facilius, quam hominum opinio ferebat, propter ingens civitatis in illum odium, adductis in fines oppidi, quas & ipſe habebat, & ab rege Gallo acceperat, copiis, menſe octobri eſt aſſecutus. Ea illi de re ab Dominico Piſano legato, qui Antonio ſucceſſerat, reipublicæ nomine gratulatio eſt facta: tametſi ipſe quoque Julius ſuum tabellarium cum literis ad Senatum miſerat, quæ illum iis de rebus docerent. Ultimis anni diebus, propterea quod ſæpe fiebat, ut qui impetrare magnam aut difficilem rem aliquam a magiſtratibus cuperent, regum & Pontificum maximorum legatis uterentur, qui eos Principi Patribuſque commendarent; interdum etiam ipſorum regum principumque civitatum ad urbem venientium patrocinio nitebantur, quorum auctoritati Patres prope negare nihil poterant: Senatuſconſultum factum eſt, cui quid a Patribus impetrare ſit neceſſe, is neque virum principem, neque

Philippi Auſtriaci obitus IIII. kal. octobr.

que legatum adhibeat, cujus commendatione apud eos 1506
niti poſſit, pœna pro genere hominum iis, qui Senatuſconſultum neglexiſſent, conſtituta.

Primis vero ineuntis anni diebus Petrus Barotius Pata- 1507
vinorum epiſcopus moritur, vir politioribus literis & ſacrarum ac multarum diſciplinarum doctrina inſignis, moribus, vitaque ſanctiore, quique ſublevandis egeſtate preſſis civibus ſacerdotii ſui fructus omnes largiebatur, ut unius illius liberalitate non parva oppidanorum pars viveret. itaque mortuo neque numi neque ſupellex pretioſa ulla inventa, præter bibliothecam. eas ob res ſepulcrum ei marmoreum in templo Patavino faciendum publica pecunia, Patres conſcripti cenſuerunt. Pauloque poſt cum cives plurimi Ligures emigrare domo, atque urbem velle incolere ſe ſe Patribus oſtendiſſent, modo tuti publice fierent, ſi quid in Venetos Ligur quiſpiam deliquiſſet, ſua bona ea re non teneri: Senatuſconſultum factum eſt, quo eis civitas atque ſecuritas eſt data, navigatione mercaturæ cauſa in orientem excepta. Sub idem tempus Aloiſio Gallorum rege in Italiam properante, ut Genuenſium civitati, quæ ab eo defecerat, ſe ſeque in libertatem vindicaverat, bellum inferret, Dominicum Triviſanum, Paulum Piſanum Patavinorum magiſtratum Senatus legatos ad regem de adventu gratulatum miſit. Ille autem recepta paucis diebus Genua Mediolanum ſe contulit, ibique eum legati convenerunt. Sed cum in Galliam tranſalpinam rediens apud Aſtam cognoviſſet Ferdinandum regem, qui Neapoli claſſe in Hiſpaniam revertebatur, exitiere Genuam appuliſſe, convenireque ſe cupere: is præſto ad Savonem oppidum fuit, magnoque illum honore excipiens, cum una dies aliquot fuiſſent, Ferdinando abeunte ipſe in Galliam profectus eſt, legati domum reverterunt.

Petri Barotii, Patavini Epiſcopi, obitus IIII. id. januar.

Eum ob Aloiſii tam celerem in Italiam adventum, cum illum, ſi inimico eſſet in rempublicam animo, non longinquitas itineris, non leges interpoſiti, non denique Alpes moraturæ viderentur, quin, cum vellet, in citeriorem Galliam parvo negotio trajiceret: tum etiam quod

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1507 rumor increbruerat, Maximilianum in Italiam cogitare: ne reſpublica ad ejuſmodi caſus imparatior offendi poſſet, Senatuſconſultum factum eſt, in Veronenſium finibus eorum qui arma ferre poſſent, certus agreſtium hominum numerus conſcriberetur, qui rei militari aſſuefierent: iiſque immunitas reliquarum rerum daretur, quo paratiores ad obeunda belli munera eſſent, & cum vocarentur ad ſigna, eveſtigio convenirent. Ea militum ex agris deinceps inſtitutio ad reliquos reipublicæ fines, ut eſt uſus omnium rerum magiſter, brevi permanavit: itaque nunc quidem cujuſque oppidi vici, pagique partem habent ſuorum, qui ei rei ſtudent, ut armati paratique ſint, nullo ut interpoſito temporis ſpatio ad bellum prodire, reipublicæ celerem navare operam poſſint. hoſque omnes uno nomine milites pro ordinibus appellaverunt. Rex poſt hæc Alexandrinus controverſiis, quas habebat cum republica fine facto, ad juſtitiam & æquitatem ſe ſe dedit. itaque triremes ad mercatum eo remiſſæ cum magiſtratu Veneto, qui Alexandriæ moram traheret, cumque legato regio, de quo ſupra dictum eſt: cui proficiſcenti veſtis aurea cum pretioſis pellibus, aurique libræ decem ſunt a Senatu dono datæ: comitatuique ejus omni indumenta honeſtiora tradita.

Lex de militum delectu ex agricolis.

Interim a Vincentio Quirino legato, quem ad Maximilianum Patres miſerant, acceptis ſæpe literis ſignificabatur, Maximilianum ſpreta, quam ſuperiore anno fecerat cum rege Gallorum, pace, neglectiſque fœderibus, quibus illum non ſtetiſſe conquerebatur, de Germaniæ conſilio ſtatuiſſe, in Italiam cum exercitu accedere, ad ſpeciem, ut tuto Romam ſe conferret, re, ut Mediolani regno illum ejiceret. Senatus novis equitatus & peditatus copiis munire rempublicam decrevit: itaque præfecti ſunt equitum adlecti quamplures, in iis Vitellius Tifernas, & Guidus Vainus e Cornelii Foro cum militibus ſexcentis, equitibus quinquaginta ambo: Jacobuſque Siccus e Gallia Ciſalpina, & Lucius Malvetius Bononienſis, cum turma equitum uterque gravioris armaturæ centum: tum, ut

ut milites numero ad decem millia conſcriberentur, la- 1507
tum, qui ſub tribunis & centurionibus in caſtris verſarentur, quique per oppida præſidii cauſa diſponerentur, ad quinque millia. equites etiam levioris armaturæ tercentum quadraginta Nauplia & Zacyntho accerſiti urbano in litore, quo appulerant, a magiſtratibus luſtrati, ſtipendio accepto ſe Tauriſum contulerunt. Iis rebus confectis, Maximiliani legati tres ad urbem veniunt poſtulatum: *Propterea quod rex eorum iter haberet nullum aliud, uti Romam, quo eundum illi erat, per fines reipublicæ regi exercituique regio itineris faciendi Senatus facultatem daret: recipere Maximilianum, fidemque ſuam in eo interponere, ſe ſe ſine maleficio atque injuria per eos fines iter facturum, exercitumque ducturum. quod ſi propter eam, quam haberet reſpublica cum rege Gallorum, amicitiam, Senatus id ſe minus recte poſſe facere exiſtimet, monere Patres Maximilianum, atque aperte profiteri, nullam eſſe in eo rege fidem, nullam conſtantiam: id ſe eſſe ſæpenumero expertum: itaque rectius facturum Senatum, ſi nihil in illo ſibi præſidii putet eſſe conſtitutum: ſe ſe Patribus fœdera, quæ pepigerit, vita ſua diligentius ſervaturum.* Ea re ad Senatum relata, cum plures ſententiæ dicerentur, eſſentque nonnulli ex magiſtratibus & principibus civitatis, qui Maximiliano credi oportere contenderent: vicit tamen ea ſententia, quæ legatis in hunc modum uti reſponderetur, cenſuit: *Si Maximilianus parate ſineque exercitu velit iter facere, rempublicam ei quod peteret libentiſſime conceſſuram, legatoſque miſſurum, qui illum exciperent, omnibuſque honoribus proſequerentur: ſin cum exercitu proficiſcatur, a pace, quam cum rege Gallo habeat, non poſſe diſcedere Senatum ſine perfidiæ crimine: itaque nihil ei permiſſurum.*

Atque his ipſis nondum ab urbe profectis legatis, Gallorum rex novam legationem ad Senatum mittit, mentem ac voluntatem reipublicæ ſi Maximilianus ei bellum infecerat, ſciſcitatum: magno enim timore afficiebatur, propterea quod fama vulgaverat, Germaniæ populos Maximilia-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1507 miliano ingentes copias ſubminiſtraturos ; ne ab eo tanta in re tam unanimi illarum nationum conſenſu Patres perterriti deficerent, aliorum mores hominum, ut plerunque fit, ſuorum morum modio atque conſuetudine metiens. Senatus autem omnes reipublicæ facultates legatis ad regem defendendum eſt pollicitus: quæque Maximiliani legati a republica petiiſſent, quod ad illa reſponſum habuiſſent, amico eis animo aperuit. Patres poſt hæc venientem ad urbem Nicolaum Urſinum imperatorem ab ipſis accerſitum, ut cum eo & Liviano & Carraciolo, qui utrique juſſu eorum venerant, de bello conſilium caperent, ei obviam in navi Bucentauro profecti civitate circunvecta exceperunt : inſequentibuſque diebus, quibus in locis Maximiliano, quamque ante diem copiæ reipublicæ eſſent opponendæ, una cum his conſtituerunt: eoſque eveſtigio reverti, & quam quiſque partem reipublicæ finium tuendam ſuſcepiſſet, ad eam illum contendere jufſerunt. certiores enim facti tractari arma in Maximiliani finibus, militeſque pluribus in locis cogi, nihil ſibi reliqui ad exercitum comparandum, copiaſque partiendas fecerunt, ut in tempore occurri poſſet.

Venetorum apparatus adverſus Maximilianum.

Ubi Maximilianus de legatis ſuis cognovit, nolle Senatum ei armato per fines reipublicæ iter dare, Vincentium Quirinum ab ſe dimiſit. profectus ille cum in primis reipublicæ finibus ſubſediſſet, ne injuſſu Patrum propius accederet, Senatu permittente domum rediit. Patres tametſi decembri appetente menſe multis veriſimile non fieret Maximilianum Alpes eſſe cum exercitu trajecturum, tamen Georgio Emo legato ab Senatu declarato, qui in fines Veronenſium cum copiis accederet, eo ſe ab latere celeriter munire decreverunt : præſertim quod intelligebant, Germanorum militum certam jam manum adventare, ut illis ex Alpibus ſe demitteret. quæ quidem manus nequedum munitis itineribus & ſaltibus facile trajecit, ſine ullo tamen reipublicæ maleficio, pacataque in Mantuanorum ſe fines contulit. Ii erant milites circiter mille ducenti. Pauciſque poſt diebus cum nullo accepto in

in Italia ſtipendio domum redire ſtatuiſſent, Emuſque interea legatus exercitu adducto itinera clauſiſſet: ut reverti ejus voluntate ſibi liceret, ab eo petiverunt. Ille armis depoſitis iter facere juſſit. Sed cum iiſdem in locis atque in Vicetinorum ſaltibus anno inſequente inito Germani ſæpenumero ſe oſtendiſſent, ut in fines reipublicæ irrumperent, omnino neque in eo perfecerunt quicquam ipſi, neque a Venetis ulla eſt res paulo illuſtrior geſta : neque oppidum quodpiam nobilius captum, aut cædes aut fuga hoſtium memorabilior facta : tametſi Aloiſius rex, qui ſæpe Senatum per legatos oratione magnifica confirmaverat, ſe ſe eum nunquam deſerturum, ipſum etiam, ſi neceſſe ſit, reipublicæ auxilio venturum, Triultium cum copiis in caſtra Veneta miſiſſet, & Senatus Andream Grittum legatum magna cum manu eodem accedere juſſiſſet. Nam cum duos uno tempore legatos Senatus creaviſſet, Grittum & Georgium Cornelium, ut alter in Rhetos, alter in Carnos proficiſceretur (inde enim etiam in reipublicæ ditionem velle perrumpere Germanos literis nunciiſque afferebatur) iis uti ſorte imperia partirentur, Patres permiſerunt : ita Gritto Rheti, Cornelio Carni provincia obtigit. atque in Rhetis quidem hunc unum res eventum habuerunt, ut repreſſi & repulſi ſæpe hoſtes ex reipublicæ ditione atque imperio nullum ſibi iter patefecerint, nihil omnino ceperint, amiſerint autem potius ultimis bellidiebus montanum oppidulum Agreſtam. at in Carnis, qua nihilo ſecius Germani aditum in reipublicæ fines tentaverant, Livianus, qui exercitui præerat, & Cornelius legatus, rem ſane publicam naviter atque feliciter geſſerunt. Nam cum menſe februario rumor increbruiſſet, hoſtium non parvam coactam in Carnis manum eo ab latere bellum illaturam adventare, Daniel Dandulus Feltriam a Senatu miſſus eſt, rebus, quæ ex uſu eſſent, procurandis, commeatuque exercitui, qui eo venturus erat, duriſſimo anni tempore locis impeditiſſimis ſubminiſtrando. Gradiſcas quoque caſtellum apud Sontium flumen arte atque opere communitum, Juſtinianus Maurocenus Senatu juben-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 jubente iisdem cum mandatis est profectus. Tum Cornelius & Livianus Bassiano in Alpium radicibus ad Medoaci ripam sito, quod ad oppidum multis e reipublicæ finibus exercitum cogebant, jussi cum copiis ad Germanos reprimendos contendere.

Interim repentino hostium adventu, qui per devia asperaque Alpium juga, præcipitesque declivitates ferratis pedibus iter confecerant, centurionem cum militibus sexaginta Clusæ pagi angustias servantem profugisse, Cadorasque oppidulum ad flumen Plavim, quod ab Clusa quinque millia passuum abest, una cum arce, & Petro Ghisio prætore in hostium venisse potestatem nunciatur. Ea intellecta re in castris, Livianus celeritate adhibita cum duobus familiaribus ad vicina hostibus loca se se contulit speculatum, relicto Cornelio, qui cum copiis paratioribus diurnis nocturnisque itineribus subsequebatur. In urbe Donatus Legius a Senatu lectus est, qui Cividale Carnicum contenderet, daretque operam ne quid incommodi respublica eo in oppido acciperet. In Forojulienſibus autem Hieronymus Saornianus, de quo supra commemoravimus, vir egregia fide atque virtute, princepsque civitatis, primo paucis cum equitibus e sua familia ad eos fines est profectus, quibus in finibus hostes impressionem fecerant, magnaque celeriter auxilia reipublicæ conventura confirmans, earum regionum incolas labentes jam, ad imperataque Maximiliani facienda pronos, in officio continuit. deinde coactis hominum duobus millibus quingentis, equitatu etiam addito, iter impeditissimum faciebat, ut contra hostes cum legato exercituque reipublicæ illa cum manu se conjungeret.

Maximiliani ad Senatum nova legatio.

Dum hæc agitarentur, Lucas Renaldius Maximiliani legatus ad Senatum venit illud idem postulatum, de quo antea sæpe rex egerat, iter Romam per fines reipublicæ repetens: *Regem suum propterea velle armatum incedere, quod se tutum ab suis hostibus aliter fore non confidebat: reipublicæ nihil ab eo nocitum iri omnibus illum modis confirmaturum: vel Senatus obsides ei daret, nociturum esse illi*

illi neminem: hoc si præstet, sine armis regem iturum. Ad 1508
hæc Lauredanus respondit: *Scire regem, quam propensa semper fuerit reipublicæ erga Federicum imperatorem patrem suum seque ipsum voluntas: quo magis indignum esse, bellum ab eo inferri non unis reipublicæ finibus, prædas abigi, castella expugnari: de eo se magnopere conqueri, deosque testes adhibere, non esse ita de rege meritam rempublicam: sed rem se ad Senatum relaturum, deque ejus sententia responsurum.* Nam quod a Cornelio literæ venerant, confidere Livianum, propeque recipere, hostes sibi pœnas cito daturos, Patres respondendi Maximiliani legato tempus interponere volebant, dum a Carnis aliquid confecti afferretur. Legato autem socii sunt atque custodes dati, ne quis eum alloqui posset, cui Patres id non permisissent. Livianus adductis ad se militibus mille octingentis, quorum erat dux Petrus Montius, vir magna virtute; equitibusque levis armaturæ ex Epiro prope ducentis, quibus præerant Palæologus & Busichius; tum ex iis qui sagittis utebantur, alteris fere totidem; gravioriſque armaturæ ex ipsius & reliquorum turmis paulo plus ducentis: Saornini literis ac nunciis de locorum situ, de hostium numero, deque belli rationibus admonitus, qui quidem jam adventabat, atque ab altera montis parte in trium pontium loco Germanos observare, eisque occurrere statuerat, prima luce hostes aggredi constituit. Is erat martii calendarum dies. Sed popterea quod nix ea nocte plurima ceciderat, prælium in aliam rejectum est diem: quod quidem secundissimum postridie fuit. Nam cum Germani, redeundi domum itineribus præseptis, ad se venire certiores facti, ne intercluderentur, Venetos aggredi viamque ferro sibi ipsi aperire statuissent, atque in editiorem proximæ vallis partem cum impedimentis & tormentis se collegissent numero ad duo millia quingenti, ut e loco superiore in Venetos subeuntes impetum facerent (erant autem e Maximiliani comitatu, quampluribus centurionibus viris fortibus interjectis) ipse acie instructa per nives recta progressus prælium audacissime commisit: eosque primo fortiter pugnantes,

Germanorum clades ad Cadoras.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 tes, poſt impedimentis exutos tormentiſque abreptis, deſperatis rebus non magnopere reſiſtentes concidit, præter illos, qui projectis armis pacem ſuppliciter petiverunt. pauci fuga in montes elapſi, ab Epirotis equitibus eundem caſum ſubierunt, capitaque ſunt eorum in caſtra relata, pro quibus ſingulis Livianus pecuniam pollicitus interfectoribus fuerat. ex Venetis deſiderati ſunt ſane pauci. Nocte ea quæ ſecuta eſt, exercitui ad quietem data, Livianus ad Germanos, qui arcem Cadorarum cuſtodiebant, amplius ſexaginta miſit, imperans uti arcem traderent. Iitrium dierum ſpatium ad eam rem ſibi dari petiverunt. Livianus eorum poſtulatione rejecta, ad arcem expugnandam eſt profectus: quam cum diem totum omni miſſilium genere, tormentiſque in adverſo jugo poſitis continenter oppugnaviſſet, magnamque propugnatorum partem interfeciſſet, muro etiam propugnaculi ſubrupto, reliqui poſtridie deditionem fecerunt. In ea oppugnatione Carolus Malateſta adoleſcens, ſaxo ab arce percuſſus, cum nonnullis viris fortibus interiit. Captivi, qui arcem tradiderant, una cum prioribus dedititiis, omnes quingenti armis cæteriſque rebus exuti, Liviani permiſſu domum redierunt. Harum rerum primis in urbe nunciis acceptis, idem eſt reſponſum legato Maximiliani a Senatu datum, quod ſuperioribus legatis Patres antea dederant: neque quidquam cum illo de cæde Germanorum communicatum. ac, ne quid ei redeunti ab armatis in Rhetico noceretur, comites ſunt duceſque itineris per fines reipublicæ attributi.

Cadoræ expugnantur.

Ubi ex literis Cornelii legati de prælio, deque arcis expugnatione ſingula ordine civitas intellexit, Livianique & conſilium, & celeritas, & virtus laudari vocibus omnium cœpit: Patres, ut & illius animum alacriorem in poſterum ad belli munia redderent, honorum inſignibus, & magnitudine præmiorum excitatum, & reliquorum voluntates accenderent ad bene de republica promerendum, cum viderent fortes induſtrioſque viros ab ea fieri plurimi; præfecturam omnium reipublicæ copiarum Liviano detulerunt. Ea eſt ampliſſima poſt imperatoris nomen dignitas, quæ pro eorum meritis ab Senatu militaribus viris tribui conſuevit. auctuſque eſt equitum illius numerus, qui erat ſexcentorum, ad integrum mille. auctum quoque ſtipendium ab auri libris centum quinquaginta, ad tercentenas libras: tum decem in præſentia dono datæ cum iis tormentis bellicis, quæ hoſtes e Germania ſecum attulerant, quæque ipſe ob rei bene geſtæ memoriam a Patribus ſibi dari cupere in ſermonibus cum legato habitis oſtenderat. Caroli autem Malateſtæ uxori ac duobus liberis infantibus illa ipſa penſio annua, qua is vivens a republica donatus fruebatur, in victum tradita. Deinde cum Patribus nunciatum eſſet, a Maximiliano copias in Carnis comparari, tum incurſiones in reipublicæ ditionem a Goritianis fieri, quod eſt oppidum in monte ultra Sontium flumen ſitum: Senatuſconſultum factum eſt, ut milites ter mille celeriter conſcriberentur, atque ad legatum mitterentur.

1508

Cæterum quod erant plerique magiſtratus, qui bellum inferri Maximiliano cenſebant oportere, atque in ejus fines exercitum introduci volebant, Dominicus Mauroce- *Dominici Mauroceni prudens conſilium.*
nus templi Marcii procurator, vir re atque cognomine Sapiens, ætate valde proclinata, erat enim annos natus nonaginta, Patres monere ac rogare cœpit, ne id fieri permitterent: *Germaniæ civitates, quæ liberæ ſuique juris eſſent, ægre ferre a Maximiliano arma contra rempublicam exerceri, cum pace frui poſſit: eas eaſdem, ſi ei bellum inferatur, moleſte id laturas, neque paſſuras ſui regis nomen dignitatemque convelli ac proteri: non magnas eſſe ab illo injurias in rempublicam illatas, de iis tamen deorum immortalium benignitate pœnas ipſum reipublicæ dediſſe: omnem illam in Carnis manum conciſam deletamque eſſe, Cadoras Cluſamque recepta, in Rhetis nihil amiſſum, neque illam contumeliam acceptam. Quod ſi ea contenti, inquit, erimus, magnum nos fructum continentia laturos, Germaniæ totius benivolentiam: quæ quidem certe Germania commeatibus aſportandis, mercibuſque reciprocandis, & rerum plurimarum communicatione ita eſt conjuncta nobiſcum & conſocia-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 *ſociata , ut magni inde proventus in rempublicam portorii nomine , magnæ privatim utilitates in omne genus civium inferantur . Laudabile profecto eſſe hoſtes bello ſuperare , propagare imperii fines : multo autem laudabilius , ſeipſos continere ac vincere , juſtitiæ , moderationis , gravitatis opinionem apud omnes homines auxiſſe lateque promoviſſe . Bellorum eventus a fortuna plerunque adminiſtrari , quæ fluxa atque incerta ſit : prudentiæ conſilia ſtabilem habere exitum , ſemperque plus proficere conſtantia & maturitate , quam illa impetu uſum ex ſe ſe præbuerint* . Hæc cum ſenex Sapiens dixiſſet , ardor ille magiſtratuum ad bellum gerendum parumper reſtinctus eſt . itaque nihil latum , niſi uti ea de re Patres amplius conſulerentur . Alfonſus poſt hæc Ferrarienſium dux ad urbem familiariter ſe contulit Patribus purgatum , quod ſuſpectus eis fuerat literas nuncioſque ad Maximilianum miſiſſe , ſocietatem ineundi , ſeque cum illo conjungendi cauſa , confirmans nihil ſe unquam ejuſmodi cogitaviſſe : cupere autem & ſtatuiſſe , una cum republica omnem fortunam experiri , neque ullo tempore a Senatus auctoritate velle recedere . Patres eam orationem auribus libentiſſimis acceperunt , collaudatumque atque ut omnia ſummæ benivolentiæ officia a Senatu expectaret , confirmatum , domum remiſerunt .

Interim nulla in Rhetico belli ceſſatione a Maximiliano fieri cognita , in Carnis milites non unis in locis cogi rumore nunciiſque afferentibus , Senatus ſuam in illum lenitatem fruſtra adhibitam ſentiens , pridie nonarum aprilium conſtituit , uti bellum omnibus a partibus Maximiliani finibus inferretur . itaque non legatis modo Gritto & Cornelio id Senatuſconſultum celeriter eſt miſſum : ſed omnino etiam Hieronymo Contareno , qui cum claſſe aliquot triremium legatus in Iſtris tunc erat , literæ ſunt a Senatu datæ , uti maritima Maximiliani oppida , qua vellet , aggredi capereque conaretur : ſe alias paucis diebus triremes ad illum miſſurum . Senatuſconſulto ad Cornelium perlato , voluntateque civitatis Liviano reliquiſque principibus declarata , magnum iis ſtudium , magna omni exer-

exercitui alacritas innata eſt belli gerendi : quam ob rem tormentis muralibus adductis , quod oppidum Cormonſe citra Sontium flumen natura atque arte communitum , monti enim impoſitum muro prælto cingebatur , opportunum hoſtibus receptum dabat , omnibus ad id copiis acceſſerunt , magnaque vi aggreſſi , dejecta muri parte celeriter ceperunt . quod cum diriperetur , Cornelius mulieres omnes uno in templo compulſas ab injuria militum defendit : ſupellectilemque ſacram ipſis ab adytis abreptam fanis & ſacerdotibus reſtituit . Inde ad arcem expugnandam eodem impetu cum perrexiſſent , ac tormentis quatere cœpiſſent , a propugnatoribus deditio eſt facta . Ea intellecta re , tria ſe caſtella ſponte legato dediderunt . Portus autem Naonis civitas legatos de deditione ad Senatum miſit . eos legatos liberali oratione Patres proſequuti , ad Cornelium rejecerunt , ut cum illo agerent , cui ea omnia mandaverat Senatus . Cornelius , cum ad illum legati veniſſent , oppidum in fidem deditionemque accepit . 1501 *Cormonſe expugnatur .*

Eodem tempore Lucas Renaldius a Maximiliano ad urbem remiſſus cum tabellis regis manu ſubſcriptis Patres adiit : quibus in tabellis certas Maximilianus indutiarum conditiones reipublicæ proponebat : quarum erat una , ut annuas ſecum indutias Senatus faceret , quo tempore de ſuis cum Gallorum rege controverſiis in communi Germaniæ concilio diſceptari & cognoſci poſſet . Eas Patres indutias legato ſe ſe paratos eſſe facere dixerunt , dum eadem indutiarum conditione fœderati reipublicæ includantur : neque enim ſine iis quidquam poſſe conficere Senatum . Renaldius his cum mandatis tantum diſceſſerat , cum , majoribus comitiis haberi cœptis , literæ nunciique a Cornelio venerunt , qui dicerent : poſteaquam ponte quem hoſtes reſciderant , in Sontio flumine celeriter confecto , exercituque traducto , Goritianos duabus maximis uno die impreſſionibus Livianus oppugnaſſet , quamque oppugnatione centum milites amiſiſſet , velletque poſtero die acrius vehementiuſque idem facere , oppidanos perterritos ſe ſe ei dedidiſſe . Eæ literæ , antequam ſuffragia inirentur , comi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 comitiis recitatæ ſunt, magnaque ab iis gratulatio Patribus eſt facta. Erat in oppido arx, quam milites ducenti cuſtodiebant: ii cum pulvere ad tormenta exercenda carerent, neque ſe arcem tueri poſſe ſine iis confiderent, pro eis armamentis reliquoque commeatu libras auri quadraginta ſibi datum iri fide accepta, quatriduo intermiſſo arcem tradiderunt. ante quos quidem dies Belgradum facta deditione legati præfectum introduxit: itemque Vipaum, admodum elegans & ipſum oppidulum, quod abeſt ab Goritia millia paſſuum viginti lapidas verſus. Contarenus quatuor triremibus Tergeſtinos magno animo aggreſſus, quarum erant duæ medii inter bellicas generis, atque eas triremes quibus ad mercaturam civitas utitur, quas *Nothas* appellabant, muros tormentis dejicere inſtituit, qua parte mari oppidum alluitur. Et tormenta ejuſmodi tum erant, ut ex ære tota confecta pedes vicenos binos in longitudinem protenderentur, acclinataque in priore navis parte ſic, ut cauda malo proxima ore proram contingerent, pilam ferream librarum centum, ſi nihil impediret, bis mille atque octingentorum paſſuum ſpatium impellebant: itaque muris vicina vehementi eos impetu concutiebant. Id tormenti genus *Baſilium* appellabatur: neque ſuſtineri propter pondus, niſi a magnis triremibus, aut a nothis poterat: duaſque in partes diviſum, ut tractari facilius poſſet, collectione inter ſe mutua, circunvolutum ita introrſus conglutinabatur, ut eſſe unum & continens videretur, nihilque aeris per ſpiras admitteret. Ea inſtituta oppugnatione Duinum maritimum caſtellum deditur: quatuorque triremes ejuſdem, quo priores, generis miſſæ a Patribus Contareni claſſem duplicaverunt: Senatuſque ad Cornelium ſcripſit, ſi ei e republica eſſe videretur, cum exercitu ad Tergeſte oppugnandum accederet. Cornelius ea de re Livianum conſuluit: ille Contareni conatus terreſtribus adjuvandos eſſe copiis magnopere exiſtimans, cum tormentis muralibus, quæ mari deportanda curaverat, celeriter eo venit, atque ad Contarenum primum omnium navicula perlatus, belli conſiliis

filiis cum illo communicatis, ad muros oppidi omnibus 1508
a terræ partibus demoliendos rediit.

Inter hæc, propterea quod Aloiſius Galliæ rex valde ſe cupere oſtenderat, ut in eodem, quod ſecum & cum republica fœdus intercedebat, Ferdinandus rex Hiſpaniæ particeps eſſet, novaque cum illo ſocietas, iiſdem tamen legibus, inſtitueretur: res agitari cœpta hanc difficultatem habuit, ut, quoniam Senatui longum atque impeditum videbatur id, quod in priore fœdere erat, ſe nullam pacis conditionem, quæ plerunque in parvis temporum momentis exiſteret, poſſe a ſuis hoſtibus accipere, niſi prius, dum eant in Hiſpaniam tabellarii dumque redeant expectarit, caput illud Patres ita refici cenſebant oportere, uti qui pacem facere vellet, ſociorum modo nomina inſereret fœderi ſcribendo, ne multorum dierum itinere literis mittendis, & reſponſis præſtolandis, occaſionem pacis amitteret. veruntamen ut id regum voluntate fieret, tempus intermitti placuit, dum id ſciri poſſet. itaque fœderis confectio in alium rejecta eſt diem. Contarenus claſſe aucta, ad quem etiam naves duas tectas Patres miſerant, quæ muris ſe ſubjicere auderent, iis ab eo latere oppidi majore multo impetu percuſſis, ædificiiſque nonnullis intra urbem dirutis, Livianus parte altera perforatis dejectiſque oppidi mœnibus tormentorum impulſione non intermiſſa, Tergeſtinos ad deditionem compulerunt. itaque pridie nonas majas una cum arce oppidum receptum eſt, nulla conditione interpoſita, nisi ut militibus, qui oppidum atque arcem cuſtodierant, recedere armatis liceret. Oppidani, ne diriperentur, libris auri centum quinquaginta exercitui perſolvendis, ſe ſuaque omnia redemerunt, Liviano & legatis procurantibus, quibus erat oppidum nobile diripi permiſſum. Ejus rei literæ lætitia & gratulatione civitatem impleverunt. Livianus, Cornelius, Contarenus omnium ordinum ſuffragiis certatim laudati, quod tantam rem tam celeriter confeciſſent, magnam ſunt ex eo virtutis atque induſtriæ gloriam conſequuti. atque iis ſtatim literæ a Senatu datæ ſunt, in

Tergeſtini ſe Venetis dedunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 in eam cogitationem incumberent, ut Pisinum, Flumenque, Maximiliani oppida, sub reipublicæ imperium redigerentur: quorum alterum mediterraneum est, abestque a litore millia passuum XVI. multoque maximam inter Istros habet auctoritatem: Flumem ad mare positum plurimarum rerum copiam subministrat, estque illis gentibus & regionibus opportunissimum. Prætor etiam Tergestinis declaratus Franciscus Capellus: arcis præfectus, Aloisius Zanes: Vipao, qui utrunque munus exerceret, Marcus Antonius Erizus: qui Duino, Nicolaus Balbus: qui Cormonsi, Trojanus Bonus, paulo post ad magistratus obeundos in provinciam abierunt, cum antea Dominicum Grittum qui arcem custodiret, Senatus Goritiam misisset: nam oppido Justinianus Maurocenus a legato datus præerat. Senatusconsulto accepto cum Pisinum, quod est in monte tribus a partibus valde præcipiti situm, Contarenus classiarios suos, & Liviani equitatus peditatusque magnam partem cum tormentis adduceret, castello Trevisa, quod est in via quinquemillia passuum a Pisino, seque magno animo ad defensionem comparaverat, vi capto atque direpto, omnes celeriter ad Pisinenses oppugnandos contenderunt: tormentisque prima vesperi positis, eam muri partem, quæ una ex quatuor adiri poterat, velle dejicere cœperunt. Id cum mane postero die acrius continentiusque fecissent, ac portæ turrim prope aperuissent, oppidani una salutis conditione impetrata deditionem fecerunt. In ejus oppidi finibus castella erant decemseptem: quorum sexdecim sub reipublicæ ditionem sunt redacta. At cum Vipaum indiligentius custoditum hostes recuperavissent, præfectumque cepissent, Vipaenses postea, missis eo militibus, iterum capti ac direpti sunt. Præsidio Pisinensibus relicto, Contarenus ad Phanatici sinus insulas se contulit, atque ex Apsoro, Crespa, Vegio reliquisque plus mille armatis hominibus naves longas conscendere jussis, ad Flumen oppugnandum rediit: cumque mille passus ab oppido abesset, qui oppidanos uti se dederent postularet misit: si se cingi ab exercitu sinerent, quem

quem postridie affuturum confirmabat, non fore liberam se dedendi potestatem. Id cum illi magnopere timerent, pacti ne quid ex suis rebus amitterent, eo die Contarenum intromiserunt. 1508 *Flumen se Venetis dedit.*

Ea confecta re, quod erat oppidum mediterraneum illis in finibus non postremæ apud Istros auctoritatis Postoina, Cornelius & Livianus eo exercitum converterunt, atque ad vicinos ei oppido pagos equites levis armaturæ plus ducentos præmiserunt. Illi præda passim abacta, nullis e Postoina exire ausis, cujus ad muros incursionem fecerant, in vico se se proximo receperunt: ibi cum noctu armis positis sine vigiliis quieti se dedissent, hostes Postoina silentio emissi equites circiter centum quinquaginta, quorum erant duces Bernardinus Rainicher oppidi præfectus, & Christophorus Friapanes homo ferox acerque, eos inopinantes aggressi partim interfecerunt, partim ceperunt: paucos in fugam conjectos noctis umbra occuluit. Ea re nunciata Livianus majorem hostium numerum veritus, una cum legato Goritiam exercitum reduxit. Hostibus eo successu elatis, castelliisque omnibus, quæ circum se amiserant, nisi ad se redirent, bellum & direptionem denunciantibus, magnus est ab iis concursus ad legatum factus, orantibus uti se tueretur, neque diripi, propterea quod se reipublicæ dedidissent, sineret. quam ob rem non parvo armatorum hominum numero in Forojulienſibus celeriter imperato, atque ad se adducto, Cornelius ad Postoinam oppugnandam est profectus. Eo itinere nondum confecto, iidem illi hostes Postoina egressi, ad Premium municipium, quod est in Tergestinorum finibus, animati armatique, id ut caperent atque diriperent, accesserunt. quod cum se magno animo defenderet fortefortuna ignis tormentorum pulvere succenso, omnem locum atque arcem, qua ex arce propugnabatur, ita corripuit, itaque fœdavit, ut Ludovicus Contarenus præfectus, Hieronymusque Saornianus, qui omnibus illis in rebus totoque bello egregiam operam reipublicæ navaverat, Premiumque tunc prope unus defendebat, ne combure-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 rentur, aut fumo necarentur, ſe ſe hoſtibus dediderint. Legato poſt hæc & Liviano Poſtoinam cum pleno exercitu accedentibus, tormentiſque poſitis, ubi ea murum quatere cœperunt, Rainicher præfectus, ne diriperetur, ſe atque oppidum tradidit: cui ſtatim comites dati, qui illum abeuntem in tuto ſiſterent.

Venetorum cum Cæſare indutiæ.

Dum hæc in Iſtris geruntur, Pauli Licteſtenii ſuaſu, prudentis in primis hominis, & recti ac temperati viri, qui magna erat apud Maximilianum regem gratia, atque ab eo impetraverat, ut ſe ad pacem cum republica converteret, Tridentinorum Epiſcopus Senatum per literas certiorem facit, cupere Maximilianum indutias cum republica facere: quod ſi nunc eadem eſt ei mens, quæ paulo antea fuit, mittat aliquem, qui cum ipſe regis nomine agere, quæ tractanda erunt, poſſit. Senatus ea intellecta re Zachariam Contarenum legavit, qui eo dandis indutiis proficiſceretur. Contarenus cum in Rhetos veniſſet, cum Epiſcopo, tribuſque viris principibus, quibus omnino quatuor eam rem mandaverat Maximiliani juſſu Licteſtenius, in regis & reipublicæ finium loco medio colloquutus, cauſam ſatis quidem perplexam atque difficilem Gritti legati conſiliis explicuit, ut vellent illi trium annorum indutias cum republica facere, cumque ejus fœderatis Galliæ Hiſpaniæque regibus, atque iis, qui in Italia ſocii aut ipſius, aut illorum regum eſſent: nam cum tranſalpinis uti facerent, adduci nullo modo potuerunt. Id cum Senatus cognoviſſet, adhibitis regum legatis quæſivit, num id illis caput placeret. quibus annuentibus, facultate ſic conficiendi per literas celeriter ei miſſa, Contarenus octavo idus junias indutiis triennalibus cum rege factis ſcribendo affuit reipublicæ nomine. quod quidem gratiſſimum Senatui fuit, qui pacem, quam bellum, & onerum vacationem dari civibus, quam ab iis tributa exigi quotidie, malebat. tum illud etiam verebatur, ne, ſi Maximiliani oppida capi ac diripi ſentiens frænum Germania momordiſſet, tam forti nationi, tantæque multitudini reſiſti ab ſe ſe, & illarum gentium ferociſſimarum bellum reſpu-

reſpublica defendere ſuſtinereque non poſſet. Erant in 1508
Rhetico exercitu Joannes Jacobus Triultius, ut ſupra dictum eſt, & Giufredus Carolus conſiliariorum Mediolanenſium magiſter, quem præfectus regius Mediolano miſerat rogatus ab Senatu, ut aliquem regis ſui nomine in Rhetis vellet conficiendis indutiis adeſſe. uterque eas indutias fieri, niſi prius ea de re ab rege literæ veniſſent, noluerat, atque in eo perſeveraverat: itaque fœderi ſcribendo neuter eorum affuit. Triultius poſtridie ejus diei cum ſuo comitatu Mediolanum abiit: ei Grittus legatus per omnes reipublicæ fines Patrum juſſu comes fuit. Nonis autem juniis, qui dies poſtridie quam indutiæ firmarentur fuit; cum Aloiſius rex in fœdere cum Ferdinando rege, cumque republica ſanciendo id pertinaciter caput inſeri voluerit, ſe non admonito nullam omnino pacem fieri poſſe: uti ſocietas ea lege firmaretur, fœduſque conficeretur, Senatus tandem cenſuit. Pauloque poſt, quoniam indutiis in Rhetico firmatis, Poſtoinam in Iſtris oppidum Cornelius legatus ceperat, uti oppidum Poſtoina Maximiliano reſtitueretur, idem Senatus petentibus Germanis juſſit. Interim milites equiteſque e Rhetis & Carnis in hyberna ſunt deducti, oppidaque capta præſidiis communita: muri eorum, quos tormenta dejecerant, atque arces in meliorem multo formam uti reficerentur, cura præfectis tradita. quorum omnium ratione habita, oppidorum fines centum millia paſſuum in longitudine patere, Cornelius legatus in Senatu dixit. Portum quem, redeuntem ad urbem Livianum, in Bucentauro navi Lauredanus & Patres exceperunt: paulo poſt & Portus Naonis oppidum, & jus comitiorum ei poſteriſque ejus ſunt ob rempublicam bene geſtam dono data. Cornelius etiam illum lautioribus in epulis, cum principibus civitatis, & fœminarum nobiliſſimarum choro, diem unum domi ſuæ habuit.

Cognitis Aloiſius rex indutiis, vehementer perturbatus queſtuſque eſt cum legato reipublicæ Antonio Condulmerio, non ſe id ab ea expectaſſe, ut reſponſo ab ſe non ex-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 pectato, ullas cum Maximiliano Senatus indutias faceret: nihil ad se, in Italia fœderatos aut amicos illis indutiis esse inclusos, pertinere: unum Menapiorum ducem Maximiliani potentiæ non objici se tantummodo voluisse: id ereptum sibi esse ab republica, a qua juvari in primis debuerit: sibi tamen auri libras esse paratas decies millies, iis illi auxilio se futurum, neque passurum, ut fœderatorum suorum injuria opprimi ab ullo possit. Ea oratione iracundiæ suæ impetu apud legatum pronunciata, cum se id feciisse pœnituisset, ad tranquillitatem se conversum postea simulavit, mitioresque sermones habuit, præsertim cum Antonius legatus reipublicæ factum excusavisset: Senatum id respexisse, ne Maximilianus indutiarum tempore Mediolani res perturbare, atque ei molestiam id ob regnum inferre posset: neque cum illo rempublicam ulla alia, nisi Italarum rerum causa, esse conjunctam. quid enim ei cum transalpinis? Sed qui jam antea non amico in rempublicam animo esset, ejusque secundis rebus magnopere invideret, facile eam ob rem succensus, clam ad malas cogitationes se se dedit: tametsi suo chirographo se indutias comprobaturum Antonio legato confirmavisset. Iisdem fere diebus, quibus ea intellecta sunt, Hieronymi Donati, Petri Marcelli magistratuum Cretensium literis Patres cognoverunt, tantos terræmotus ea in insula fuisse, ut magna ædium & fanorum pars corruerit: ipsorum domos in oppido Candia, tum reliquorum prope omnes, quas modo tremor solo non æquaverit, ea vitia fecisse, ut lapsuræ jamjamque videantur: mortuos sub ruinis ad eam diem esse repertos circiter quadringentos, in quibus sint ex coloniæ nobilitate non pauci: arcem in Lyctiis dejectam esse: omnes patres familias cum uxoribus & liberis sub dio degere, ejus rei periculo perterritos. Huic ingenti malo reipublicæ illud etiam est incommodum adjectum, quod Contarenus cognomine Camalis triremium & ipse reipublicæ præfectus, dum e Corcyra domum reverteretur, duabus ex sua classe navibus, quarum in una erat ipse, tempestate disjectis, atque in Piceni elisis litore,

Terræmotus in Creta.

tore, una cum XL. hominibus periit. Itemque Carratius, 1508
militum reipublicæ præfectus, homo impiger egregiaque virtute, in agro Veronensi equo insidens ab homine cive suo, de quo nihil verebatur, interfectus est, gladio renibus infixo. De sicario, quem Mantuanorum dux suis in finibus captum magistratui Veronensium tradiderat, pœna sumpta. Is, dum ea de re quæstio haberetur, se propterea Carratium occidisse, quod sibi olim maledixerit, magistratui confirmavit. tanta est homini in hominem tamque diuturna parvula sæpe de re suscepta iracundiæ vis & indignatio.

Sub hæc æstatis exitu, quoniam magistratibus comitiis majoribus creandis leges jubent, ut ii, quibus id sorte munus obtigerit, ut nomen alicujus civis ad honores publicos suffragiis provehendi palam ederent, optimum quenque civem renuncient, ac nonnulli divites ex civibus qui essent, nonnihil donarent eis, qui illos ad suffragia legissent, quo proniores ad eos in posterum renunciandos fierent: legem Decemviri tulerunt:

Lex de ambitu.

Qui civi cuipiam, qui eum ad suffragia legisset, uti magistratus crearetur, pecuniam aut quid aliud ob eam rem dederit, donaverit, qua in insula Decemviris placebit, exul esto: eo relicto loco captus, fœdiore in urbis carcere vitam producito, ac relinquito: eam pœnam minorem, nisi omnibus ad unum suffragiis, collegium ne facito: qui facere vellet, ei decem auri libræ mulcta esto.

Pauciisque post diebus Maximiliani regis consiliarius Joannes Raublerius, nullo comitatu, secreto ad urbem venit, Zachariamque Contarenum adiit, neque ad illum ab rege missum ostendit, petens, ut quemadmodum is indutiis conficiendis paulo ante operam dedisset, ita quo eadem opera vellet efficere, ut aliqua pacis tractatio regem inter atque rempublicam iniretur. Contarenus, quæ secum regius interpres communicavisset, Senatui exposuit. Senatus Paulum Pisanum legit, qui, quæ Raublerius afferret, ab eo Senatus nomine cognosceret: nam Contarenus re exposita Cremonam prætor statim abierat. Ita-

Pax inter Cæsarem & Venetos.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 itaque Raublerius cum Piſano ageret, confirmavit velle regem pacem cum Republica facere: utque ea fieret, multis rationibus conatus eſt ſuadere. Ei Piſanus oſtendit, *ſalva fide reipublicæ cui cum Aloiſio rege firma pax eſſet, id confici non poſſe: contraque ſuadebat eam concordiam, pacemque ineundam eſſe, quæ Chriſtianis omnibus communis eſſet.* Denique cum Raublerius ſibi a Patribus reſponderi peteret, Senatus paucis reſpondit, *Illum quidem libenti lætoque animo exceptum fuiſſe, tum regis ſui cauſa, quem reſpublica unice diligeret atque obſervaret, quemadmodum etiam cunctos illius majores amaverat coluerat, tum ob proprias hominis virtutes: verum longe magis ob eam rem, ob quam in primis miſſus fuerat, ut ſcilicet de pace concordiaque ageretur, quam reſpublica magis cæteris omnibus rebus ſemper coluerat, atque hoc tempore multo libentius amplecteretur, ſi modo omni ex parte ea firma perpetuaque conſtitueretur: id quod facile evenire poſſe ſperabat: nanque exploratum ei erat, Aloiſii, itemque Ferdinandi, Galliæ Hiſpaniarumque regum ſibi ſociorum animos pronos ad pacem eſſe: quamobrem eum hortari, ut regi ſuo hujuſmodi pacem perſuaderet, quæ chriſtianis rebus ſecuritatem dignitatemque eſſet allatura, regi vero laudem & gloriam ſempiternam: tempus maxime ad id opportunum eſſe: ad eam pacem tractandam omni opera ſtudioque rempublicam paratam eſſe, modo compertum ſit illam communi regum omnium conſenſu probari: tunc vero conſtituere, qua ratione, quove loco, aut quibus arbitris ea tractanda ſit, haud magnum negotium futurum.* Hunc Raublerii adventum, reſponſumque eidem redditum, mandatum fuit Condulmerio reipublicæ legato ut Aloiſio regi declararet, eademque cum Albione Ferdinandi apud regem legato communicaret: quæ omnia etiam utriuſque regis legatis Venetiis agentibus initio declarata fuerant. Cenſuit enim Senatus, ſe legibus amicitiæ fœderiſque, quod cum iis regibus percuſſerat, teneri, ut ea faceret. Illa quoque ratio huc accedebat, ut ſcilicet regum animos ad tuendam pacem magis firmos Senatus redderet.

In-

Interim e Flaminia Petrus Landus Faventiæ Magiſtra- 1508
tus Senatui ſignificavit, Franciſcum Mariam Metaurenſium ducem Julii Pontificis Maximi copias proximis in finibus coegiſſe luſtrandi exercitum, ut ajebat, cauſa: itemque Florentinos mandaviſſe, uti ſub eorum ditione quilibet paterfamilias, aut omnino quæque domus hominem unum armatum legato ipſorum mitteret certum ad locum, ubi eſſent milites recenſendi: neque, cur id fieret, proponebatur: itaque darent Patres operam, ut Faventia communitior fieret, ne quid incommodi reſpublica ſi quid Julius contra eam moliatur, accipiat. Patres iis acceptis nunciis pecuniam ad milites legendos Petro Lando celeriter mittendam, Lactantiumque Bergomatem, qui ſe Carnico Iſtricoque bello fortiter atque amanter geſſerat, omnibus militibus, quos ibi eſſe reſpublica juberet, præponendum cenſuerunt. Equites quoque utriuſque armaturæ non pauci cum præfectis Faventiam veſtigio contendere ſunt juſſi. Non me piget inter hæc ejuſdem temporis rem dignam propter novitatem, quæ legentibus nota ſit, ſcribere. Navis Gallica dum in oceano iter non longe a Britannia faceret, naviculam ex mediis abſciſſis viminibus arborumque libro ſolido contectis ædificatam cepit: in qua homines erant ſeptem mediocri ſtatura, colore ſubobſcuro, lato & patente vultu, cicatriceque una violacea ſignato. hi veſtem habebant e piſcium corio, maculis eam variantibus. coronam e culmo pictam ſeptem quaſi auriculis intextam gerebant. carne veſcebantur cruda, ſanguinemque uti nos vinum bibebant. eorum ſermo intelligi non poterat. ex iis ſex mortem obierunt: unus adoleſcens in Aulercos, ubi rex erat, vivus eſt perductus.

Ludovicus XII. Maximilianum in Venetos inſtigat.

Aloiſius rex, cupidus imperii ſui fines in Italia propagare, intelligenſque id ſe conſequi non poſſe, niſi prius ſibi Maximilianum adjungeret, quo cum amplidebat, neque quibus illum artibus, multis inſenſum veteribus recentibuſque injuriis, ſibi amicum facere poſſet, omnia cogitans reperiebat: iis rebus ab legato cognitis, quæ Patres a Rauble-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 blerio acceperant, ratuſque eam optimam eſſe occaſionem Maximiliani animum ſibi conciliandi, ad eum legatos miſit, qui, ut illum in rempublicam accenderent, ei declararent, *ſe quidem ab legato reipublicæ edoctum fuiſſe omnibus de rebus, quas Raublerius ad eam attuliſſet, omniaque conſilia ſibi patefacta : ex quibus Maximilianus, quantum hujuſcemodi hominibus credendum eſſet, qui illum tam aperte deſpicerent, ac, quo erga eum animo iidem eſſent, facile cognoſcere poſſet :* totumque hoc factum rex ex animi ſui libidine compoſuit, auxitque. Neque ipſum cogitatio fefellit : nam ubi ea Maximilianus ab rege excepit, iis omnibus fidem plane adhibens, perinde ac ſi vera fuiſſent, magnopere exarſit, atque animum, quem in rempublicam benivolum ad eam diem ſemper habuerat, his rebus commotus ad Aloiſium tranſtulit. Id cum Aloiſius cognoviſſet, magnis illum pollicitationibus atque illecebris quotidie captum fovens, agere cum Julio Pontifice Maximo & cum Ferdinando rege cœpit, quos quidem oppidorum, quæ reſpublica ex eorum ditione in Flaminia atque Apulia obtinebat, recuperandorum cupiditate alterum magnopere teneri ſciebat, alterum pro animi ſui motu ac propenſione duci vehementer exiſtimabat (nam Ferdinandus ipſe nullam ejus rei oſtenſionem fecerat) uti ſecum & cum Maximiliano contra Venetos fœdere inito bellum ſumerent. quanquam ſunt qui affirment, agitatum de eo ab Aloiſio multo antea cum utroque fuiſſe, & cum Ferdinando quidem eo maxime tempore, quo ei Neapoli claſſe in Hiſpaniam redeunti Aloiſius in Liguria obviam ſe obtulit, dieſque aliquot cum illo fuit. Utcunque autem illud ceciderit, ea re ab neutro repudiata, Alberto Pio, homine vafro callidoque, & qui Carpis oppido circumpadano ejectus, quod hæreditario jure ad ſe ſpectare dictitabat, ad Aloiſium regem auxilii petendi cauſa ſe contulerat, Gallicas partes fovente, ac magnopere adnitente, propterea quod, ſi res ad exitum perduceretur, ſe ſe domum rediturum confidebat; inter eos omnes fœdus eſt percuſſum ultimis octobris diebus apud Came-

Fœdus Cameracenſe.

Cameracum Belgarum oppidum : quo in oppido Margarita Maximiliani filia, quam Carolus Gallorum rex repudiaverat, cœlebs eas nationes regebat, eique rei omne ſtudium adhibuerat. tametſi non parvam etiam operam in eo navaverat Georgius Amboſius, Cardinalis Rotomagenſis Aloiſii legatus: qui, quod Romæ comitiis pontificalibus Alexandri ſexti morte præteritus, eam repulſam reipublicæ acceptam referebat, eximio erat in illam odio: & Nicolaus Friſius, homo Germanus, Italis imbutus moribus, Maximiliano perfamiliaris, qui ad utroſque non ſemel ventitaverat cum mandatis, fœderique demum feriendo affuit Maximiliani nomine. Fœderis lex præter cætera fuit: Uti omnes uno tempore reipublicæ bellum inferrent: quo ſi Veneti bello victi eſſent, quæ ab iis ultra Veronæ urbis fines ditione tenebantur, Gallorum regi cederent : Verona, quæque ab ea uſque ad mare Adriaticum pertingunt, Maximiliano : Flaminiæ oppida, quæ reipublicæ tunc eſſent, Julius : Apuliæ, Ferdinandus obtineret. Tanta vero fuit Gallorum regis cura, ne quid eorum, quæ in concilio ſtatuiſſent, enunciaretur, ut diu nihil certi reſciri potuerit, Aloiſiuſque ipſe Antonio reipublicæ legato ab eo ſocietatis jure quærenti, ecquodnam Cameraci fœdus percuſſiſſet, affirmans dixerit, *ſe amicum reipublicæ eſſe, neque quidquam fieri contra illius dignitatem permiſiſſe :* Antoniuſque Senatui ſcripſerit, *nihil omnino actum, quod reipublicæ nocere poſſet, fidem ſibi regem ſuam non ſemel interpoſuiſſe.* Erat Mediolani reipublicæ nomine Joannes Jacobus Caroldius Senatus ſcriba, cui fidem regii miniſtri ſæpe fecerant, dum in concilium ab legatis iretur, deque ea re ſermo frequens eſſet, regem omnino nunquam ab republica diſſenſurum, omnibuſque rebus charius reipublicæ amicitiam ſemper habiturum: ſcire enim eam conjunctionem magno ſibi & uſui & ornamento eſſe. Is, quod Giufredum Carolum de quo ſupra commemoravimus, confecto ſtatim fœdere inter ſuos gloriantem dixiſſe intellexerat, *ſe ſe brevi ſui civis mortem cumulate vindicaturum, deque iis, qui eum interfecissent, pœnas ſum-*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 *ſumpturum*, Carminiolam Venetorum imperatorem avorum noſtrorum memoria publice ab iis ob proditionem capite mulctatum, eo involucro verborum deſignantem: utrique enim eadem tellus patria fuit: id, quod erat ratus, Senatui primus omnium per literas denunciavit, *eo ab fœdere ſibi caveret: habere ſe, contra rempublicam fuiſſe ictum, indicia.*

Sed confecto, ut dictum eſt, fœdere, Julius tametſi cupiditate ferebatur Arimino Faventiaque potiundi, quia tamen & Gallorum regem magnæ per ſe potentiæ multo majorem ſuo permiſſu fieri nolebat, & cum illam nationem, tum Germaniæ populos in poſſeſſionem Italiæ venire, optimæque ejus partis atque populoſiſſimæ dominos fieri, ſibi reliquiſque Italis detrimentoſum exiſtimabat futurum, ut ab illis Venetos opprimi ſineret, adduci prope non poterat. Itaque cum videret ab Aloiſio exercitum reliquaque ad bellum idonea per hyemem magno ſtudio comparari, ut primo pabuli tempore Alpes trajiceret, ſeque ab eo per legatos perque literas ſollicitari animadverteret, ut ſuas & ipſe copias paratas haberet ad reipublicæ fines eodem tempore a Flaminiæ latere infeſtandos, atque in ejus ditionem irrumpendum, ne ſui colligendi aut omnino reſiſtendi reipublicæ facultas daretur: Conſtantino Cominato Epirotæ non poſtremæ apud Maximilianum auctoritatis, qui Romæ tunc erat, quoque ipſe familiariſſime utebatur, mandavit, ut in occulto Joannem Baduarium reipublicæ apud ſe legatum alloqueretur, quæque ab eo dici vellet, ei oſtendit. Conſtantinus, qui a Gallis regno pulſus, quod quidem aliquot ante annis uxorio nomine in Salaſſis obtinuerat, magno illos odio proſequebatur, adhibita diligentia, noctu amotis arbitris legatum alloquitur, atque omnia Aloiſii regis conſilia ei aperit, quæque reipublicæ impendeant proponit. addit, *ſi Senatus Ariminum atque Faventiam reſtituere Julio velit, propterea quod is reipublicæ vaſtitatem non æquo animo ferat, confidere ſe ſe ab eo impetraturum, ut una cum Maximiliano a Gallis deſciſcat, detque operam ne quid ab*

ab illis reipublicæ noceri poſſit. Legatus Conſtantino collaudato, quod tanta ſecum de re ſermonem habuerit, nihil ſibi ſpei eſſe reliquum dixit, poſſe ſe ad id perducere Senatum: ſed quæ ab eo cognoverit, uti ad Decemvirum magiſtros quamcelerrime perferantur, ſe curaturum pollicetur. Decemviri, qui jam de fœderis conditionibus aliunde cognoverant, neque oppida illa ab ſe dimittere ullam ob cauſam in animum induxerant, nihil omnino ad legatum, qui ad eos literas dederat, iis de rebus reſcripſerunt: ſed ad Maximilianum, de quo porro ad eos afferebatur, poſſe illum adhuc quidem ab amicitia Aloiſii regis abſtrahi (nondum enim eam rem ob vetus erga illum odium, plurimaſque odii cauſas in ejus animo coaluiſſe) Joannem Petrum Stellam Senatus ſcribam, qui alias ad Maximilianum ventitaverat, eratque illi admodum familiaris, ſecreto miſerunt, ut illum quibuſcunque poſſet modis Senatui reconciliaret. Is cum ob nimium conficiendæ rei ſtudium immatura feſtinatione ſe apud Maximiliani familiares patefeciſſet, ſic, ut ejus adventus Aloſii regis legatis, qui apud Maximilianum erant, celari non potuerit, nulli reipublicæ uſui fuit. Leonardus quoque Vicetinus, ex nobili Portorum gente, vir & clari in bonarum artium diſciplina nominis, & reipublicæ amantiſſimus, magnis itineribus ſumma hyeme ad amicos ſuos Maximiliani familiares, qui ſe ei obtulerant, a Senatu miſſus, ut per illos regis animum leniret, nihil profuit. Decemviri enim certas pacis conditiones, quæ ab illis proponebantur, quod ex reipublicæ dignitate non eſſent, re inter ipſos agitata reſpuerunt. Quin etiam illud accidit: nam quod erant Romæ duo reipublicæ legati, Joannes, de quo dixi, Baduarius homo leniſſimis omnino moribus, & Georgius Piſanus moroſi admodum ingenii, cum Julio Centum cellas petente Piſanus in comitatu fuit, Baduario Romæ ob valetudinem relicto. Ibi cum Julium tranquillo mari navicula exhilarat[um], qua [ille] re magnopere delectabatur, Piſanus de eo ipſo reipublicæ in Flaminia negotio alloqueretur: *Quid tu*, inquit Julius, *non cum Senatu*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1508 *natu tuo agis, ut is aliquem ex ſuis civibus mihi proponat, cui ego Ariminum, Faventiamque dem Romanæ reipublicæ nomine obtinenda, ſtipendiariumque illum meum faciam? ita & habebitis re vos a me oppida illa, & ego ad ſpeciem non amiſero.* Ad quem quidem Julii ſermonem Piſanus reſpondiſſe dicitur: *non conſueſſe rempublicam quempiam ex ſua civitate regem facere.* tumque nihil de ea re ad Senatum ſcripſit: neque quidquam cum collega poſtea communicavit ſuo. ita ſive caſu, ſive fortuna, ſive deorum immortalium voluntate, qui rempublicam florentem opibus, egregiam & illuſtrem fama, pollentem auctoritate, in finitimorum regum invidiam adduxerint, ut ex adverſis ejus rebus animos hominum erudirent, quæ civitas quodque imperium annos plus mille octoginta ſemper creverit, poſſe id unius diei ſpatio vehementer conteri ac debilitari.

Venetorum bellicus apparatus.

Patres pacis ſpe depoſita, ad bellum propulſandum ingenti animo ſe converterunt. Itaque uti equites gravioris armaturæ ſupplerentur numero ad decem millia, levioris ad tria millia, quingenti, quorum eſſent ab Epiro duo millia, militeſque ad millia treſdecim conſcriberentur, Senatus ſtatim juſſit. tum ut ei quoque rei proſpiceretur, ſi quid reges mari molirentur, naves triremes quindecim, quarum eſſent nothæ quatuor, ut in urbe Cretaque inſula armarentur, claſſique reliquæ conjungerentur, latum. Miſſus quoque ab Decemviris ad regem Britanniæ, Andreas Baduarius, qui multos annos ea in inſula fuerat, linguamque illam callebat, ut eum reipu-

1509 blicæ amicum faceret. Interim & Laſcaris Gallorum regis legatus, Patribus valere juſſis, ab urbe in Galliam diſceſſit ultimis januarii diebus: & Antonio legato reipublicæ uti domum reverteretur, regii in Gallia interpretes edixerunt, cum ei prius torquem aureum dono regis nomine attuliſſent. Antonius autem *non egere ſe inimici regis muneribus* pronuncians, torque repudiato, viæ ſe dedit. Caroldius etiam Mediolano dimiſſus cum Triultium diſcedens ſalutaviſſet: ille vero, *Pudet me*, inquit,

quit, *Caroldi, hujus belli, quod parari video. nam injuſtum eſt: nulla enim in re violatam a vobis Gallorum ſocietatem poſſumus dicere. nam quod rex de indutiis queritur, id quidem nihil eſt: Senatus enim illi ob res modo Italas tenebatur, reliquis in rebus erat liber.* Paucis autem poſt diebus cum parum eſſe ſuperioribus Senatuſconſultis proviſum exercitu comparando Patribus videretur, additum ad illa eſt, uti equitum levis armaturæ mille, militum quina millia advenarum nationum ſcriberentur, ſagittariique e Creta inſula mille, ex Acrocerauniis alteri mille cujuſque modi armorum accerſerentur. quodque Genuæ atque Provinciæ portubus naves innumerarum amphorarum quatuor, triremeſque non paucas armari ab rege Patres intellexerunt: naves triremes duodecim, quarum eſſent nothæ duæ, prioribus addendas cenſuerunt. Latum etiam, ut Cremonæ arx ad ſuſtinendos hoſtium impetus longe munitior fieret. itaque mille operæ ei rei a magiſtratibus addictæ, opus ante incœptum bellum perfecerunt. reliqua etiam eorum finium oppida caſtellaque quibus id uſui eſſet, communitiora fieri, magna cura atque impendio cœpta ſunt. Ea dum Nicolaus imperator inviſeret, Bergomumque adire, quod poſtremum erat, die dicta ſtatuiſſet, re per exploratores Mediolani præfecto nunciata, noctu ejus equites ducenti cum militibus totidem, quos ſinguli ſingulos ſuis in equis impoſuerant, Abdua flumine trajecto, ſe in ſylvas abdiderunt, ut imperatorem, qui nihil ejuſmodi veritus cum paucis itineri ſe dederat, de via interciperent. quorum de inſidiis cum eſſet Bergomum per agricolas earum regionum magiſtratibus nunciatum, tabellarii nunciique citatis ad imperatorem equis miſſi ab iis, parvo illi ſpatio ex hoſtium manibus erepto, ſaluti & incolumitati fuerunt.

1509

Navalis urbani incendium.

Iis rebus foris adminiſtratis, domi clare ac ſereno die urbanis in navalibus, dum pulverem ad tormenta exercenda confectum in arculas ligneas operæ infarciunt, ictu mallei favilla emicuit: ea ingentem ejus pulveris acervum comprehendit, diſjectique immani cum fragore ac toni-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 tru, terræque motu ejus conclavis, in quo aſſervabatur, parietibus & tecto, ut lateres, tegulas, aſſeres, tignaque ipſa longo per aera tractu volantia ignis vis atque impetus in diverſa tulerit; fumo & caligine urbem totam puncto temporis integens civitatem perterrefecit: Senatuſque, qui habebatur, miraculo exterritus in forum frequens deſcendit. eo igni & cadentibus paſſim iis, quæ ſublime ierant, fragmentis, ex fabrum collegio quamplurimi, magiſterque ipſe fabrum, & honeſti homines aliquot interierunt: habitaque pro oſtento res fuit. Regis ſub hæc Ferdinandi legatus Patres adiit, *Regem ſuum eo ſe fœdere, quod ictum Cameraci eſſet, uno modo capite, quo ſit bellum Thracibus inferendum, cum Aloiſio rege conjunxiſſe: velle enim, quod cum republica fœdus habeat, in eo amantiſſime permanere: cupere autem, propterea quod fiat certior ab Aloiſio arma in rempublicam parari, ſcire a Patribus, quænam ſit ejus rei cauſa: demum, quidquid aut opibus, aut benivolentia valeat, id omne reipublicæ polliceri*. Ejuſmodique ſermonem ipſe in Hiſpania rex cum reipublicæ legato Franciſco Cornelio habuit, ut Senatus ea, quæ multis auctoribus aliunde cognoviſſet, de Ferdinandi ab ſe alienatione, falſa eſſe crederet. ita ſunt prona hominum ad fallendum ingenia, non quorumlibet modo, ſed regum quoque. Ubi Patres de inſidiis imperatori factis in agro Bergomati ab Gallis equitibus intellexerunt, ea re belli factum initium rati, duos ad id legatos legerunt, illos ipſos, qui paulo ante bellum Rheticum Carnicumque adminiſtraverant, Andream Grittum, Georgium Cornelium. atque is, antequam proficiſceretur, majoribus comitiis templi Marci procurator lectus eſt, Dominici Mauroceni, qui mortem obierat, de quo ſupra commemoravimus, loco. Erat Cornelius annorum LV. neque poſt Franciſcum Foſcarum, qui Dux Venetorum fuerat, quenquam minorem natu illum magiſtratum eſſe adeptum conſtabat: adeo uni ſenectuti eo creando fere ſemper honos fuit. Præfectus quoque a Senatu lectus eſt Epirotis equitibus Juſtinianus Mauroce-

Belli contra Venetos initium.

nus:

nus: quæque ad eam diem in nobilitatem aditum nunquam habuerat, Vincentio Valerio tormentorum cura tradita. Proficiſcentibus autem ab urbe legatis, quæſtor eſt exercitui Paulus Nanus declaratus. 1509

Quoniam vero magiſtratus regii edictum Mediolani propoſuerant, ut cum ejus urbis cives, tum vero etiam Ligures, aut omnino Galli, qui in ditione reipublicæ eo temporis moram traherent, viginti dierum ſpatio domum reverterentur, id qui non feciſſet, mors ei pœna eſſet, ejuſque bona publicarentur: qua ex re fiebat, ut perplurimi, qui vel mercaturam faciebant, vel plebejas artes exercebant, domiciliaque in urbe habebant, emigrare cogerentur: legem contra Patres juſſerunt, qui ea de cauſa urbem reliquiſſet, qui ve illum navicula evexiſſet, aut comes itineris fuiſſet, ejus bona fiſco inferrentur, aliquandoque captus annum in carcere teterrimo conficeret. ea pœna propoſita, omnes, quibus quidem aut inſulæ, aut fundi, aut omnino res aliqua familiaris eſſet, emigrare veriti reſtiterunt. Iis rebus belliciſque apparatibus, & Maximiliani cum Aloiſio rege nova ex fœdere conjunctione, Germani mercatores, qui in urbe erant, permoti, concilio coacto a Patribus petierunt, uti ſe tutos, ſi quid reipublicæ ab ſuo rege accidat, velint eſſe. quod quidem illis Patres libentiſſimi conceſſerunt: ampliſſimaque iis facultas eſt omnia, uti conſueverant, in tota reipublicæ ditione liberrime agendi tradita. Comitiis deinde majoribus præfectus eſt claſſis Angelus Triviſanus declaratus, juſſuſque a Senatu quamprimum conſcendere: nam præter eas naves, quæ a Gallorum rege armabantur, Ferdinandum quoque regem parare claſſem, quam in Siciliam & Tarentum mitteret, reipublicæ apud illum legatus ad Senatum ſcripſerat. tametſi ejus legatus Patribus fidem faceret, Africanarum rerum cauſa eas opes comparari: nihil omnino eſſe, quod eo ab rege ſibi verendum exiſtimarent, qui eſſet reipublicæ amantiſſimus. Ea res, & quod Julius exercitum & ipſe in Flaminia ex Hetruria & Umbria & Piceno cogebat, & Galli magna manu Al-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 pes jam trajecerant, longe majore autem una cum rege in dies trajecturi dicebantur; & Maximilianum omnes homines idem per ſe facturum exiſtimabant (miſceri enim & tractari arma ex Germania rumor attulerat) Senatum ſollicitum fecerat, quonam pacto unus tot tantorumque hoſtium impetus terra marique ſuſtineret, præſertim cum Julius Roma, ſuiſque omnibus ab oppidis & finibus manum ullam ad reipublicæ ſtipendia venire non permitteret, edictis durioribus interpoſitis: ut, qua ex parte plurimi ſe duces reipublicæ obtulerant, multumque copiarum ſecum adducturos ſe receperant, reſquepublica magno eos uſui ſibi futuros confidebat, ab ea illam parte ſpes omnis atque opinio deſtituerit. Quæ cum ita ſe haberent, præſtare Patribus viſum eſt, uti ad Senatum de reſtituenda Julio Faventia referretur, ſi forte illum eo munere avertere ab incœpto poſſent: verum Georgio Emo rem vehementer refellente, nihil latum.

Legatis Brixiam Cremonamque profectis, templi Marcii altera procuratio, quo in magiſtratu Marcus Antonius Maurocenus mortem obierat, Andreæ Gritto comitiis majoribus eſt delata, ut eo munere ad bene de republica promerendum rebus tam dubiis accenderetur, Andrea Venerio cive prudente, publicique juris retinente, octo ſuffragiis præterito: qui eo anno Patribus auctor fuerat, uti Aloiſii regis ſocietate, ſuſpecta illa quidem ac plane dubia, repudiata, cum Maximiliano, magnopere id efflagitante, ſe conjungerent. Petrum interim Landum Faventiæ magiſtratu decedentem, in Flaminia legatum Senatus juſſit eſſe. Is Ariminum profectus, detecta proditione ab Julio inſtituta, qua ejus militibus noctu oppidi portam tradi convenerat, de proditore pœnas ſumpſit. Miſerant ad Helvetios ſuperioribus diebus Patres Hieronymum Saornianum ſocietatis inſtituendæ cauſa: atque is quatuor eorum pagis perſuaſerat uti ſe cum republica conjungerent: fidemque ab iis acceperat, ſi per decennium ducentæ quinquaginta auri libræ annis ſingulis a Senatu eis dentur, ſe cum republica futuros, atque in

in Galliam tranſalpinam veſtigio contra regem eruptu- 1509
ros. ea intellecta re, uti ita fieret, a Senatu lex eſt lata. Duo ſub hæc nuncii Venetias allati, magno timore pro belli initio civitatem affecerunt: quorum alter, Franciſcum Mantuanorum principem Caſale municipium in Padi fluminis ripa ſibi finitimum collecto equitatu & peditatu repentino impetu cepiſſe, Patres certiores faciebat: ab altero, Gallorum magnas copias Abdua trajecto Trevium oppidum aggreſſas, cum illis obviam, qui in oppido erant, equites & milites exiſſent, omnem illam manum fudiſſe, ex militibus non parvum numerum interfeciſſe; Paulum Memium prætorem, & Juſtinianum Maurocenum una cum filio, præfectoſque tres captivos feciſſe, atque oppidanos ad deditionem compuliſſe, confirmabatur. equites tamen Epirotas ducentos, quibus Maurocenus præerat, reliquis fuſis fugatiſque, conglobatos per mediam hoſtium aciem ſe ſe incolumes in tutum recepiſſe, neque eos laceſſere ex hoſtibus auſum quenquam fuiſſe, idem nuncius adjecerat.

Rex Gallorum Venetis bellum indicit.

Regis etiam Gallorum præco ad urbem venit, ut bellum reipublicæ indiceret. Ab eo Patres, ſemotis aliis, ne civitas re nova permoveretur, ſe adiri voluerunt. itaque porta devia in veſtibulo curiæ admiſſus, veſte liliis aureis intertexta ſe ſe induit: tum curiam ingreſſus ante Patrum ſubſellium ſtans, *Bellum*, inquit, *Lauredane Venetorum Dux, cæterique hujus urbis cives, Ludovicus Gallorum rex indicere me vobis juſſit tanquam infidis hominibus, Pontificiſque Maximi & reliquorum regum oppida pridem per-que injuriam capta poſſidentibus, omniumque omnia dolo malo ſub veſtram ditionem rapere atque redigere feſtinantibus. ipſe ad vos armatus ea repetiturus venit.* Ad hæc Lauredanus Patrum medius ſua in ſella ſedens ita reſpondit: *Res hæc publica, Galle, quam adiiſti, nihil injuſte poſſidet: nam jure agit, neque fidem cuiquam fallit: quam certe fidem niſi valde plus juſto regi ipſi ſervaviſſemus tuo, ille vero ubi pedem in ſuo poneret, in Italia non haberet. Sed præſtat nos vel cum periculo eſſe, qui ſemper fuimus, dum Aloiſius æque arrogantia atque perfidia polleat. bellum,*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 *lum, quod denuncias, propulſaturi cum diis immortalibus ſumus, quos ille vindices habiturus eſt, aut hic, aut apud manes, rupti per ſcelus fœderis.* Hoc reſponſo accepto eſt dimiſſus: ac ne quis eum violaret, quos itineris comites a reipublicæ magiſtratibus adveniens habuerat, iidem ſunt reducere atque in regis finibus ſiſtere illum juſſi.

Brixiani, ubi de captis oppidis & præfectis nunciatum eſt, concilio civitatis coacto milites ſex mille ſua pecunia legere decreverunt, atque ad legatos mittere. civiſque unus ex iis Aloiſius Avogarius, ſexcentos milites ſe celeriter confecturum, magiſtratibus eſt pollicitus, eoſque ſine ullo reipublicæ impendio menſes quatuor in exercitu habiturum. quod quidem Brixianæ civitatis factum, plenum fidei atque benivolentiæ, poſtea Veronenſes æmulati, quinquaginta auri libras exigi ab ſe ſe, atque in milites ad exercitum mittendos ſtipendii nomine diſtribui concilio coacto ſtatuerunt. Galli eo ſucceſſu cohortati inter ſe Caravagium capere aggreſſi, ubi oppidanos quique oppidum cuſtodiebant milites apertis exire ad prælium portis magno cum clamore ingentique tubarum ſono e propinquo viderunt, veſte atque argento temere ubi conſederant relicto, ſe ſe fugæ mandaverunt. Domi autem Patribus pecunia in bellum eroganda ſollicitis, præter tributa alia de hoc quoque Senatuſconſultum factum eſt, & quidem ſolito fieri ſuperioribus in bellis altero tanto gravius: uti a magiſtratibus urbanis ſex menſium ſtipendia integra reipublicæ remittantur: reliquorum vero compendiorum, quæ omnino ex juriſdictione ipſa, vel ex portoriis fraudatis, vel quacunque alia ex re ad eos redeunt, media pars in ærarium inferatur, quadragintaviralibus judiciis exceptis, quibus unis media ſtipendiorum pars maneat, propterea quod aliunde nihil lucrantur: magiſtratus autem provinciales, & arcium præfecti, intra ſinum Phanaticum qui ſunt, mediam ſtipendiorum partem reipublicæ remittant, reliquis in rebus eadem, qua urbani, lege teneantur. Horum autem magiſtratuum urbanorum & provincialium omnium juris interpretes, & ſcribæ, miniſtrique, mediam & ipſi cum ſtipen-

pendiorum partem, tum compendiorum tribuant reipubli- 1509
cæ, Veronæ, Brixiæ, Bergomi, Cremæ, Cremonæque, atque Flaminiæ magiſtratibus item exceptis, & iis qui ultra ſinum Phanaticum ſunt miſſi, qui omnes quartam modo partem earum utrarunque rerum conferant: ſatis enim magna alteris incommoda bellum eſſe ipſum allaturum, alteris iter longum & impeditum jam attuliſſe, ne aliis etiam oneribus ferendis æque ac cæteri afflictentur. Eam legem, uti dictum eſt, cum Senatus juſſiſſet, majora quoque comitia triduo poſt habita pari ſtudio juſſerunt. Latum eſt etiam, uti exules illatæ fortuito mortis cauſa, qui una cum quatuor bello idoneis hominibus militiam reipublicæ menſes quatuor ſua pecunia fecerint, ab exilio revocentur.

Legatus deinde Bergomatibus eſt datus Marinus Georgius, Ariminenſibus Aloiſius Armerius, qui eis in oppidis adminiſtrando bello præſint. Interim cum a Petro Lando Patres certiores facti eſſent, ab Julianis copiis incurſiones in Reipublicæ fines fieri, abigique prædas, & agreſtes homines vulgo interfici, vel captos in vinculis adduci, eadem eſt in Julii finibus patrandi exercitui reipublicæ a Senatu facultas tradita: Laurentiuſque Sagredus præfectus claſſis in Flaminiæ Picenique litoribus ſuis cum navibus Ariminum contendere eſt juſſus. Cumque hoſtium numerus in Cremonæ finibus Abduæque ripis vehementer augeretur, caſtellaque ad eos & pagi aliquot deficerent, uti naves aliæ adverſo Padi flumine in Galliam mitterentur, aliæ in lacu Benaco armarentur, lex eſt lata: præfectique alteri claſſi Sebaſtianus Maurus, alteri Zacharias Lauredanus dati. Gaſpar etiam Severinas, qui Ceſenæ erat, ſeque reipublicæ obtulerat, & Antonellus Neapolitanus cum turmis equitum ad reipublicæ militiam ſunt conſcripti: atque hic quidem, quod erat plane dives, confectis in urbe teſtamenti tabulis templi Marcii procuratores ex aſſe ſibi hæredes inſtituit, atque ad bellum profectus eſt. Leonardus etiam Pratus e Lupis Apuliæ oppido, ex ſocietate Rhodiorum militum, ſe ad rempublicam

Antonelli Neapolitani & Leonardi Prati, advenarum, in Remp. liberalitas.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODËR (2018)

1509 contulit, homo & gentis nobilitate, & rei militaris ſcientia clarus: cui paulo poſt, ut virtuti ejus honos haberetur, equites levis armaturæ centum quinquaginta, reliquorumque omnium ejuſdem modi equitum præfecturam Senatus tradidit. Is quoque Leonardus cum ad urbem quinquaginta auri libras domo ſecum attuliſſet, Patribus dixit, tanto ſe auro in præſentia non egere: decemque ex ea ſumma ſuos in uſus retentis libris, reliquas quadraginta eis obtulit, atque a curia in diverſorium abiens ſtatim miſit. tam prona in alieno homine atque advena liberalitas cum benivolentia in rempublicam extitit. Venienti autem ad urbem Hannibali Bentivolo, Patribuſque pollicenti, ſi favore ſuo velint, opibuſque ſibi præſto eſſe, brevi ſe una cum fratribus & ſuorum factione, Bononiam ab Julio averſurum, magnamque illi plagam, qua nihil timeat, inuſturum: Senatuſconſulto ſunt omnia, uti petierat, permiſſa, literæque ad præfectos in Flaminiam datæ, rem omni ſtudio juvarent: atque ipſi equites quingenti, Hermeti fratri ejus milites ſunt bis mille cum pecunia pro re, quam parabant, traditi. Equiti etiam Vulpio e Cornelii Foro, ob ſeditiones civitate ejecto, equitum gravis armaturæ turma data: Herculique Tiberto Ceſenæ item exuli milites quingenti, ſpe novandarum rerum ſuo in oppido ab utroque, quibus revocatus motibus Julius, ſuiſque rebus timens, ab incæpto bello deſiſteret. Inter hæc binas auri libras ſacris virginibus Patres dono dari a quæſtoribus curaverunt, ut preces diis immortalibus tam duro tempore pro republica facerent: perque omnia urbis templa ſacerdotes a Pontifice juſſi numina, quorum ſub tutela Venetum imperium eſt, votis ſupplicibus, & ſolenni ritu placare.

Verum enim vero cum belli facies quotidie formidoloſior fieret, eque Gallia tranſalpina operæ fabrique magno numero Mediolanum, Laudemque Pompeji adveniſſent, ponteſque tres diverſis locis in Abdua flumine ab hoſtibus inſtituerentur, regemque ipſum multo maxima cum manu paucis diebus affuturum, fama nunciique vulgaviſ-

ſent;

ſent; atque a Flaminiæ latere Julii exercitus modo Ari- 1509
minum, modo Faventiam invaſurus magnopere urgeret; ob ingentes autem tot tamque præſentibus in rebus factas impenſas pecunia rempublicam deficeret, quod profecto malum omnium maximum pleriſque videbatur: coacto Senatu Lauredanus Dux auri libras decem mutuo ſe daturum reipublicæ pollicitus, cives reliquos, quibus non deeſſe facultatem ſciebat, idem pro ſe quiſque uti facerent, eſt cohortatus. itaque eo die poſteroque plurimæ auri libræ mutuo in ærarium collatæ, eo metu civitatem liberaverunt. Tauriſo deinde reliquiſque ditionis Venetæ locis, urbe excepta, reſtitutus eſt ab exilio Jacobus Collaltus (cujus exilii damnatus ob necem patrui fuerat) dum is in exercitu reipublicæ, quemadmodum quidem Patribus ſe obtulerat facturum, cum turma equitum centum menſes quatuor ſua pecunia militiam faciat. Erat tunc in ſermone civitatis haud modico Faventia: quo in oppido detecta proditio fuerat Franciſci Brixiani equitum turmæ præfecti, deque eo pœna ſumpta: oppidi enim portam noctu Julianis ſe militibus aperiturum cum eorum interprete pepigerat, atque inſigne Julianum cum quercu aurea & coronis, quod in muris mane poneret, ab eo traditum domi ſuæ cuſtodiebat. Illi autem, patefacta re, in Faventiæ ſe fines intulerunt, ut oppidum montanum Briſigeliam, cui civitas propter optimum genus militum ex eo educi ſolitum magnopere confidebat, expugnarent: jamque Tartarum Centurionem reipublicæ qui Briſigeliam cum tribus cohortibus præſidii cauſa ſe conferebat, inſidiis poſitis interceperant: pauloque poſt cum oppidum tormentis cinxiſſent, eo ſunt potiti, prætore quæque cum eo erat copia, & Joanne Paulo Manfronio equitum præfecto magna virtute, qui tuendi oppidi cauſa eo cum paucis equitibus per medios hoſtes ſe ſe inferens venerat, in arcem ſe recipientibus: quos tamen omnes multis oppugnatos præliis, arce etiam ejecta, captivos fecerunt: & Faventia fruſtra tentata, in Ravennæ fines ad Ruſſium oppidulum oppugnandum ſe contulerunt.

Faventia per proditionem tentata.

Eas

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 Eas ob res civitate perturbata cum lentius tributa exigerentur, Senatus cenſuit, ut qui jure comitiorum præditi die ſibi præſtituta in ærarium non intuliſſent, eorum nomina comitiis majoribus recitarentur, ut ab univerſa civitate cognoſci poſſet, qui cives non amantes patriæ eſſent. quod ſi ob eam contumeliam alia præſtituta die non inferrent, tum vero a Senatu atque a collegiis ſecretioribus, demum ab omnibus reipublicæ muneribus arceantur; eorum loco alii ſubrogentur; ipſi ad ferenda ſuffragia ne admittantur. Hæc tum fuit nobilitati pœna multiplex conſtituta. Plebi vero id unum, ut in ærarium non inferens, a publicis & ipſa muneribus amoveatur: quæ cum plurima quidem ſunt, tum certe etiam perutilia, ut magna pars civium ea ſe re alat perliberaliter. Eam legem majora comitia primum habita comprobaverunt, acerbitate temporum civium animos frangente, ut quod alias non tuliſſent, neque unquam latum antea meminiſſent, tum quidem non perferrent modo impoſitum patienter, ſed ipſi quoque ſibimet imponerent perferendum. Lege lata Bergomo literæ venerunt, hoſtes in oppidi finibus Medelaci caſtellum magna vi oppugnatum cepiſſe: omnes qui in eo erant interfeciſſe: non mulieribus, non infantibus peperciſſe: ut civitas perterrefacta, tuendi oppidi auxilium a legatis petat.

Lex in eos qui tributa exſolverent negligentius.

Ductorum Venetorum ad Abduam varia conſilia.

Interim magna ex parte collecto ab imperatore, Livianoque reipublicæ in Gallia exercitu, ad quem quidem equites Epirotæ perplures modo allati ſe contulerant, magnaque vi optimorum tormentorum a Valerio adducta, cum de Abdua flumine tranſeundo ſententiæ ab iis, atque ab legatis, & reliquis præfectis dicerentur, Livianus autem magnopere tranſitum probaret: *Multum enim, ſi tranſeant, poſſe ipſos proficere, nondum collectis hoſtibus, rege non præſente, populis adhuc in ambiguo utram ſequi partem præſtet, conſtitutis: audacia & celeritate plurima confici, cum ſua hoſtibus conſilia impediantur, ipſis animi augeantur:* ſed reliquis eam rem non probantibus, quod fines reipublicæ hoſtibus direptioni, ſi & ipſi Abduam trans-

tranſiſſent, eſſent relinquendi, Livianus ad legatos converſus, *Agite*, inquit, *ſi cunctari hic volumus, ſcribite ad Senatum, decies millies auri libras paratas habeat, quibus producere bellum poſſit*. Qua de contentione Senatus certior ab legatis factus, petentibus ut quid fieri malit imperet, literas ad illos dat, eam ſe rem imperatori Livianoque permittere, qui rebus omnibus interſint: & moram ſe & fluminis trajectum ita probaturos, uti ipſum alterutrum e reipublicæ commodo ſuſceperint. Interim Julius, qui Urſinæ gentis duces, ne ad reipublicæ militiam accederent, partim minis, uti ſupra demonſtratum eſt, edictiſque terruerat, partim per filiam ſuam Felicem, quæ Joanni Jordano ejus familiæ principi nupſerat, precibus & fœmineis conſiliis ab itinere inſtituto revocaverat, ſtipendiaque ſibi ab reipublicæ legatis Romæ curata ne reſtituerent, interdixerat, data eis venia jure illa retinendi, fideique præſtandæ religione ſublata: præter quod exercitum in fines reipublicæ introduxiſſet, ad illud etiam pertinaciter deſcendit, ut Lauredano Principi, Senatuique omni Veneto, & civibus ſingulis aqua & igni interdiceret; ejuſque rei literas omnibus hominibus vulgandas proponeret maledictorum & execrationum plenas, niſi die præſtituta, non Faventiam modo atque Ariminum, ſed Ravennam quoque Cerviamque ſibi tradiderint: quæ quidem oppida centum ferme annos in reipublicæ imperio fuerant: neque ullus ea Pontifex Maximus in dubium revocaverat, quin jure a republica poſſiderentur. Qua intellecta re, ne plebs ejuſmodi literis, plus quam tempora & reipublicæ difficultates poſtularent, permoveretur, Senatus cavit, ne reciperentur, ne ve, qui afferent, admitterentur. appellavit etiam de eo futurum Concilium, miſſis Romam affixiſque in templorum foribus publicæ expoſtulationis literis: miſſis etiam in Pannoniam ad Thomam Cardinalem Strigonienſem: nam ei propter Patriarchatum Conſtantinopolitanum, cui præerat, una cum tribus Epiſcopis concilium cogendi jus poteſtaſque antiquitus erat attributa. Has ob res & belli Gallici pericula ſup-

1509

Julii in Venetos interdictum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 ſupplicatio decreta eſt, aurique tantundem, uti paulo ante, ſacris virginibus publice datum placandi Deum cauſa.

Patres interea certiores facti edictum Neapoli propoſitum fuiſſe, ne quis ad reipublicæ ſtipendia ſe conferret: cogi vero exercitum a Prorege, qui cum in Apuliam ad reipublicæ oppida expugnanda contenderet: expectari autem ab eo Roma milites quingentos, quos legatus apud Julium regius in urbe conſcripſerit: reliqua omnia eſſe jam parata, ut viæ ſe ſe det: adhibito legato apud ſe item regio, ea quæ non ambiguis auctoribus intellexerant, expoſuerunt: queſtique ſunt, non eſſe hoc illud, quod ſæpe reipublicæ ſit pollicitus. Ille vero confidenter pernegare, rogareque Patres, ne quid ejuſmodi crederent: agi a Prorege illa omnia muniendi regni cauſa, propter Gallorum in Italiam adventum, non autem ut reipublicæ bellum inferat, ſuis cum regibus fœdere atque benivolentia conjunctiſſimæ. quæ tametſi Patres, quorſum dicerentur, haud obſcure cognoſcerent, diſſimulanda tamen ſibi eſſe ſtatuerunt, dum de belli exitu cum rege Galliæ ſciri poſſet. At cum aliquando de Abdua flumine non tranſeundo, niſi prius quæ oppida & caſtella Galli jam ceperant, ab ipſis expugnarentur, ne poſt ſe hoſtes relinquerent, inter duces Venetos conveniſſet, aliquot ex iis parvo negotio caſtellis receptis Trevium ſe cum exercitu contulerunt: quod oppidum equites militeſque ex optimo Gallorum genere bis mille cuſtodiebant: muroque tormentis celeriter dejecto, hoſtes ad deditionem compulerunt, nulla conditione interpoſita, niſi ut iis, equis detractis, rebuſque reliquis abreptis, cæteris ſacramento ab ipſis dato eo ſe anno bellum reipublicæ non facturos, abeundi facultas permitteretur: duces captivi tandiu eſſent, quoad eorum, quos ex Venetis eo in oppido Galli cepiſſent, cum his permutatio fieret. Ab ea oppugnatione uti Venetos repellerent, Galli magno numero vicinis ex locis coacti ad eorum quidem caſtra venerant, manus autem conſerere non ſunt auſi, ut pene in eorum conſpectu oppidum captum ſit: quod quidem Liviani permiſſu ſtatim dire-

Trevii expugnatio & direptio.

direptum atque incenſum eſt: qua in direptione mulieres 1509
virgineſque prope omnes a militibus vim paſſæ ac violatæ, oppidi caſum inhoneſtiorem reddiderunt. Eo negotio confecto Hiſpaniæ regum legatus Lauredanum Patreſque gratulatum adiit, ſcire ſe affirmans ſuos reges magnam ex eo voluptatem percepturos. Pauloque poſt Mantuani ducis equites quatercenti, milites ſexcenti, Alexio duce ad caſtellum Caſaboldum, quod abeſt ab Aſula oppido in Brixianorum finibus millia paſſuum quatuor, cum tormentis, id ut caperent, improviſi acceſſerunt. Pagani, qui in eo erant, armis captis fortiter ſe defendere cœperunt: ſimul ad Federicum Contarenum a Decemviris legatum Aſulanis præeſſe juſſum miſerunt, auxilium imploratum. Federicus confeſtim quingentis militibus, quos habebat fortes viros, ut eo contenderent, petentibuſque opem ferrent, imperavit. Ii celeriter itinere confecto, prælium cum Mantuanis commiſerunt, eorumque partem interfecerunt, partem ceperunt: reliquis in fugam conjectis tormentiſque abductis, nullo ex ſuis deſiderato, vulneratis perpaucis, læti Aſulam ad Federicum reverterunt. Ea clades Mantuæ nunciata magnos luctus excitavit: erant enim in ea manu honeſti cives permulti, quorum pars major interierant.

Gonzaga Aſulam fruſtra adoritur.

Veneti, quod Trevio capto oppidum militibus diripiendum tradiderant, haud levem ex ea re jacturam fecerunt: plurimi enim milites tribunis & centurionibus relictis cum præda vulgo domum profugerunt: ut magna illos perturbatio tenuerit. Eo incommodo ad regem ab exploratoribus perlato, qui Mediolanum calendis maji venerat, paulo que antea ex oppidi & ſuorum deditione graviter commotus, quo utiliter belli conſilia verteret, non reperiebat, omnibus ſuis coactis copiis Caſſianum venit, ut cum vellet, flumen trajiceret. Habebat autem lectiſſimorum equitum millia quindecim, quibus duces clari nominis præerant, militum triginta: eorum pars Helvetii, Vaſcones reliqui erant. ad hæc omnem fere totius Galliæ nobilitatem ſibi ſtipendiariam ſecum ducebat. poſtremo, quicunque in Gallia

Gallorum exercitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 lia citeriore aut princeps ſuæ civitatis, aut ampla familia natus, aut magnis opibus, aut omnino aliquo apud ſuos loco eſſet, eos omnes nominatim evocaverat. quæ duæ quidem res ad reliquum equitatum adjectæ, & numerum, & robur, & certe faciem ac ſplendorem exercitus majorem in modum adaugebant. Venetus erat exercitus equitum graviorum millium ſex, leviorum quatuor, militum trium & triginta: tametſi nequedum omnino omnes noſtræ in caſtra copiæ venerant: nam & Lucius Bononienſis, & Leonardus Apulus præfectus leviorum equitum reipublicæ ſuis cum turmis, qui quidem erant Brixiæ a magiſtratibus retenti, ut eos fines tuerentur, in quos Mantuanorum dux invaſurus putabatur, & equites Epirotæ perplures, tum demum appulſis ad urbana litora navibus egreſſi, & milites non pauci, quos Brixianorum civitas cogebat, expectabantur. aberat etiam ex legatis Cornelius, qui paulo antea calculo & urinæ vitio vitæ ſuæ diffidens Brixiam ſe contulerat. Erat autem is exercitus qui convenerat, ita florens etiam ſine iis, ita inſtructus, & animo, ut videbatur, paratus ad decertandum, cum ut rempublicam defenderet, tum vero etiam, ut quam Italiæ partem Galli occupaverant, in libertatem vindicaret (id enim prope palam profitebantur, ejuſmodique voces eorum creberrime ab hoſtibus exaudiebantur) ut nullo tempore aut meliores, paucis equitum ductoribus exceptis, aut omnino ampliores copias reſpublica ſuis in exercitibus habuerit: & niſi duces illis defuiſſent, nihil omnino videbatur eorum aut claram victoriam, aut pacem honorificam fuiſſe interpellaturum. Conſtat enim Aloiſium regem, ubi is prope ſe hoſtium exercitum habuit, atque ex captivis & numerum & alacritatem copiarum ad pugnandum cognovit, ſuis ducibus dixiſſe, *Nunquam ſe tantas Venetorum opes atque copias exiſtimaviſſe: haud ſibi tum ſui exercitus victoriam ſatis exploratam eſſe: fœdus ſe cum Maximiliano reliquiſque regibus ad Venetos eodem tempore opprimendos feciſſe: decreviſſe, ſi ita illis videatur, non decertare, atque ad legatos Venetos mittere, qui nunciet, poſtea-*

Venetorum exercitus.

quam reliqui fœderati nihil in commune conferant, ut ſe ad bellum juvent, velle ſibi rempublicam amicam eſſe, cumque ea fœdus renovare potius, quam congredi. Verum ab ſuis ducibus ſuaſum, ut ea de re prolixius ſibi eſſe cogitandum ſtatueret: loco eſſe propter flumen ejuſmodi, ut elici invitus ad pugnandum non poſſit: ſemper Venetos eum nuncium libenti animo accepturos: rem in alium diem diſtuliſſe. hæc ab illis qui concilio interfuerant, Patres poſtea cognoverunt. 1509

Caſſianum eſt oppidum in Abduæ fluminis ripa loco paulo editiore: pontemque habet ante portam ad fluminis trajectum plane commodum. trans flumen locus eſt ad ſemicirculi prope formam, quamvis magnarum copiarum capax: eum omnem locum aqua fluminis in altitudinem pedum ſex, in latitudinem circiter viginti, a ſuperiore parte derivata, inque flumen rediens claudit communitque, arboribus etiam impedita, ut introſpici non facile poſſit. Caſſiani rex biduo confecto, cujus bidui tempore Mantuanorum dux ab eo accerſitus cum equitibus quingentis ad illum venerat, flumen magno ſilentio exercitum trajecit, atque in eo, quem diximus, loco caſtra poſuit: inter quæ & noſtrorum caſtra planities tria paſſuum millia patebat. In ea planitie parva utrinque ab equitibus prælia fiebant, quibus in rebus ob Epirotarum celeritatem atque virtutem Galli quam Veneti, ſæpius interficiebantur & capiebantur, aut omnino repellebantur. verum, propterea quod Galli tormentis in Caſſiani arce poſitis illam planitiem longe lateque verberabant, noſtri non modo ad hoſtium caſtra propius accedere prohibebantur, ſed neque, num re flumen trajeciſſet, plane cognoverant. His ita conſtitutis rebus regi nunciatur, Revolutam oppidum ſuis ab caſtris abeſſe millia paſſuum paulo plus trium: in eo eſſe hoſtium milites ad ter centum: perfacile capi poſſe, ſi eo celeriter ſe conferat. Itaque de media nocte caſtris cum exercitu egreſſus ſe ad itineri ſecundum flumen dedit. Livianus, qui nequedum etiam ſciebat Gallos Abduam trajeciſſe, ab exploratoribus certior factus, ex tumultu ſtrepituque carrorum, quem exaudierant,

Galli Abduam trajiciunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 rant, Gallos loco ſe moviſſe, atque iter ſecundum flumen facere, cum equitibus leviſſimis quatercentis ſub lucem caſtris eſt profectus, ut quid hoſtes agerent, cognoſceret, & ſi citra flumen eſſent, moraretur dum reliquus exercitus accederet. Caligo vero ita denſa eo mane campis incubuit, ut Livianus, qui citatus ferebatur, temere in Gallorum incideret agmen, eoſque tum demum & Gallos eſſe, & flumen tranſiſſe cognoſceret: ſed illos laceſſere tantis in tenebris non auſus, propere ad Revolutanos, quo regem iturum ſuſpicabatur, miſit, qui diceret, ſi ad ſe hoſtes accederent, parumper ſuſtinerent, ſe ſe omni cum exercitu confeſtim affuturum, auxiliumque eis allaturum. His datis mandatis ad imperatorem recucurrit, motiſque ſtatim caſtris, aciebuſque diſpoſitis, ad Revolutanos, ſi fieri poſſet, tuendos exercitui dux fuit. Sed ea in re, quod moram interpoſuerat, nulli uſui cum fuiſſet (Galli enim confecto interim itinere, tormentiſque ad muros poſitis, parvo temporis ſpatio deditione municipium ceperant) noſtri caſtra quingentos prope hoſtes paſſus ſuo loco poſuerunt: ibique diem alterum uterque ſe exercitus continuit.

Poſtero die autem, qui dies fuit pridie nonas majas, rex, ut Pandinum municipium item caperet, bene mane ſecundum flumen acie diſpoſita iter facere cœpit, ea ſpe, ut ſi Cremonæ appropinquare, ad oppidique muros ſe oſtendere cum exercitu poſſet, nonnihil confideret ſe ſe oppidum, civibus tradentibus, quorum voluntates antea cognoverat, in ſuam poteſtatem redacturum. qua in re ſua illum ſpes atque opinio fefelliſſet, ſi Veneti ſe continuiſſent, neque prælium commiſiſſent: erant enim loco editiore, ac fere medio regionum earum: quo ex loco omnibus eorum oppidis, ne quid aggredi contra reipublicæ voluntatem auderent, una tanti exercitus fama facile proſpiciebatur, quamcunque ſe in partem rex incitaviſſet: quem ſi, ut facillimum factu erat, paucos modo dies eluſiſſent, propterea quod laborare commeatu cœperat, qui ad ejus exercitum, Abdua flumine interpoſito, tum Epirotis equitibus omnia diripientibus, atque in caſtra reipublicæ trahentibus: magna difficultate affe-

afferebatur, ipſa neceſſitas flumen iterum trajicere, Laudemque Pompeji aut Mediolanum nulla re confecta illum reverti coegiſſet. Quem rerum exitum metuens Triultius, homo jam ſenex, atque in rebus bellicis exercitatus, regi auctor fuerat, ne Abduam exercitum traduceret: cumque nihil profuiſſet, Gallique tranſire flumen jam inciperent, inter ſuos, *Video*, inquit, *hodie*, Triultius, *Venetos Italiæ dominos nobis imperium tradentibus fore*. Alia ex parte imperator ſenex & ipſe, multaque rerum experientia in bellis eruditus, eundem res eventum habituras tum exiſtimans, modis omnibus, ut a pugna ſe abſtineret, Livianum, quem ardere committendi prælii ſtudio cognoverat, hortabatur: *Gallos inopia coactos ſua ſponte brevi ſe in ſuos fines recepturos: confectum bellum & victoriam ſine ſanguine partam* dictitans. 1509

Itaque cum eſſet nunciatum, hoſtes loco ſe moviſſe, Livianuſque eorum ſe conſilia ſua celeritate anteventurum imperatori recepiſſet, petiiſſetque ab eo, ut cum ipſe ad illum mitteret, cum reliquo exercitu ſubſequi maturaret: *Minime*, inquit imperator, *me accerſieris, niſi tam longinquis hoſtibus, ut congredi non poſſint: hoc unum mi fili, ne ve te animi magni tui confidentia ulterius, quam oportet, provehat, etiam atque etiam abs te peto: ſi enim gladiis reconditis vincimus, quid nos attinet belli fortunam periclitari?* Hæc imperator idcirco dixerat, quod non multum equitatui confidebat: quo in equitatu nonnullos eſſe præfectos, qui Gallicis partibus occulte faverent, non obſcure cognoverat: eoſque pugnam detrectaturos, ſi eſſet confligendum, majorem in modum verebatur. Tum Gallorum naturam ejuſmodi eſſe ſciebat, ut primo impetu ſuſtineri ægre poſſent, multaque recentes conficerent, quæ ſpatio interpoſito non eſſent præſtaturi: fieri enim illis omnia in dies duriora ac difficiliora, quod moram ferre nequeant. Sed profecto longe aliter res, quam ipſe exiſtimaverat, cecidit, propter Liviani cum eo diſceptationum atque invidiæ ſuſcepta pridem ſemina, qui non ſuperiorem modo ſibi illum eſſe, ſed ne exæquari quidem imperio ac di-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 gnitate patiebatur, ſumptis ab iis rebus animis, quas anno ſuperiore in Carnis atque in Iſtris geſſerat. itaque ſpreto prudentiore conſilio Livianus, tum longiſſime abiiſſe hoſtes confirmans, imperatorem ad inſequendum incendit: *Non cunctando, neque ſedendo reipublicæ conſuli, quæ ſe ſuaque omnia ipſorum fidei commiſerit: fruſtra tantum confectum exercitum, tantos theſauros inſumptos, ſi ante ipſorum oculos imperii municipia nullo defendente capiuntur: ſuum hoc eſſe dedecus, non reipublicæ.*

Venetorum cum Gallis ad Abduam conflictus, & clades.

His vocibus impulſus Nicolaus, caſtra moveri, & ſigna tolli imperat, ſuoque loco relicto in demiſſiores atque impeditiores campos exercitum inſtructum producit. quatuor noſtrorum erant acies equitum militumque numero fere pares, quæ ita jam proceſſerant, ut prior ab extrema, cui Livianus præerat, tria millia paſſuum abeſſet. Rex de eo certior factus, cum eſſet inter utroſque foſſa ab incolis ad derivandas aquas confecta, in longum porrecta terræ ſpatium, alta lataque, ut trajici ab alterutris ſine magno diſcrimine non poſſet: ad extremam ejus partem agmen ſiſtit, atque ab itinere continet eouſque, ut tres noſtrorum acies ſuum exercitum prætergreſſas ſciret eſſe: tum agmen & tormenta retorqueri, atque in ultimam noſtrorum aciem impetum fieri imperat: aciemque pleniorem ſuam, cui magnopere confidebat, in impeditos atque inopinantes immittit. Veneti primum omnium frequentes ab Gallis miſſas tormentorum pilas exceperunt: interfectiſque non paucis, in quibus fuere legati comites aliquot, qui ante ipſum disjecti ejus modo ſanguine os non reſperſerunt, ut temporis exiguitas patiebatur, converſi quantum poterant pugnaverunt. ſed quod erat magna eorum pars ex proordinibus, neque multum rei militaris uſum habebat, facile omnes interfecti fugatique ſunt. erant autem numero ad millia quatuor. Apud hos ea in acie cum eſſet Petrus Montius, de quo ſupra dictum eſt, cum militibus, qui ſub eo merebant, mille, is hoſtium impetum excipiens cum fortiſſime & quantum humana vis poterat, pugnaviſſet, magnumque hoſtium numerum interfeciſſet, reliqui feſſi vulne-

vulneribus jam cederent, ſubmiſſis ab rege multis optimorum militibus millibus, qui prælium reſtituerunt, cum octingentis ſuorum in media hoſtium acie confoſſus occubuit. Erant apud illum Saccoccius Spoletinus cum ſeptingentis militibus, Citoluſque Peruſinus cum fere totidem, viri & ipſi magna excellentique virtute: horum alter interfectus eſt: Citolus multis vulneribus acceptis in hoſtium poteſtatem venit: ex reliquis, ea in acie qui erant, militibus perpauci Gallorum impreſſionem pauliſper ſuſtinuerunt. Livianus pugnæ initio, prælium commiſſum conſpicatus, alio ab latere cum ſua turma in hoſtes ſe injecit: atque ab ipſis, equo defeſſo, ut in recentem ſe inferret cum deſiluiſſet, vulnere ſub oculis accepto captus eſt, captique qui cum illo prælium inierant, fortes viri, & claro loco nati ſane plurimi: apud quos Francus Burgius equitum ſagittariorum turmæ præfectus acriter pugnans occubuit. reliquus equitatus cum præfectorum proditione, tum timore pugnandi, nulli omnino reipublicæ uſui fuit: neque ulla ex tribus aciebus, quæ anteceſſerant, pugnanti quartæ auxilium attulit. ita parvo temporis ſpatio Galli, quos quidem magna hoſtium exercitus formidine affectos paulo ante valde pœnituerat bellum reipublicæ intuliſſe, quos timuerant, in fugam conjecerunt. nemo enim ex omni reipublicæ copia fuſis fugatiſque iis, ſe continuit: ingentique optimorum tormentorum vi, quam Vincentius Valerius præfectus miniſtrique incuſtoditam mediis in campis fugientes prædæ hoſtium reliquerant, ſunt potiti.

Livianus capitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN LIBRUM OCTAVUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

VEnetorum post cladem consilia & successus. Brixiani se regi dedunt. Veneti Apuliæ oppida Ferdinando regi offerunt. Julio Pontifici itidem Flaminiæ oppida tradunt, & Cæsari quæ ad Romanum imperium spectant. Georgiani sacerdotes Venetiis Ferrariam se conferunt. Julii Pontificis, & Alfonsi Atestini perfidia. Multæ civitates se se Gallis dedunt. Veneti ad urbis propugnationem consilia sua convertunt. Taurisani sub Venetorum imperium redeunt. Alfonsi Atestini in Venetos injuriæ. Captivorum Venetorum cum Gallis permutatio. Antonius Grimanus ab exsilio revocatur. Cremonæ arx a Gallis capitur. Julius Pontifex interdictum in Venetos abrogat, ac pacem cum eis init. Maximiliani Cæsaris in Venetorum fines irruptio. Venetorum legati quomodo a Julio accepti. Patavium a Venetis recuperatur.

P E-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM
HISTORIAE
LIBER VIII.

VBi nuncii literæque de ea re ad Senatum venere, tantus repente dolor omnes tenuit, nunquam ut alias Patres majorem animo ægritudinem contraxisse civitas meminerit: fereque omnes tam inexpectatum reipublicæ casum graviter dolebant. Nam ex Liviani literis, qui eos bono animo esse jusserat, & læta prosperaque multa non semel fuerat pollicitus, victoriam de Gallis prope certa spe animo conceperant: quam si essent consecuti, neque Julium, qui in ipsos nova interdicti forma usus fuerat, neque omnino quenquam timuissent. nunc se victos, exercitumque reipublicæ fusum & profligatum esse, gravissime ferebant: & reflantem patriæ fortunam, & difficultates, in quas incidere posset respublica animo volutabant. quanquam aliis super alias acceptis literis, neque imperatorem neque legatos, 1509 *Venetorum post cladem consilia.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 gatos cum multo majore exercitus parte prælio interfuiſſe cognoviſſent; tamen quod eiſdem quoque literis admonebantur, omnium mentes timore proſternatas jacere, pediteſque in primis, qui retineri non poterant, quin vulgo dilaberentur, ſeque a ſignis ſubtraherent, difficile omnino videbatur reipublicæ oppida vel a victore rege, vel a Julio poſſe defendere. Erat in templi Marcii procuratorum collegio Paulus Barbus, civis ſane prudens, diuque multa cum laude in republica verſatus. is, quod erat ſenio confectus, a publicis muneribus abſtinens domi ſuæ aliquot ſe menſes continuerat. huic Lauredanus Princeps miſit, qui cladem exercitus nunciaret, & Senatum cogi diceret, ipſumque adeſſe, ſi poſſet, hortaretur. quod ubi ſenex audivit, veſtem ſenatoriam popoſcit, atque ita in curiam membris trementibus ſe ſe trahens, orationem, quam tempora poſcebant, habuit: *Veniſſe in Senatum ſe ſe corpore infirmo, nullis viribus, ut eam ſententiam diceret, quam præſens rerum ſtatus pateretur: quotum enim quenque eſſe, qui in tanta tam repente offuſa urbi caligine poſſit, quid fieri expediat, recte diſpicere? gravem eſſe reipublicæ caſum, illius opes fractas debilitataſque eſſe: exterorum auxilia unde peti poſſint, non videri: verum, eſſe Deos immortales, quos ruptis fœderibus hoſtes violaverunt, eoſque neque arma hominum vereri, neque poſſe decipi ab iis, qui nos in neceſſitudine ac fide illorum requieſcentes, plurimiſque noſtris maximis atque perpetuis benivolentiæ officiis conſtantiaque fretos prodiderunt: eos tanti ſceleris vindices futuros, reiquepublicæ auxilium laturos, ſe confidere.* Hæc ille cum dixiſſet, ad ea quæ eſſent procuranda atque ſtatuenda, orationem convertit, quod idem multi magiſtratus fecerunt. Pluribus igitur dictis ſententiis, ut in tam dubiis rebus cuique aliud fore uſui ſuccurrebat; primum omnium pecunia legatis, qui ſe ex fuga apud Brixiam receperant, ad exercitum inſtaurandum decreta eſt: nam Cornelius ex morbo pauliſper recreatus, dum in caſtra ſe referret, clade audita una cum fugientibus eo redierat. tametſi eis e ſtipendio ante prælium exer-

exercitui dato non minimum pecuniæ ſupererat. deinde 1509
ad Dominicum Grimanum, & Marcum Cornelium Georgii legati filium, qui utrique in Cardinalium collegio Romæ tunc erant, datæ literæ, uti Julio ea, quæ ipſemet petierat edicto ſuo, ex reipublicæ ditione oppida, intra eos quos præſtituerat dies iri ei traditum Senatus nomine pollicerentur: rogarent, *ne rempublicam conteri a barbaris exercitibus permitteret: quam ſi unam peſſundabunt, tutum illum reliquoſque deinceps Romanos Pontifices ipſa in urbe non futuros: id quam ſæpe alias experta Roma ſit, neſcire porro neminem: decere ipſum, qui in Italiæ præclara parte natus cœlum hauſerit, reliquos Italos tueri potius, quam exterarum nationum pluſque nimio per ſe appetentium vires opeſque, quibus vaſtitatem Italiæ inferant, augere.* Latum etiam, ut Antonius Juſtinianus, qui Cremam legatus a Senatu lectus proficiſcebatur, ad Maximilianum recta contenderet, & cum illo ſi poſſet, pacem quantumvis duris conditionibus faceret: Tergeſteque oppidum, & Portum Naonis, reliquaque municipia, quæ reſpublica ex ejus ditione ſuperiore anno ceperat, Senatum ei paratum eſſe reſtituere, ac quæ oppida ex Romanorum imperatorum ditione in Carnis & Gallia, & Venetia reſpublica poſſideret, ea ſe omnia illi tanquam accepta relaturum nunciaret. niſi enim ab altero eorum aliquid auxilii afferatur adverſus Gallorum audaciam atque impetum, nullum ſatis firmum obicem futurum eſſe verebantur.

Demum lecti legati ad exercitum duo priorum legatorum loco, Georgius Emus, Paulus Capellus, legationibus renunciatis propter alios magiſtratus quos obibant, ex quibus magiſtratibus ad alia munera invitos evocari non licebat, magnam Senatus, magnam totius civitatis invidiam ſubierunt: neque eorum loco quiſquam ſublectus poſtea fuit, quod jam de priorum legatorum diligentia, quæ Senatus vellet, nunciarentur. Rogatio tantum in Decemvirum collegio lata, ne cui deinceps ulli ullam ob cauſam adverſis reipublicæ rebus cuipiam ſibi delato muneri reji-

Lex lata: ne cui liceat adverſis reip. rebus delatum munus repudiare.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 rejiciendi facultas ſit. Lecti poſt hæc legati duo, Petrus Duodus, Chriſtophorus Maurus, quorum qui plura ſuffragia tuliſſet, Brixiæ, Veronæ alter præeſſet. Horum prior clare Senatu audiente pronunciavit, *Se id vehementer cupiiſſe, ut ſuam reipublicæ tam triſti ejus tempore navare operam poſſet, quando lætiora non dabantur : itaque legationem libentiſſime obiturum*. Maurus autem ante Lauredani ſubſellium progreſſus, Patribus dixit, *Poſt Deum immortalem ſuam ſe vitam reipublicæ devoviſſe ; ea, uti vellet, uteretur : læto ſe illam animo patriæ, a qua acceperit, redditurum*. quorum oratio ab omnibus laudata, multorum Senatorum patriæ charitate implente dulcedine animos, lachrymas elicuit. atque ii ſtatim profecti ſunt. Dionyſio autem Naldio, qui prælio interfuerat, cujuſque centuriones militeſque perplures & capti a Gallis & interfecti fuerant, ipſe fortiter pugnans repulſis hoſtibus ſe receperat, omnium reipublicæ militum præfectura eſt a Senatu tradita.

Auxere Patrum dolorem inter hæc e Flaminia nuncii, Joannem Græcum, hominem impigrum, & ſpectata fide, equitum ſagittariorum turmæ præfectum, cum ea, quæ Ravennæ erat, manu hoſtes aggreſſum, ut eos ab obſidione Ruſſii averteret, quod abeſt municipium ab Ravenna paſſuum millia XV. diuque ab Julianis oppugnabatur, equi lapſu captum fuiſſe, eoque ab hoſtibus ad murum oppidi producto, Ruſſianos una cum prætore ſe ſe illis dediſſe : eorum exercitum jamjamque ad Ravennam oppugnandam affuturum. Ejuſmodique nunciis alii e Rhetis nuncii ſucceſſere, qui dicerent, manus illis in locis & Maximiliani finibus cogi : tormenta Tridentum afferri : commeatus comportari : certam eſſe famam, bellum inferri a Maximiliano reipublicæ. Ex Carnis item & Tergeſte Patres certiores fiebant, milites ad octo millia in Alpibus prope conſcriptos eſſe, qui reipublicæ ditionem aggrediantur. Ex caſtris quoque ab legatis literæ afferebantur, regem Caravagio eſſe potitum, Jacobumque Siccum ejus oppidi municipem, equitum reipublicæ præfectum,

eo

eo cum ſuo equitatu contendiſſe, regique ſponte ſe atque 1509
illos tradidiſſe : nullum vicinorum municipiorum exercitum Gallorum expectare : omnes illas regiones in timore magno eſſe. Brixianos, qui antea & fidem & audaciam reipublicæ præſtabant, timere ſuis rebus & diffidere cœpiſſe, quod ſcirent prætores ſuos uxores & liberos & ſupellectilem domeſticam ad urbem miſiſſe : quæ res vehementer reprehendebatur. itaque ſe ſe in difficultate plurima verſari rerum omnium : milites enim vel imperia recuſare, vel accepto largiter ſtipendio tamen perfugere : tormenta eis deeſſe, quibus oppidum tueri poſſint, ſi rex eo veniat : quamobrem vereri, ne Veronam ſe recipere cogantur. Sed quod ad Caravagianos attinet, eam rem poſt ea intellectum eſt ita cecidiſſe. Nam quod oppidani, ne diriperentur, ſtatuerant regem, qui cum exercitu aderat, recipi ab ipſis oportere, Ludovicus Michael arcis oppidi præfectus, qui ſe celeriter & militibus & commeatu communierat, prætore in arcem recepto, ſe ab Gallis magno animo defendebat. Galli cum triduum tormentis innumerabilibus arcem continenter verberaviſſent, neque multum profeciſſent, accidit ut ignis in cellam, qua tormentorum pulvis aſſervabatur, temere illatus, omnem illam defendendæ arcis facultatem præfecto puncto temporis ademerit : qua re milites perterriti, ſe atque arcem & præfectum & prætorem regi dediderunt : ipſiſque eſt ea tantum conditione interpoſita ſalus data. Cives autem ii Veneti duo juſſi ſe ad mortem comparare, a ſacerdote Franciſcino precibus regi ſuppliciter adhibitis (nam ei cum rege in Gallia familiaritas interceſſerat) vitam modo non amiſerunt, atque in Galliam captivi miſſi ſunt, in cuſtodiaque diu habiti.

Caravagii expugnatio.

Patavini cum viderent rempublicam omnibus a partibus premi, concilio civitatis convocato rogationem tulerunt, ut quingentæ auri libræ confeſtim exigerentur, atque ad urbem mitterentur, omniaque ſe facturos ad eam juvandam, quæ imperarentur, quæve ipſi per ſe cognoſcerent profectura, legati ſtatim legendi Patribus renunciarent.

Patavinorum fides in remp.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 rent. quæ res ſane grata illis fuit, non tam quidem quod ea magnopere levarentur, quam propterea quod exemplo aliis civitatibus eſſe poterant amanter ſe in rempublicam gerendi. At cum ad urbem veniſſet Gaſparis Severinatis ſcriba, expoſuiſſetque Patribus, magna illum difficultate propter Julii edictum ad vicinos Cremonæ oppidi fines ſe ſe unum in veſte paſtorali contuliſſe: nam ſuos equites ſecum adducere nequaquam potuiſſe: quæſiſſetque quid illum facere Patres vellent; reſponderunt, uti quantum poſſet, ipſorum ad exercitum ſuum adventum maturaret: ſtatutum enim ſibi eſſe, Liviani equites ei tradere. Ille vero ſpreta reipublicæ conditione, ad regem Galliæ poſtea ſe contulit rogatum, uti ſe Maximiliano commendaret, peteretque ab illo, ut in Citadellæ principatum, quem pater ſuus obtinuerat, ſe reſtitueret: ſcire enim, nihil illi Maximilianum negaturum. Ferrariæ vero Prodominus Aloiſius Mula Patribus ſignificavit, clade exercitus reipublicæ cognita, magnæ voluptatis ſigna cives illos miſiſſe, plebemque omnem vocibus procacioribus & tympanorum ſonis lætam atque hilarem per oppidum cucurriſſe: Alfonſum autem ducem, quem ipſe adierit, nolle ſe tutum ſua in urbe præſtare, propterea quod dicat incitatæ plebis ſtudia non poſſe contineri: itaque illi, ut diſcederet, ſuaſiſſe: redire poſtea poſſe, cum belli fervor, & interdicti Juliani acerbitas atque injuria reſederit. Quibus rebus cognitis, Mula Senatuſconſulto revocatus, medio e magiſtratu decedens domum rediit.

Jamque regi omnibus fere populis ſe dedentibus, quod a reipublicæ copiis nullum eis præſidium afferebatur, Senatus juſſit, uti milites ad decem millia, quo celerius fieri poſſet, conſcriberentur, quorum tribuni centurioneſque partim a magiſtratibus in civitate, reliqui in caſtris legerentur: equites ad tria millia utriuſque armaturæ conficerentur. Ea poſtea res quod nullum prope habitura exitum in tanta rerum omnium perturbatione videbatur: nam neque in urbe, qui vellent dare nomina reperiebantur: imperatoris autem & legatorum juſſa vulgo deſpiciebantur:

ple-

pleraque omnia privatim adminiſtrabantur: Patres veriti 1509
brevi fore, ut omnis Italiæ continentis pars, quam tenerent ipſi, a republica deficeret: ad urbem tuendam, & commeatibus claſſibuſque muniendam animum adjecerunt. Confirmavit hoc eorum conſilium cum Brixianorum civitas, quæ copias reipublicæ intra oppidum recipere noluerat, quod diceret nolle ſe ab exercitibus conteri, ſatis ſibi ipſos præſidio futuros: tum quod intelligebant claſſem a Ferdinando rege in Sicilia Calabriſque eſſe comparatam, qua ab claſſe frumenti ad urbem convectiones facile prohiberi poſſe videbant, niſi reſpublica majores ad reſiſtendum opes objeciſſet. itaque latum, ut claſſi ſupplementum adderetur, ut eſſent omnes ad triremes quinquaginta. Ab annonæ quoque magiſtratu edicta ſunt propoſita, quibus frumenta facilius omnibus a locis ad urbem comportarentur. literæque ad Cyprios datæ, ut quantum maximum poſſent, frumenti numerum navibus imponerent: naveſque perplures ad eos miſſæ, ne navigiorum indigentia convectiones tardarentur: imperatumque, ut quæ ab inſula naves ſale onuſtæ jam ſolviſſent, ubicunque eſſent, ejus ſalis jacturam facerent, & in Cyprum reverterentur, frumentoque complerentur. Miſſæ etiam in Epirum cum mercatoribus, pretiaque iis, qui adduxiſſent, ampliora lege facta. Latum etiam, ut quæ leges prohiberent, ne ad venarum navibus frumenta reliquique commeatus Venetias afferrentur, quo civium naves majora lucra facerent, eæ leges abrogarentur, dum de bello decernatur, liceretque quibuſcunque hominibus ſuis cum navibus commeatuum cauſa ad urbem ſine anchorario accedere. Iiſdem diebus Ferdinandi legatus Patribus expoſuit, regis ſe literis in Hiſpaniam revocari: qua de re coacto Senatu lex eſt lata avertendi ab inferendo reipublicæ bello ejus regis cauſa. ut legato Ludovicus Princeps diceret, Senatui placere, quæ haberet in Apulia reſpublica oppida, regi obtinenda ejus miſſuros, qui ea, cum volet rex, ejus miniſtris tradat. His cum mandatis legatus poſtero die abiit. Alfonſi etiam legatus ſalutatis Patribus domum rediit.

His

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 His permoti rebus Patres, & quod exercitu redintegrando omnia eos deficiebant, neque multum in Nicolao imperatore ſpei repoſitum diminutis ejus copiis ad rempublicam tuendam habebant, rogationem juſſerunt, ut certus homo ad Proſperum Columnam mitteretur (is in finibus regni Neapolitani tunc erat) qui ei nunciaret, ſi reipublicæ velit præſto eſſe, Senatum ei nomen imperatorium cum ſtipendio auri librarum ſexcentarum ſingulis annis daturum, modo is equites mille ducentos ſecum adducat: rogare, uti & conditionem acciperet, & profectionem, quantum poſſet, maturaret. Interim rex a Brixianis intra mœnia recipitur: arcibuſque duabus, quas ii dolo a præfectis interceperant, ſuos miniſtros præficit. Sebaſtianus Juſtinianus prætor, quod in oppidanos magna continentia & moderatione uſus fuerat, cum una cum reliquis magiſtratibus captivus factus eſſet, publica civitatis commendatione a Rege libertati reſtitutus, Gallorum comitatu in caſtra ad legatos ſe ſe contulit. Cremenſes quidem cum oppidum haberent munitiſſimum, jam ante hos omnes Sonzini Benzonii eorum municipiis turmæque equitum reipublicæ præfecti ſuaſu in Gallorum partes transierant: nam cum in clade exercitus Grittus legatus, qui eo ſe recipere cogitaverat, Benzonium Cremam præcurrere juſſiſſet, civitatique nunciare bono animo ut eſſet, ſe jamjamque affuturum, eique præſidio futurum: ille ad cives ſuos advolans, uti portas legato clauderent, neque illum neque quenquam Venetum intromitterent, oratione ſua dedecoris perfidiæque plena, & auctoritate, qua pollebat, perfecit. Quibus intellectis rebus imperator legatique Piſcheriæ, municipio in Mintii fluminis ripa, ubi e Benaco exit, poſito, equitibus levis armaturæ trecentis, militibus nongentis ex itinere præſidio relictis, Veronam ſe recipiunt, caſtriſque in campo, qui appellatur Martius, ad muros oppidi poſitis, rerum exitum expectare conſtituunt. Omnes equitum ad quina millia, milites mille quingentos redacti. nam quod rex edictum vulgaverat, omnes ex Gallia, quam ipſe ceperat, qui reipublicæ

Brixiani ſe Gallis dedunt XI. kal. jun.

Et Cremenſes VIII. kal. jun.

blicæ militiam facerent, niſi ad ſuam quiſque patriam decem dierum ſpatio rediiſſent, eorum ſe bona publicaturum, atque ipſos hoſtium loco habiturum: præter cætera plurimi eam ob rem etiam legatis permittentibus diſceſſerant. Eorum adventu ſollicita civitas, ut plebs ad exercitum juvandum pronior fieret, portorium frumento molendo exigi vetuit, quoad bellum eſſet confectum. Ad id ut Senatus voluntas accederet, cum eadem civitas per legatos petiiſſet, Patres in ejus gratiam portorium in omne tempus ſuſtulerunt. Iiſdem diebus templorum aliquot urbanorum ſacerdotes edicti Juliani metu, quo iis omnibus aqua & igni interdicebatur, niſi e ditione reipublicæ recederent, atque in primis Georgiani, quorum eſt celeberrimum in inſula e regione comitii fanum, cum ſupellectili aurea argenteaque Ferrariam, atque in Mantuanum agrum profugerunt, ut urbs eo genere hominum pene deſtitueretur, civitaſque in primis rei divinæ aſſueta, magnam ex eo moleſtiam caperet. Antonii etiam Juſtiniani literæ ex Alpibus datæ Senatum certiorem fecerunt, Tridenti Epiſcopum ſe audire noluiſſe, quod diceret ab aqua & igni interdictorum ſermonem atque aditum eſſe defugiendum. itaque paucis poſt diebus cum nihil impetrare potuiſſet, Senatus permiſſu domum rediit. 1509

Monachi S. Georgii majoris Venetiis abeunt.

Miſerant in Flaminiam Patres Joannem Jacobum Caroldium, uti Ravennam urbem, & Cerviam, & Ariminum, & Faventiæ arcem (nam oppidani ſe dediderant) reliquaque Venetæ ditionis in Flaminia municipia abductis tormentis, receptiſque iis, quos bello captivos hoſtes fecerant, Senatus auctoritate Julii miniſtris traderet. Ii cum fide ſcripto data, ſe ſe & tormenta allportari permiſſuros, & captivis libertatem donaturos, & præter hæc quod erat primum atque maximum, uti eveſtigio interdictum antiquaretur curaturos, oppida ipſa recepiſſent: in nullo eorum quæ pepigerant, perſtiterunt, retentis tormentis, & captivis Romam miſſis, non iis modo qui bello capti fuerant, ſed illis quoque, qui præfecti oppidorum atque arcium illa ipſa pacate tradiderant, civibus Vene-

Redduntur Julio oppida omnia in Flaminia.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 Venetis undecim, quos in ipso negotio circunventos in vincula conjecerant; & interdicto non resciſſo. Ea Julii fides, ea pietas in ſupplices fuit, atque omnino in illos eosdem, qui paulo antea Romæ, ut is Pontifex Maximus fieret, omnes ſuas opes, omnem auctoritatem, gratiam, ſtudia publice contuliſſent. Non abſimili injuria Alfonſus Ferrarienſium dux Rhodigianos apud Padum flumen poſitos, quod oppidum bello Ferrarienſi Veneti ceperant, atque ex pacis fœdere poſtea tenuerant, parva manu eo adducta in deditionem recepit. qua intellecta re, Antonio Bragadeno prætori, qui ſe in oppidi arcem intulerat, Patres per literas mandaverunt, ut tormentis abductis arcem duoque reliqua ejus regionis municipia Alfonſo reſtitueret. ſed is, antequam eæ ad eum literæ perferrentur, captus ab hoſtibus una cum arce, Ferrariamque perductus, paucis poſt menſibus in cuſtodia interiit. Itemque ad Sebaſtianum Maurum, qui cum decem & ſeptem navibus in Atheſim miſſus fuerat, literæ ſunt a Senatu datæ, ut in tutum ſe reciperet. is cum ab agricolis in reditu ab utraque ripa omni telorum genere premeretur, ac propter ſiccitates contractiore aqua minus ſe ſubducere celeriter poſſet, ejectis aliquot in flumen tormentis gravioribus, incitatiſque remigibus Bebiam rediit.

Piſcheria a Gallis capitur III. kal. jun.

At in ſuperiore Padi fluminis ripa Cremonenſes Gallis equitibus & militibus in oppidum admiſſis ſe ſe regi tradiderunt: eoque biduo nuncius ad Senatum venit, Piſcheriam municipium rege oppugnante captum: milites oppidanoſque ad unum cæſos: Andream Ripam arcis præfectum reſte ad arborem exanimatum fuiſſe. Ea re audita Zacharias Lauredanus in Benaco præfectus, ſimul quod omnia ejus lacus municipia partim ad regem, partim ad Maximilianum deficiebant, trireme & bireme, quibus præerat, incenſis, una cum ſuis omnibus hoſtibus adventantibus ſe ſubripuit. Patres ob hæc perſpecta difficultate quidquam in Gallia atque in Rhetis oppidorum retinendi, legatis mandarunt, ut in agrum Patavinum exercitum reducerent: Veronenſibuſque permiſerunt, ſi Maximilianus

nus ad eos mitteret, qui uti ſe dederent poſtularet, ne 1509
recuſarent. Cumque Tauriſani tumultu civitatis & plebis excitato, pleriſque non idem ſentientibus, per legatos, quid ſe vellent Patres facere, a Senatu petiiſſent: id unum quod conducere ſibi ipſi exiſtimarent, legatis reſponderunt. Scripſere etiam ad ſuos in Carnis atque Iſtris magiſtratus, ut quæ oppida ſuperiore anno e Maximiliani ditione reſpublica ceperat, ea omnia, armamentis commeatibuſque publicis abductis, regiis petentibus miniſtris reſtituerent. Poſtremo, quod ab ea cogitatione non longiſſime aberant, ut urbi quoque ipſi timendum putarent, docti a præſentibus rebus, quantam reipublicæ diuturnitas & incrementum in ſe unos omnium regum invidiam atque odium concitaviſſet, Decemviri duodecim legerunt ci- *Senatus urbis ſecuritati proſpicit.*
ves dignitate præditos, qui vada urbana atque litora, adhibitis ejus rei peritis hominibus, diligenter inſpicerent, ut aditus, ſi qui eſſent apertiores, caſtellis munirentur. Tum auctus operarum publicarum numerus: juſſumque ut omnes inſulas & domos vicorum magiſtri perluſtrarent, quantaque eſſet in urbe advenarum multitudo, quanta armorum privatim ab his comparatio, cognoſcerent: edictumque pœna capitis propoſitum, ne quis armatus incederet. vigiliæque noctu vicatim & præfecti cum militibus diſpoſiti, ne quis temere tumultus exoriri poſſet. etiam lex lata, ut triremes octo urbis præſidio armarentur. Inſuſque multo maximus frumenti numerus ab annonæ magiſtratu ad molas farinarias in Tauriſanos fines domi mo- litus adſervandus, ne, ſi eæ ab hoſtibus molæ interciperentur, civitas farinæ inopia laboraret. molæque aliquot, quas naves ſuſtinebant, e Pado Atheſique ad urbem perductæ: cogitatumque ut molæ aliæ, quas verterè ventus quiret, in ſuburbanis inſulis fabricarentur: pateique pe- plures in portus litore foderentur, ut ſi a hominibus aqua propter hoſtes circunfuſos peti non poſſet, iis puteis civitas uteretur. Miſſi etiam publice lecti cives ad arborem in Medoaci ripis cædendam, atque ad urbem devehendam, ut materia civibus ad munitiones in propugnatione ſup-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 ſuppeteret, & hoſtibus ad oppugnandam vel obſidendam urbem deficeret.

Verona Maximiliano ſe dedit, prid. kal. jun.

Dum hæc domi adminiſtrantur, Vicetini cum intellexiſſent Veronæ ſe urbem Maximiliano dediſſe, omniaque in Alpibus caſtella & municipia ejus civitatis præjudicium ſecuta idem feciſſe, neque a Senatu impedirentur quo minus conſilium pro tempore & pro neceſſitate caperent, ad Leonardum Triſſinum civem ſuum, quem Veneti exulem fecerant, quique a Maximiliano præmiſſus in eorum fines ſe intulerat, miſerunt, ſe paratos eſſe deditionem facere: cumque is ad oppidum paucis cum militibus acceſſiſſet, certis conditionibus interpoſitis ſe ſe regi dediderunt. Patavini autem, quorum erant nonnulli cives, qui rebus novis magnopere ſtudebant, coactis inter ſe privatim conciliis eidem ſe regi dedere ſtatuerunt. itaque magiſtratibus primum quidem nolle ſe exercitum, qui adventabat, intra mœnia recipere denunciaverunt: portaſque ipſi, ejectis qui in ſtatione erant, tenuerunt: deinde, ut abirent domum, neque plebis impetum expectarent, eos monuerunt. poſtremo agreſtes homines armatos in oppidum introduxerunt, ut illi Senatu primo jubente, poſt etiam nolente, diſcedere cogerentur. quamobrem Patrum juſſu exercitus Patavium prætergreſſus, & ponte in Medoaco decem millia paſſuum ſupra eum locum, ubi munitione ad naves tranſportandas a maris aqua flumen diſcluditur, navibus impoſito traductus atque ad Meſtre municipium progreſſus, ibi caſtris poſitis ſubſtitit. Patavini ad Leonardum Triſſinum miſſis interpretibus, ei Patavium cum honeſto comitatu venienti ſe tradiderunt, imperataque fecerunt.

Et Vicetia non. jun.

Patavini Maximiliano ſe dedunt.

Nova legatio ad Julium decernitur VIII. idus jun.

Interea cum Roma literæ ab Grimano & Cornelio Patribus ſignificaviſſent, niſi novam legationem ad Julium miſiſſent, nihil ſpei eſſe illum a ſua in rempublicam pertinacia receſſurum, Senatus ſex legatos creavit ex principibus civitatis, Dominicum Triviſanum, Leonardum Mocenicum, Paulum Piſanum, Hieronymum Donatum, Paulum Capellum, Aloiſium Maripetrum, qui Romam pro-

proficiſcerentur; ab Julioque peterent, ut ea quæ Reipu- 1509
blicæ polliciti ejus miniſtri fuerant, repræſentaret. Quibus de rebus nonnulli ex civibus dolore affecti, in eos qui Senatum regebant, voces plenas querelarum privatim jaciebant, fortaſſe non percipientes hujuſmodi decreta bonis rationibus facta eſſe, ac ne populi, qui reipublicæ parerent, eorumque urbes & regiones hoſtium prædæ expoſita eſſent, quorum viribus impetuique eo tempore cedere e re omnium eſſe videbatur, lætioremque fortunam expectandam: ea flante, recipi tunc poſſe, quæ vitandarum populationum cauſa deſererentur, quemadmodum Diis bene faventibus eveniſſe poſtea compertum eſt. Hi igitur, qui non ſatis probe rem intelligerent, querelas graves amaraſque adverſus eos, qui civitatem regebant, ſpargere: *Non adeo timide rempublicam adminiſtrari oportuiſſe: non tot egregia oppida tradi hoſtibus ita facile debuiſſe: neque enim majores noſtros tantis impenſis, tot exercitibus, tantis ſuis laboribus & ſanguine, tot annorum longinquitate ea imperio adjeciſſe, ut paucis poſt diebus ſponte amitterentur: errare qui mitiores futuros hoſtes crederent, propterea quod reſpublica tam facilis in illos fuerit, ut quæ nulla certa cum ſpe, maximiſque ſumptibus bello agere ſtatuerant, pacate ab iis propeque nictu oculi ſint confecta: augeri potius ea re eorum audaciam, quod debiliorem multo ad reſiſtendum armis rempublicam offenderint, quam putarant: itaque invitari eos jam allicique, tanta confecti belli celeritate, ad majora appetenda: id effectum eſſe hujuſcemodi decretis formidine plenis, ut vereri amplius, & pejora præteritis timere nunc cogantur. quod ſi regi Gallorum propter exercitum victorem cedendum fuit (quamquam ſi majorum priſtina virtus in viventium civium animis reſedisſet, non is tam propitios habuiſſet ſane Deos) quid attinuit vel Maximiliano nullos exercitus contra Rempublicam mittenti, tot oppida ultro dediſſe? vel Julii exercitum, antequam ille pactis ſtetiſſet, Reipublicæ oppida in Flaminia, firmata munitionibus propugnatoribuſque recepiſſe? nunc etiam legatos eſſe ad illum Romam mittendos,*

H. Bembi. V ut

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 *ut & ab republica ſuppliciter adiri ſe permittat, & interdictum abrogare velit.* Hæc & his ſimilia cum jactarentur, una Mathei Prioli ſententia, quam in Senatu dixerat, a prudentioribus repetebatur, atque iis opponebatur. Ea erat ejuſmodi: *Quemadmodum gubernatores boni atque induſtrii ſolent, qui cum vim tempeſtatis ferre nequeunt, naufragiique periculum propter mercium, quas in navi habent, pondus gravitatemque imminet, jacturam partis earum faciunt, ut navi e fluctibus emergente, ipſam reliquaſque res, & vitam una ſuam tueantur: ſic in reipublicæ turbulentis his temporibus fuiſſe faciendum, ut quando ejus exercitu fortunæ magis turbine quam telis hominum disjecto, populi municipiaque omnia, quibus præſidia mitti non poterant, arma hoſtium timerent, dederent ipſi per ſe Patres, traderentque illis ea, quæ captui eſſent propiora atque opportuniora, ut ea re illorum curſum atque impetum ſiſterent, potius quam fruſtra ſuas vires jam infractas opponentes, tamen illa ipſa una cum libertate imperii amitterent.*

Inter hos ſermones & querelas legati a Forojulienſibus ad Senatum venerunt auxilium rogatum, quo ſe tueri, ſi quid hoſtes molirentur, & bellum populſare poſſent: velle enim omnes e reipublicæ imperio non recedere. ad quos Epirotarum equitum turmam militeſque ab exercitu legati Patrum juſſu ſtatim miſerunt. Idem Juſtinopolitanis poſtulantibus milites trecenti ſunt ad eos miſſi, equiteſque centum quinquaginta, qui illis diebus ab Epiro venerant. Requie exercitui ad Meſtre municipium data, libras auri ſeptingentas a quæſtoribus urbanis Senatus legatis curari juſſit: utque ii recognito copiarum omnium numero, ſtipendioque eis dato, quas eſſe idoneas ad bellum gerendum, & virtute ac fide præditas cognoſcerent, eas omnes retinerent, reliquas dimitterent, imperavit. Triremes quoque uti quatuor in Illyrico armarentur, cura eſt a magiſtratibus adhibita, Creſpa videlicet, Aſchrivio, Jadera, Pharo: itaque & naves vacuæ cum armamentis, & ſtipendium, & præfecti eo ab urbe miſſi. At in navalibus nulla ceſſatio fiebat: materia undique conve-

cta

cta importabatur. triremes novæ biremeſque inſtituebantur, veteres reficiebantur: navigia humiliora viginti tormentis per vada ferendis ædificabantur: crateſque ex malis navium contexebantur: ſcaphæ cum feſtucis ad palos in æſtuariis figendos, qui munitiones ſuſtinerent, accelerabantur: ipſa ex ære fuſili tormenta magno numero, armamenta omnis generis, tela omnia parabantur: fabri, qui ſuppeterent, ex urbis officinis privatiſque navalibus accerſebantur: etiam machinationes ad molas frumentarias vertendas inchoatæ plurimæ perficiebantur. In his agendis ab omnibus diligenter adminiſtrabatur, ut ne feſtis quidem diebus quidquam eorum intermitterent. Baſſiano Maximiliani interpretibus tradito, Scala in Alpibus caſtellum, quod Federicus Michael præfectus timore animi incuſtoditum reliquerat, regis inſignia ſuſtulit. quod ubi Feltrini cognoverunt, prætore ipſorum Federico Mauroceno item profecto, ne diriperentur, idem fecerunt. 1509

Tauriſanorum & Belunnenſium in remp. fides.

Senatus certior factus Tauriſanorum civitatem præter paucos, qui Maximiliani partes ſequebantur, in officio cum republica velle eſſe, literas ad eos dedit, quibus literis immunitas omnium rerum annos quindecim civitati dabatur, portoriumque frumento molendo removebatur. Iis rebus cognitis cives plebſque omnis in primis magna voluptate affecti, ad propugnandum ſummo ſe ſtudio confirmaverunt. quam eorum voluntatem Petrus Duodus legatus, quem Senatus Verona Vicetiaque abeuntem eo miſerat, magnopere auxit, tabulis, in quibus ſuæ rationes & civium reliqua erant ſcripta, publice abolitis, atque in foro plebe aſpectante igni abſumptis: paucoque poſt milites quingenti ab exercitu Senatus juſſu ad eos præſidio miſſi, cupidiſſimis omnibus in oppidum recepti ſunt. Quod autem etiam Cividale Belunnam Maximiliano nolle ſe tradere perſeverabat, cumque republica omnes caſus experiri ſtatuerat, Senatuſconſultum factum eſt, uti Epirotæ equites ducenti Paulo Contareno præfecto Cividale mitterentur. Non tanta in rempublicam cujus ſtipendia faciebat, virtute ac fide Pandulfus Malateſta eſt uſus, qui

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 non ſalutatis legatis Citadellam profectus in partes Maximiliani ſe ſe tranſtulit. Alfonſus autem Ferrarienſium dux Ateſte municipio, a quo antiquitus originem ducebat, quodque abeſt Patavio paſſuum millia quindecim, in ſuam poteſtatem redacto, omnibus probris rempublicam afficere eſt aggreſſus, ejus inſignibus e foro aliiſque locis fœde abreptis, & fundis domibuſque Venetorum civium ſub haſta poſitis. Idem tamen haud ita multo poſt, quod ab Gallis ſuo ipſe regno timuiſſet, ejuſque rei ſuſpicio ſermoneſque non infimorum hominum in vulgus emanaverant, quas ſui milites domos Venetorum civium Rhodigii atque Ateſte diripuerant atque diruerant, eæ uti publice reſtituerentur, imperavit: literaſque a domeſticis ſuis dari ad amicos, quos in urbe habebant, voluit, quibus literis certiores eos facerent, Alfonſum ducem, quæ in Venetos hoſtiliter egiſſet, timore Gallorum coactum atque invitum feciſſe: animo autem eſſe in rempublicam, uti ſemper fuerit, amico, deque adverſis ejus rebus moleſtiam capere, quod ſciret detrimenta reipublicæ in univerſam eſſe Italiam atque in omnes bonos brevi recaſura.

Miſerat ad regem Galliæ Senatus unum ex iis, qui captivi ab exercitu reipublicæ Caravagio recuperato facti, Venetiaſque perducti fuerant, ut cum rege ageret, ut ſi vellet ſuos omnes dimitti, unum Livianum reſtitueret. Is ab rege tum redierat cum mandatis ejuſmodi, ut certos cives Venetos, & tribunos ac præfectos ex captivorum, quos habebat, numero pro ſuis ſe dimiſſurum rex diceret; de Liviano nullam ſe conditionem accepturum confirmaret. Ajebat is etiam, in eo quem ſecum rex habuerat ſermone, regem ſibi dixiſſe, ſingularem in prælio Venetorum militum fuiſſe virtutem, quam ſi equites præſtitiſſent, pelli ſe atque ſuperari parvo negotio potuiſſe: aut etiam, ſi a pugna Veneti paucos ſe dies continuiſſent, futurum fuiſſe ut ipſe non ſine ignominia Mediolanum recederet: magno enim timore multo maximam ſui exercitus partem perculſam a dimicatione abhorruiſſe. Citolus quoque Peruſinus tribunus militum ab iis, qui

eum

eum in pugna multis vulneribus pene confectum ceperant, 1509
numis traditis dimiſſus, ſecundo Padi flumine ad urbem venit: quem quidem Patres omni ſtudio curari mandaverunt, nequedum enim vulnera coaluerant. hujus de prælio ſermo apud Lauredanum habitus, cum ſermone Galli congruebat: Gallos pugnæ initio fugæ ſe ſe dare decreviſſe: idque futurum ſine dubio fuiſſe, non modo ſi Veneti equites, uti debuerant, depugnaviſſent; ſed omnino etiam, ſi ſe loco non moviſſent: eorum temere fuga cœpta fieri, hoſtes retentos ſe confirmaviſſe, atque ita non tam ulla ſua virtute, quam ingenti equitatus Veneti formidine atque perfidia viciſſe. At Senatus ea, quam ſupra commemoravimus, de captivis accepta conditione, quos habebat ex Gallis, regi reſtituit: atque ille, quos pollicitus fuerat, ex Venetis miſſos fecit: in quibus Naldius, Braccius, Vitellius fuerant.

Patres interea cum ſtatuiſſent reipublicæ exercitum eſſe omni cura atque impenſa retinendum, & quod ejus miſſis ad Tauriſanos & Belunienſes præſidiis decreverat, eſſe reponendum, centurionibus non paucis, qui poſt prælium e Gallia, quique poſt reſtituta Julio oppida e Flaminia redierant, uti novos milites conſcriberent, mandaverunt. Verum enimvero, propterea quod magna civium parte in tributa non conferente pecunia eos deficiebat, decemvirum decreto decem cives lecti ſunt, qui exigendæ pecuniæ omni cum poteſtate atque imperio præeſſent: eoſque qui majori eorum parti ſolvendo eſſe latis ſuffragiis cenſerentur, modis omnibus cogerent ad ſtipem conferendam: in reliquos mitius quidem agerent, aliquid omnino tamen etiam ab iis conſequerentur. atque ii peracto magiſtratu, qui quidem eſſet annuus, eo tempore ſenatoriam dignitatem exercere eis liceret, annum alterum in Senatu eſſent. eaque re pecuniæ poſtea exigendæ ratio Patribus aliquanto facilior atque explicatior fuit. Rogaverant illis diebus demiſſiſſime Antonii Grimani exulis liberi Bernardum Bembum patrem meum, Marinum Juſtinianum, Aloiſium Gradonicum triumviros ex advocatis reipu-

Antonius Grimanus ab exſilio revocatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 reipublicæ: vellent ob reliqua totius patris ſui vitæ in rempublicam officia & ſtudia eum civitati aliquando tandem reſtituere: ut, qui eſſet jam conclamata ſenectute, in patria ſaltem ſepeliri ſua poſſet. quam quidem rem adjuvabant Dominici Cardinalis adhibitæ Julio pro republica aſſiduæ diligentiſſimæque preces: tametſi adhuc quidem propter naturæ illius illiberalitatem atque inclementiam parum profuiſſent. tum perturbatis atque adeo tantopere inclinatis civitatis rebus ad lenitatem dari ſe ſe, profecto æquiſſimum magiſtratibus videbatur. itaque triumviris legem majoribus comitiis ferentibus, ante diem XV. calendarum quintilium Antonius ab exilio frequentibus ſententiis revocatus, reiquepublicæ reſtitutus, paucos poſt dies Roma, ubi aliquot annos fuerat, domum rediit, cum illum Patres etiam nunc abſentem in ſexvirum, qui rempublicam in Senatu procurant, collegium pluribus quam cæteros ſuffragiis adoptaviſſent.

De legatis a Senatu lectis, qui ad ſe venirent, & nuncium Julius læto animo accepiſſe præ ſe tulit, & literas de ea re ad Aloiſium & Maximilianum ſtatim dedit: quibus literis eos certiores faciebat, velle ſe rempublicam in eam, quæ ante bellum ſecum intercedebat, neceſſitudinem benivolentiamque recipere. Id autem ea de cauſa ſcire eos voluit, ne quid amplius contra illam cogitarent: ſibi ipſe ſuiſque rebus, ſi ii rempublicam oppreſſiſſent, poſſe idem accidere non temere exiſtimans. quod ſi id minus erat extimeſcendum, omnino ſe coactum iri imperata eorum facere, ſubactis deletiſque Venetis, pro explorato ducebat. Senatui autem per Dominicum & Marcum Cardinales ſignificavit, ubi legati Romam veniſſent, ſe interdictum remoturum. quam ob rem a Senatu juſſi ſunt naves triremes quamprimum conſcendere, Anconamque proficiſci, ut Flaminiam evitarent, quam reſpublica turpiter amiſerat. At apud Meſtre Cornelius legatus certior factus in Tauriſanis civibus eſſe nonnullos, qui tum quoque novis rebus ſtuderent; eo cum quingentis equitibus Epirotis profectus duodecim eorum in vincula conjectos ad

ad decemvirum collegium miſit, munireque oppidum in- 1509
ſtituit: pauloque poſt ex tribus legatis, qui erant in exercitu, Gritto, Cornelio, Mauro, Cornelius a Senatu revocatus domum rediit.

Concupiverat Aloiſius rex Maximilianum regem alloqui, ut illum in rempublicam accenderet: valde enim deliberatum ei erat, quidquid eſſet reliqui ex reipublicæ ditione in continente, urbemque ipſam, ſi res procederet, capere: id autem ſine Maximiliani voluntate, quibus poſſet modis, quibus artibus conſequi, non videbat. itaque ut hoc illi perſuadere coram poſſet, ſuum interpretem Cardinalem Rotomagenſem Tridentum ad illum miſit, qui ab eo peteret, ut de magnis utriuſque rebus colloqui ſecum vellet: tempus & locum ipſe diceret: ſe, qua die, quoque loco vellet congredi, ad illum venturum. Maximilianus, qui neque hominem amaret, & majorem ac potentiorem nollet fieri, ſatiſque haberet, quæ reſpublica ſuperiore anno ditionis ſuæ oppida ceperat, ſibi reſtitui, & ſe præter hæc Verona, Vicetia, Patavio eſſe potitum: cum, quam ob rem colloquium peteretur, haud dubie cognoſceret; fictis quibuſdam abeundi cauſis, colloquio evitato, interius in regnum ſe recepit, perque ſuum legatum queſtus apud Aloiſium eſt, pagos nonnullos & municipia in Veronæ finibus, quæ ad ſe ſpectarent, illum occupaviſſe. quibus intellectis rebus Aloiſius, Piſchiera, quam munire cœperat, diſcedens, in Brixianos fines rediit. Cremonæ interim arx, militum, qui in ea erant, ſcelere atque perfidia Gallis deditur, Aloiſio Mula, Zacharia Contareno urbis prætoribus, Sebaſtiano Marcello quæſtore, qui in eam ſe receperant, Marco Lauredano, Andrea Dandulo arcis præfectis in prædam hoſtibus traditis, Mediolanumque abductis. quæ ſane res magno dolori civitati fuit. nemo enim verebatur, quin omnem Gallorum impetum & obſidionem, ſi modo viri eſſent, quam diutiſſime ſuſtinere potuiſſent. e. capta, rex Cremonam ſe contulit. Illis diebus quod venerant Baſſianum milites e Germania quatuor mille (id autem eſt oppidum in Medoaci

Cremonenſis arcis deditio VIII. kal. jun.

VIII. kal. jul.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 doaci ripa ſub Alpium jugis, abeſtque Patavio paſſuum millia vigintiquatuor) Maurus legatus cum parte exercitus in Tauriſanos fines profectus, ea loca tutiora & quietiora reddidit. Aloiſius Cremonæ dies paucos moratus, cum ibi Triultium oppidi præſidio reliquiſſet, Galeatium Palavicinum Brixiam, Antonium Mariam ejus fratrem Bergomum, Palitiæ principem Cremam miſiſſet, Mediolanum rediit.

Julius Aloiſio profecto, exercituque ejus prope dimiſſo, nihil jam gravius ab illo metuens, neque Maximilianum per ſe ſe magnum quidquam atque arduum contra rempublicam auſurum exiſtimans, per Dominicum Grimanum ſuadere Senatui cœpit, ut Tauriſum, & Forum Julii, quæ duo quidem oppida ex fœdere, quod is cum Aloiſio percuſſerat, ad illum ſpectarent, pacate ac lubentes ei traderent potius, quam bello atque inviti paulo poſt amitterent tamen. Id an propterea ſit aggreſſus, quod cuperet nihil reipublicæ reliqui in continenti eſſe, ne vires ad illa recuperanda, quæ ipſe ex ejus ditione in Flaminia ceperat, redintegrare poſſet: an ut Italiæ cladibus ea re finis imponeretur, quo facilius bellum in Thraces, perdiu illud quidem cogitatum, atque adeo ſermonibus agitatum, unanimi omnium regum conſenſu opibuſque ſumi poſſet, quod unum præ ſe ferebat: quia nobis nihil liquet, in ambiguo relinquimus. Sed omnino Patribus moleſtiſſima ea Julii ſuaſio fuit, qui ſæpius jam, qua via eorum oppidorum, quæ Maximiliano ſe dediderant, recuperari aliquod poſſet, quam ut ex iis quæ haberent in continente reliqua, quidquam ei traderent, cogitabant. itaque legatis, qui Anconam claſſe appulſa iter Romam pedibus faciebant, ſcripſerunt, darent operam, cum ad urbem eſſent, mandataque reipublicæ confeciſſent, ut ab ea cogitatione Julium abducerent. Joannes interim Baduarius, Georgius Piſanus, qui legati Romæ fuerant, domum redierunt.

Patres cum ab Gritto intellexiſſent, propter Maximiliani milites, qui Baſſianum venerant, alioſque permultos, qui pluribus in Alpium municipiis civitatibuſque cogebantur,

tur, atque ipſum in primis Maximilianum, quem cum 1509
exercitu Feltriæ appropinquare nuncii venerant; tutius futurum, ſi copiæ reipublicæ Tauriſum ducerentur: ita uti fieret, cenſuerunt: præmiſſique Tauriſum ſunt virtute & fide præditi ac probati Patribus viri e plebe tres cum ſuis quiſque militibus, qui tribus oppidi portis præeſſent, eaſque ad omnes caſus cuſtodirent. Ad Caſtellum novum autem, quod eſt in Alpibus ſupra Tauriſanos fines in regione Querio appellata, natura & artificio communitum, milites Germani cum veniſſent, & tormentis murum quatere cœpiſſent, atque Andreas Rimundius præfectus, qui eum locum ſibi tuendum a Senatu ſumpſerat, turpiter ſe fugæ mandaviſſet, caſtello ſunt potiti. Maximilianus Feltriam venit. Ea re ad Maurum legatum per cives Patavinos amicos reipublicæ confeſtim delata, qui illi magnum eſſe Germanorum militum cum rege numerum ſignificaverant, Maurus nocte intempeſta omni cum ea manu, quam habebat, ad imperatorem, qui Meſtre nondum abierat, ſe recepit: Caſtellumque Francum, quo in municipio erat Maurus, regi ſe eveſtigio tradidit. His interjectis diebus dato ab omnibus jurejurando ſe in fide atque officio cum republica futuros, exercitus Meſtre eductus, Tauriſumque perductus eſt, quo tubicem Maximiliani venerat, petens ut regi ſe oppidani traderent, niſi diripi atque interfici mallent. Et conſulto Senatu ab legatis eſt reſponſum datum; velle ſe oppidum tueri reipublicæ, atque in eo cives omnes conſenſiſſe; neque direptionis aut mortis metu abſterreri poſſe, ne fidem præſtent, quam ſemel pepigerunt: virtuti nullam vim fieri: nullum incuti timorem iis, qui honeſte occumbere, quam turpiter vivere ſatius atque prius putant. Iiſdem legatis deinde certioribus factis, hoſtium copias ad Citadellam convenire, ut in illas impetum faceret, Gritus Tauriſo cum Leonardo Apulo eumque Epirotis equitibus ad vicina ei municipio loca ſe ſe contulit.

Caſtello novo in Querio Germani potiuntur.

Tauriſanorum fides in Remp.

Andreas interim Fuſculus, qui Byzantii reipublicæ negotia procurabat, Patres facit per literas certiores, clade reipublicæ cognita regem Thracium ſibi oſtendiſſe, *Magnam*

Turcarum rex opem Reip. pollicetur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2019)

1509 *gnam se ex ea re molestiam accepisse : questum etiam apud illum fuisse, quod non secum de hostium consiliis apparatibusque communicarit, atque auxilium in tempore petierit : quod quoniam factum non sit, suas nunc opes terra marique amico se animo atque benivolo reipublicæ polliceri : petere, ut id quamprimum Lauredano Principi significet.* Vix eæ literæ in Senatu recitatæ sunt, cum ab legatis Roma item literæ perferuntur, in quibus erat scriptum : ubi ipsi ad urbem appropinquavissent, misisse Julium qui diceret, velle se eos Romam noctu ingredi sine ulla obviam itione civitatis, neque ei sacra ministrari, quoad se convenerint : ipsum autem Julium statim se Hostiam contulisse, ut illi interim in contemptu & squallore diutius manerent. Cum autem is ad urbem aliquot post dies rediisset, uno ex legatis Hjeronymo Donato ad se vocato ostendisse, placere sibi, uti fœderis, quod Cameraci percussum sit, capita omnia impleantur : si Taurisum Forumque Julii respublica Maximiliano tradiderit : si juri, quod in Ferrariæ urbis dominatu, quodque in sinu Adriatico habeat, portorii ab omnibus, qui eo mari navigent, Venetiis solvendi renunciarit : si sacerdotia non modo provincialia, sed etiam urbana Pontificibus maximis remiserit, ipsa nullam eorum partem tributis exigendis interceperit : si se in ipsum deliquisse fassa fuerit, ejusque rei veniam subjectissime petierit, tum se interdictum remoturum : eorum si quid facere Senatus recusarit, suas se copias Maximiliano traditurum, regemque Galliæ idem facturum, ut is rempublicam opprimat. Adjuvisse autem eam rem totam ejusdem regis Galliæ magnopere legatos, qui ab Julio diligentissime petierant, ne ad se legatos Venetos admitteret; ne ve interdictum aboleret, aut rempublicam sublevari pateretur : ita enim illum reliquis Italis principibus, & regum cæterorum omnium animis & cupiditatibus arbitratu suo moderaturum, si reipublicæ non frænum modo, sed etiam vincula injecisset. His recitatis literis nullus ordo in Senatu fuit, qui non Julium omnibus probris & maledictis fuerit prosecutus : nemo, qui non se ipse magnopere damnaverit, quod legem de legatis ad

ad illum mittendis suo suffragio comprobarit : ea lege sex 1509
civitatis principes reliquis civibus, qui captivi contra fas, contra pactiones, contra fidem datam Romæ sint, adjectos in reipublicæ ludibrium, Julii iracundiæ traditos. itaque omnes magistratus ira indignationeque ardere, reliquos fremere, atque in illos invehi : neminem profecto scire jam, quid agi, quid tentari oporteat. Unus Laurentius Lauredanus, Leonardi Principis filius, clara voce, *Cur non*, inquit, *ad regem Thracium, qui nobis se se obtulit, legatos statim mittimus auxilium contra istum non Pontificem maximum sed carnificem omni crudelitate præditum imploratum?* Hac a plerisque sententia probata, nonnullis mitius & temperatius agendum statuentibus, neque fine consiliorum reperto, jussis Patribus ea in re diligenter cogitare quid præstaret, Senatus dimittitur.

At in Carnis oppido Sacilio ab hostibus, qui primo id impetu ceperant, civitate eos expellente recuperato, Joannes Vitturius civis egregia virtute a Patribus statim præsidio cum militibus & equitibus est illo missus. Ab Gritto etiam legato Franciscus Beraldius Patavinus equitum reipublicæ CL. præfectus, qui ad hostes perfugerat, aliique item præfecti equitum tres, quorum erat unus Busichii Epirotæ fratris filius, capti ad urbem in custodia perducuntur. Nam cum Epirotæ prope trecenti ab legato præmissi, hostibus qui Citadella exierant, appropinquavissent, fuga simulata in apertos ante villam Cornelianam campos & planitiem eos pertraxerunt. tum repente conversis equis, impetuque in illos facto quinquaginta ex iis interfecerunt, sexaginta captivos fecerunt. duces reliqui Mercurius Bua, Ranerius Saxeta, Pandulfus Malatesta fugere perseverantes se in tutum receperunt. His rebus agitatis, propterea quod ab amicis reipublicæ Patres cognoverant, Maximilianum cupere, ut Senatus civem aliquem ad se mitteret, qui cum agere de communibus utriusque rebus posset : Aloisium Mocenicum, unum ex quinqueviris Senatu regendo legerunt, qui ad illum proficisceretur. Literæ quoque ad eos, qui creandi Romanorum Imperatorem jus habent, tum ad liberas

Ger-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 Germaniæ civitates datæ ſunt: quibus literis Senatus petebat, ne Maximilianum ſævire contra rempublicam quæ in illum tam liberalis fuiſſet, ulterius permitterent.

Veneti tentant Patavium recipere.

Neque tamen propter hæc intermittebant Patres in eam cogitationem incumbere, ut Patavium, quod plane oppidum ante oculos eſſet civitatis, improviſo magis & repentino incurſu, quam aperto bello recuperarent. Accendebat eorum animos illorum magnopere avaritia qui Patavium regebant, quod nulli Venetorum civium, qui in eo agro fundos poſſeſſioneſque habebant, qui quidem erant plurimi, fructus ſuos evehendi facultas ab iis permittebatur, ſed ipſi eos inter ſe pro libidine diſtrahebant. Multæ in oppido inſulæ, domuſque, quas jure & more majorum privatim Veneti ab oppidanis emerant, aut ipſi ædificaverant, ab illis direptæ poſſidebantur: multa prædia villæque alieniſſimis hominibus vulgo donabantur. Itaque Patres antequam ad alia deſcenderent, Franciſcum Capellum, quem quidem virum Leonardus Triſſinus, de quo ſupra commemoravimus, quod in legatione Gallica aliquot ante annos in ejus comitatu adoleſcens fuerat, locumque apud illum pene filii obtinuerat, magno cultu proſequebatur, Patavium miſerunt ad ſpeciem, ut legatus ad Maximilianum proficiſceretur: re, ut Leonardum conveniret, eique polliceretur, ſi Patavium reipublicæ reſtituat, exilii ſe legem reſciſſuros: tum ei, liberis, poſteriſque ejus civitatem, & jus comitiorum, & Citadellam municipium, quod Pandulfus Malateſta proditione amiſerat, cumque iis præfecturam ipſi equitum ducentorum rempublicam dono daturam. Capellus Patavium ſubvectus, dum oppidum ingreditur, cognitus ab iis qui portam cuſtodiebant, ab oppidaniſque retentus alloqui Triſſinum ſecreto non potuit: cumque ſe apud eos legationis jure defenderet, ſuffragiis egerunt, num illum interficere, quod Patavium furtim veniſſet, an domum remittere deberent, quod legati munere fungeretur. Octo erant ex nobilitate cives, octo ex plebe, qui ſuffragium ferebant. Septem ex iis Capellum condemnaverunt, novem abſolverunt. ita in magno vitæ periculo a fortuna verſatus, tantuloque diſcrimine ſententiarum ab eadem ſervatus, multis ab civibus pro ejus dignitate ac nomine ad oppidi portam, qua venerat, flumenque perductus conſcendit, ad urbemque rediit.

1509

Patres eo conſilio depulſi, ad aliam ſe cogitationem converterunt. nam quod erant eo in oppido cives duo centurionis reipublicæ fratres, quibus ambobus cum portæ oppidi præfecto ſumma neceſſitudo intercedebat: petiit ab iis per occultos internuncios centurio, darent operam, ut ea porta legato reipublicæ aperiretur. Re complures dies agitata cum demum inter ipſos conveniſſet, Aloiſius Molinus quinquevir Senatu regendo Patribus propoſuit, *Tantas hoſtium injurias ulterius non eſſe perferendas: ſperare ſe ſe atque confidere, ſi Patavium exercitus de improviſo mittatur, civibus iis portam tradentibus, qui ſe reipublicæ obtulerunt, oppidum capi facile poſſe: neque enim ſatis eſſe communitum: itaque ad Grittum legatum ſcribi oportere, ut eam rem quamprimum ſuſcipiat.* Ad ea Lauredanus Princeps, *Videri ſibi periculoſum*, reſpondit, *Aloiſio rege Galliæ reipublicæ nervis ac ſanguini magnopere imminente, Julio Pontifice Maximo ad civitatis perniciem atque interitum omnia moliente, Maximiliano mediis in imperii finibus viſceribuſque graſſante, Ferdinando Hiſpaniæ rege, quaſi quarto ſcriptis tabulis hærede, in poſſeſſiones reipublicæ ſe inferente, Patavium velle recipere: quam quidem paulo ante urbem una cum aliis pluribuſque oppidis & municipiis, ut hujus belli tempeſtatem ſuo capite averteret, Senatus Maximiliano, tanquam de manu, tradidit: valde enim ſe timere, id ſi fit, ne hoſtes reipublicæ qui ea Senatus liberalitate victi nihil ultra prope cogitant, magnam redintegrandi belli cauſam ſe habere ſtatuentes, iterum in rempublicam univerſi convertantur, neque Patavium modo brevi recipiant, ſed reliquum imperii partem quæ in continente eſt, etiam ſuam faciant: nam vires ad eos repellendos reipublicæ ſuppeditaturas, neminem tam ſtultum eſſe, qui ſperare audeat: neque eſſe credendum, qui pares illis integri non fuerint, fractos ac debilitatos ſuperiores fore: civium privatim jacturam, qui fructus ſuorum prædiorum in*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 *in agro Patavino amittant, tantam non esse, ut rempublicam periclitari malint, si amantes patriæ sint: quod si alia mens eorum est, non esse in civium habendos loco, qui rem publicam sua potiorem charioremque non habeant: majores ipsorum opes suas maritimis auxisse rebus, atque imperium longe lateque ea tantum ratione promovisse: si ad illum unum maris exercendi morem atque consuetudinem redeundum sit, bene cum ipsis fortunam agere, omnes recte sentientes existimaturos, quod quæ artes imperio constituendo profuerunt, eisdem etiam usquequaque vel crescat propageturque artibus imperium, vel optime tutissimeque retineatur. Cum ea ita se habeant, tamen Taurisum Forumque Julii adhuc quidem in reipublicæ ditione contineri: ea ne amittantur, magis providendum ipsis esse, quam ut aliquid acquiratur: id autem facile fieri moderatione, si iis contenti sint: neminem enim jam reipublicæ magnopere invidere illam partem. quod si Patavium receperint, verendum in primis esse (dicat ne, an sileat? sed non silebit, quæ prævisa omnibus multumque cogitata debent esse) ne cum fines in continente reliquos amiserint, urbs quoque ipsa parens altrixque civitatis, de qua paulo ante ipsi non obscure timuerint, in hostium suorum potestatem, quod Dii omen obruant, redigatur: sæpe enim accidisse, ut qui nimia pertinacia in iis, quibus carerent, appetendis rebus essent, etiam earum quas habebant, quibusque pacate frui poterant, amissione plecterentur, suæque eos intemperantiæ vehementer pœniteret.* Hac oratione ab Lauredano habita, plerique magistratus in ejus facile sententiam abierunt: pauci cum Molino, rei bene gerendæ occasionem non esse amittendam, perseveraverunt: nonnulli tam dubia in re, quid probarent & eligerent, prope ipsimet se nescire fatebantur.

Itaque magna inter eos altercatione orta, cum finis rei nullus reperiretur, Molinus ad Senatum conversus ejusmodi orationem habuit: *Non tam se quidem ea re angi ac dolore confici, quod hoc tempore fortuna, quæ plerunque res humanas administrat, plures potentioresque quam unquam antea hostes in rempublicam armaverit: fato enim id, necessitateque acci-*

accidisse, itaque moderate esse ferendum: quam propterea 1509
quod ipsa sibi respublica desit, quodque ex iis, qui eam regunt, nonnulli sint, qui dum immodico terrore opprimuntur, plus detrimenti civitati important, quam ii, qui ei bellum intulerunt. quid autem se potissimum commemorare, ac conqueri? quatuor ne Flaminiæ oppida communita Julii ducibus aperire portas jussa interdicto non rescisso? cives ne perplures eorum atque arcium præfectos proditos, atque abductos in servitutem? sex ne legatos principes civitatis ultro Romam missos in dedecus Reipublicæ? an vero Apuliæ optimam fertilissimamque partem Ferdinando, antequam de ea verbum faceret, condonatam? an Vicetiam atque Patavium, præclaras nobilissimasque urbes, Maximiliano non petenti, nihil armorum paranti traditas, & inculcatas? nam quod Taurisum retentum sit, id virtute factum, atque constantia ejus oppidi civium, qui soli ferme, & destituti, ob eorum tamen in Rempublicam studium manere in fide atque officio voluerunt. Ego vero, inquit, *o Patres, qui tantopere formidatis, ad vos nunc tantum orationem me convertere operæpretium est. Maris quidem artes atque studia deserenda nobis esse non existimo, sed omni studio diligentiaque percolenda, dum ne id imperium, quod in continente majores nostri suis laboribus, suo nobis sanguine pepererunt, nostrorum animorum debilitate amittamus: quod quidem certe malum semel nostro vitio si contractum est, an nunc etiam a nobis, cum ex parte corrigi potest, negligatur? ac obloquendi occasio hac ratione omnibus hominibus facile præstetur, non tam fortunæ vi atque impetu nos, quam nostra ipsorum imbecillitate victos esse? At etiam additis civium privatim damna tanti non esse, ut ea de causa Respublica in periculum adducatur. quod si una cum privatis rebus salva esse potest publica, nonne ad id multo justius accendamur, quam si rei quidem publicæ saluti esse videamur, privata neqeamus? præsertim cum privata nostrorum civium res maxime ad rempublicam pertineant, quæ suorum civium pecunia maxima ex parte bella gerere & sustinere consuevit. Atque hoc eo libentius dico, quod nulla mihi prædia in Patavino agro sunt, ne quisquam meis me commodis ductum existimet ad legem*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 *gem ferendam, ut Patavium recipiatur. Res me publica impellit, quæ mihi est mea vita charior: ad quam unam cum meorum civium commoda atque utilitates adjungantur, quid est quod aut me, aut quenquam civem bonum atque industrium deterrere a suo suffragio probanda lege debeat? Supereſt pars illa plena formidinis, ut negotio capeſſendo deſiſtamus: ne ſi ea re hoſtes noſtros irritaverimus, illi inter ſe ad reliqua noſtræ ditionis adorienda iterum parati atque animati conveniant: quaſi aut facillimum eis ſit, tantos exercitus comparare atque cogere: aut ex regia dignitate videatur eſſe, Aloiſium, qui ſuum in regnum ſe recipit; ſtatim in Italiam recurrere, ut Maximiliano præſto ſit: aut ignoremus Ferdinandum noſtris potitum oppidis, ne unum quidem numum ulterius in bellum inſumpturum: aut Maximilianus abundare theſauris conſueverit ad copias contrahendas, qui duorum menſium ſpatio pauculas cohortes prope nudas ad Veronam, Vicetiam, Patavium tuendum vix ægreque miſerit: aut Julius, quo demiſſius atque abjectius cum illo agimus, eo non majores ſumat in nos ſpiritus, duriorem ſeque atque implacabiliorem multo præbeat. Quod ſi intelliget Patavium receptum, nobiſque priſtinam ineſſe virtutem ac vim ſentiet, non deſpiciet tam arroganter eos, quos obeſſe ſibi poſſe aliquando verebitur. At etiam veremini, hæc ne urbs parens noſtra in hoſtium noſtrorum poteſtatem redigatur? quid, vos quæſo, intereſt, urbs ne ipſa in poteſtate ſit hoſtium, an ejus incolæ ac cives, quique illam regimus, omnia quæ hoſtes noſtri velint, atque optent, ſtatuamus? Optabile illis eſt Patavium non recipi, ut eo ipſi oppido una cum reliquis pacate frui poſſint: optabile etiam eſt ut Tauriſum, Juliique forum, tractumque hunc Venetiæ, qui nobis reliquus eſt, ipſis, ut alia multa tam præclara dedimus, etiam tradamus: vos eis morem gerere vultis. Hoc ne hanc urbem ſervire non eſt? hoc non eſt eam ſuorum hoſtium eſſe factam? non eſt libertatem reipublicæ, quæ una cum hujus urbis parietibus ſemper crevit, quam majores noſtri nobis integram atque intactam reliquerunt, prorſus atque omnino perdidiſſe? Si majores iidem noſtri ab ea cœli regione, in qua beatiſſimi ſempiternam vitam agunt, hic exiſtant, atque ad vos converſi ejuſmodi*

modi ſermonem hebeant: Nos urbem vobis dedimus cum li- 1509
beram, tum eo ſitu & natura loci, ut niſi ipſi vobis deſitis, nemo cogere vos poſſit: cur quæ hoſtes veſtri optant, facere didiciſtis, homines maxime omnium, qui hodie ſub cœlo degunt, liberi? cur imperium pulcherrimum, quod vobis conſtituimus, tam formidoloſe regitis? cur Patavium male ab hoſtibus cuſtoditum, quod pene veſtris ſub oculis eſt, voſque appellat atque obteſtatur, non recipitis? Quid illis obſecro reſpondeatis? primum ſcilicet, uni vos ſerviſſe tempori, quodque tempus poſtularit, id feciſſe. Jam iſtud vobis omnes concedimus: tempori enim hoſtium perpulchre inſervitum eſt: de hac urbe autem timere vos, ne amittatur, dicere non audebitis: neque opinor tam timide in Senatu locuti eſſetis, nedum etiam apud illos ipſos majores veſtros optimos fortiſſimoſque viros, qui ſciunt urbem hanc capi non poſſe, ejuſmodi proferre quidquam audeatis: repoſcent enim ſtatim vos, repetentque a vobis parta gravibus verbis: quodque tam puſillo animo fueritis, conquerentur, qui, ne hoc imperii domicilium veſtris ab hoſtibus tueri poſſetis, pertimueritis. Sed de eo plura me dicere minime neceſſe eſſe arbitror: urbs enim pro ſe ipſa ſatis loquitur, quæ obſeſſa vadis undique, neque a juſtis claſſibus, neque a terreſtribus exercitibus adiri ſe permittit. Itaque ad vos omnes revertar Patres: tota enim hæc veſtra cauſa eſt. nam propterea quod imperio retinendo timidiores nos, quam par erat, præſtitimus, æquum eſt nunc in recuperando acres atque fortes eſſe, ut eam infamiam quam formidine contraximus, animi robore atque præſtantia deleamus. Aloiſium regem copiis dimiſſis Galliam ulteriorem petere, certiores facti ſumus. Maximiliano quam prompta ſint quæ in bellum requiruntur, ſane cognoſcimus. Julius in alios quam ſit largus, quam munificus, ſatis ſuperque exploratum nobis eſt: quam hinc longe abſit Ferdinandus etiam videmus. qui tamen ipſi ſi velint, ſi feſtinent bellum nobis facere, ut Patavium recuperent, æſtas aderit: at hyemis beneficio res in annum alterum differetur. quid vultis amplius? quam occaſionem aptiorem, opportuniorem a diis immortalibus poſtula-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 *ſtulatis? quod tempus ad hanc rem paratius atque accommodatius eſſe poteſt? Quanquam quæ ſimultates, odiique ſemina in illorum regum animis jamdudum inſita radices altas habent, quæ fortunæ, ac rerum humanarum vices ſunt, ſperandum nobis eſt, neque illos amplius conventuros, & nos brevi magnam reliquorum oppidorum partem facile recuperaturos. Ita enim cum his civitatibus ac populis, quos a nobis habuerunt, hoſtes ſe noſtri gerunt, nihil ut malint jam, quam illorum jugum ſuis a cervicibus excutere, noſtramque in ſe benivolentiam indulgentiamque requirant. Eſt autem prudentiæ veſtræ, Patres, hæc, ſi deorum beneficia ſunt, qui nobis ea quæ fœderatorum noſtrorum ſcelere perfidiaque amiſimus, reddere ſtatuerint, ſive temporis, quod illorum dominatum in ſatietatem atque invidiam ſubjectorum populorum verterit, plane non deſpicere. Semel, aut iterum homines, ad regendum imperium natos, maximis in rebus timide lapſos eſſe, humanum fortaſſe ſit, veniaque non indignum: uſquequaque autem ſine cauſa eoſdem illos omnia vereri, neque dignum venia eſt, nec excuſatione: ad interitum enim tendit qui id agit. Satis obdormivimus Reipublicæ: ſatis longos dies in pavore, inertiaque jacuimus: expergiſcamur jam, timoremque hunc noſtrum, nocturnum atque umbratilem, aliquando tandem exuamus. copias, quantis opus eſt, habemus proximas atque paratiſſimas. agreſtes homines univerſi nobis favent, nos expectant, morari conqueruntur. oppidani etiam accerſunt nos, rogantque ne ſui obliviſcamur, ne ve ſe barbaros perpeti dominos addiſcere ſervitutis longinquitate cogamus. Patavium vero ipſum ejuſmodi eſt, ut ſi receptum ſemel ſit, amitti amplius prope non poſſit, cum & cuſtodire ipſi illud municipium, tanquam domum ſuam quilibet, ob propinquitatem facillime queamus; & ob reipublicæ utilitates, quas ex eo percipere conſuevit, & facti laudem atque gloriam maxime debeamus; & propter privata civium commoda, fructuumque copiam, & villarum amœnitates, magis ut velimus, adducamur honeſtiſ-*

neſtiſſime. Unum Patres moneo, ut ne tempus ullum rei 1059
gerendæ interponatur: ne, ſi parumper diſtulerimus, hoſtes ſe interim muniant, atque ab iis conatus noſtri omnes retundantur. nihil eſt in bello celeritate conducibilius, nihil omnino victoriarum efficientius. ea & qui utuntur alacriores facit, quod in hoſtes imparatos impetum ſe facturos vident: & hoſtes ipſos imbelles reddit, propterea quod ſæpe imprudentes nec opinantes offenduntur, ut arma capiendi, ſeque defendendi tempus facultatemque non habeant. Poſtremum eſt, ut Deos omnes orem, teque in primis Marce urbis hujus parens & conſervator, cujus templum inauratum atque auguſtum ante curiam majores noſtri antiquitus ædificaverunt, omnique pietate ſemper coluerunt, quodque nunc perſancte ipſi adimus atque incolimus quotidie: ut ſi ipſi hanc mihi mentem dederunt, ut legem ad vos ferrem, Patavium recipi e republica eſſe: neque enim aliunde recta hominibus conſilia, quam a Diis immortalibus veniunt, & vos eam Patres conſcripti veſtris ſuffragiis hoc veſperi ſanciatis, & ipſi mihi, & vobis, ac civitati, & reipublicæ totum negotium fauſtum, felix, fortunatum velint eſſe.

Hac oratione habita, cum nonnulli magiſtratus ad Molini ſe ſententiam adjunxiſſent, lex eſt perlata, ut ad Patavium recipiendum Grittus legatus eveſtigio contenderet datumque omnibus jusjurandum, ne quid ejus quis enunciaret. De ea re perlatis ſtatim ad Grittum Senatus literis, ille cum equitibus mille, militibus item mille Taurino profectus, medio itinere ad Novale municipium ſe continuit: eodemque die decemviri cymbas ſuas cum armatis hominibus ad omnia itinera diligenter cuſtodienda miſerunt, ne quis Patavium ejus rei nuncius ab urbe mitti poſſet. Poſtero die autem, qui fuit dies decimusſextus calendarum ſextilis, noctu reliquo itinere confecto, legatus ante lucem prope oppidum ſubſtitit. Interim carri aliquot frumento impoſito, quos legatus ad id præparaverat, cum bubulcis ante portam ſe contulerunt, atque, ut ſibi aperieretur, pauliſper expectaverunt. apertis portis, qua ad priorem Medoaci fluminis alveum ſunt, quo tum alveo naves per-

Patavium recipitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 meabant, ac demisso ponte, & carris in transmissu commorantibus, legati pedites levissimi adveniunt, portamque capiunt, pauloque post legatus cum reliquo agmine in oppidum irrumpit : profectusque ad interiorem oppidi portam, qua murus item alter postremo longe altior atque solidior una cum altero Medoaci alveo tanquam circino circunductus urbem reliquam tuebatur : ea refracta ad forum omnes magno cum clamore ac tubarum sono recta contendunt. quibus obviam progressa gens Parmensis (id erat fratrum illorum ac centurionis familiæ nomen, quæ se ad hoc ea nocte comparaverat) armata cum legato læta atque hilaris se conjunxit. Eo tumultu excitus Brunorus Saregius Veronensis, clara gente natus, qui stipendia Maximiliani faciebat, eoque biduo Patavium venerat, cum turma equitum ducentorum Venetos, qui forum jam omnesque vias atque aditus obsederant, repellere aggressus, amissis perplurimis ex suis, ab iis capitur. Germani quoque milites ad prætorium qui erant, cum præfectis regiis eodem accurrerunt, sed commisso prælio repulsi, se in arcem oppidi fugientes intulerunt. Oppidani magna pars se legato, qui eorum prætor summa cum laude paulo antea fuerat, gratulantes dediderunt. ita parvo temporis spatio Patavium recipitur eo ipso die, quo primo captum fuerat, anni ab urbe condita nongentesimi octogesimi secundi, cum binos & quadragenos dies in Maximiliani partibus fuisset. Miserant ea nocte decemviri magnam armatorum hominum manum cum ex plebe urbana, & navalibus; quorum omnes prope operas eduxerunt una cum eorum præfecto Nicolao Pascalico, qui eas regeret, tum ex suburbanis municipiis, Torcellio, Majorbio, Buriano, Muriano evocatam suis cum naviculis, ut Medoaco flumine superato, Patavium legato auxilium ferentes mane accederent. ii celeritate adhibita, turri etiam, quæ in Strata pago flumini adjacet, expugnata : is abest pagus a Patavio millia passuum quinque : a qua remulco subvehi, Germanis militibus, qui in ea erant, lapides & tela conjicientibus, non permittebantur, progressi, in oppidumque recepti, una cum legati militibus Judæorum fœne-

fœneratorum domos valde quidem plenas, quarum erat magnus numerus, universas spoliaverunt. a quibus digressi, nonnullas etiam eorum civium, qui reipublicæ adversissimi fuerant, vitæ inquilinorum parcentes, diripuerunt. Verum edicto legati proposito, ut prædandi finis fieret, & luminibus singulis in domibus e fenestris tota nocte ardere jussis, ne tenebræ licentiam peccandi adderent, stationibusque in foro atque ad portas dispositis, ipso etiam legato cum militibus oppidum perambulante; non tamen quorundam Venetorum civium, qui spe prædæ privati Patavium venerant, audacia comprimi potuit, quin cum armatis direptiones exercerent, atque in legati milites, a quibus prohibebantur, impetum facerent. Ea de re ab legato ad decemviros datis literis, quod statuere ipse in cives Venetos non auderet, Hieronymum Quirinum magistrum suum, Marinum Maurocenum triumvirum ex advocatis reipublicæ decemviri Patavium celeriter miserunt. hi retentis nonnullis atque in vincula conjectis, tumultum sedaverunt. Proximo vero die tormentis ad arcem oppidi positis, & magna circunfusa armatorum multitudine, demum parte propugnaculi dejecta, dum de deditione hostes agunt, milites superatis per ruinas muris arcem capiunt : in qua captivi facti Leonardus Trissinus præfectus vulnere in capite accepto, & Manfredus Facinus, vir egregia virtute, qui complura stipendia, multisque in exercitibus reipublicæ magna cum laude meruerat, & Germani viri fortes & claro loco nati sex, civesque Patavini tres : iique omnes Patrum jussu sunt ad urbem missi, Facino excepto, quem Grittus legatus cum magnopere diligeret, liberaliter appellatum castigatumque, quod cum tot annos reipublicæ militiam fecisset, tam duro ejus tempore in hostium numero esse voluisset, nullo accepto incommodo statim dimiserat. 1509

Arx Patavina recipitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN LIBRUM NONUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

Maximilianus Tridentum redit. Multa oppida a Venetis recipiuntur. Venetorum ad Patavii propugnationem, & hostium ad oppugnationem apparatus. Franciscus Mantuanorum dux a Venetis capitur. Senatus in suos pietas & liberalitas. Patavium a Maximiliano oppugnatur. Hieronymi Saorniani res pro republica gestæ. Maximiliani a Patavii oppugnatione discessus. Ut omnia circa Patavium exscinderentur lege constitutum. Res in Liburnis, Illyrico, Istris, Carnis, & Forojulienſibus gestæ. Vicetia a Venetis capitur. Bellum a Senatu in Alfonsum Atestinum decernitur & geritur. Reipublicæ exercitus Veronam frustra mittitur. Multa oppida a Venetis recipiuntur. Classis in Alfonsum missæ progressus. Classis Veneta ab Alfonso fracta. De parente filia pro concubina utente supplicium sumitur. Julii placandi ratio a Senatu inventa.

PE-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM
HISTORIAE
LIBER IX.

RAtavio recepto, Monsilice, Ateste, pleraque alia agri Patavini municipia parvo negotio ad rempublicam redierunt. Maximilianus, qui Marosticæ tunc erat (id est municipium in primis Alpium jugis, abestque Patavio millia passuum vigintiquatuor) veritus ne interciperetur, evestigio Tridentum abiit. Senatus sex ex plebe homines fide præditos a Patribus legendos censuit, qui sex Patavii portas custodirent cum triginta militibus quilibet. Ex quod magnum rusticorum hominum studium in Rempublicam extiterat, eos immunes annos quinque jussit esse, fisci reliquis etiam remissis. Dum hæc decernerentur, a Maximiliano literæ ad Senatum venerunt, pridie quam Patavium reciperetur datæ: quibus literis rex petebat, ut Aloisium Mocenicum ad se Marosticam Patres mitterent. 1509 *Veneti oppida multa recipiunt.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 Aloisius Patrum jussu postero die Taurisum profectus, quod rumor attulerat, Maximilianum suos se in fines recepisse, præmisso tabellario, qui, ubi rex esset, quoque se venire vellet, sciscitaretur: alteris regis literis certior factus est, nolle amplius Maximilianum cum eo colloqui. itaque Taurisi paucos moratus dies, a Senatu revocatus domum rediit. Gaspar etiam Severinas, de quo supra dictum est, ab incolis in oppidum Citadellam introductus, dum se ad Maximilianum Pandulfus Malatesta contulisset, missis ad urbem internunciis Senatui se obtulit: neque tamen est receptus, ob levitatem atque inconstantiam, qua nimia usus fuerat. Serravallium interea, Castellumque Francum recipiuntur, pulsis ab altero non sine cæde prope quingentis Maximiliani militibus, in altero omnibus ad unum interfectis. Erant autem ex Hispania milites centum quinquaginta: & sunt oppida Patavio in septentriones versus. A meridie fere autem Montanianum in Patavinis finibus, & Lemniacum, quod est ad Athesim flumen, in agro Veronensi, ejectis hostibus reipublicæ insignia sustulerunt. equitatusque ab Alfonso Ferraria emissus, ut ejus oppidis præsidio esset, a militibus reipublicæ & agricolarum manu disjectus interfectusque est, eorum duce capto, ad urbemque misso. Lemniacum petente civitate per legatos ab imperio Veronensium, in quo erat, liberum a Senatu factum est: permissumque iis, ut a magistratibus ab urbe ab se mittendis regerentur. Prætor quoque, qui jus Patavinis diceret, comitiis majoribus creatus est Petrus Balbus civis prudentia moderationeque insignis, qui haud multo antea illum ipsum magistratum obierat.

Julius Pontifex Maximus cognitis magna cum molestia reipublicæ prosperis rebus, Dominico Grimano, Hieronymo Donato ad se vocatis, animi ægritudinem dissimulans, ostendit cupere se, ut Taurisum Forumque Julii respublica ne amitteret: seque ejus rei auctorem apud Maximilianum fore pollicetur: atque ad sacra legatos reliquos, qui domi detinebantur, admitti imperat. Ac tum qui-

quidem ex Pannonia Guidotii Senatus scribæ, qui reipublicæ negotia procurabat, literis Patres certiores facti sunt, Aloisium regem Galliæ, Juliumque Pontificem Maximum omni studio apud Pannoniæ regem egisse, ut is reipublicæ bellum inferret: perfacile esse, propterea quod respublica omnes suas opes amisisset, essetque ad extremum redacta casum, ejus oppidis omnibus, quæ in Istris atque in Illyrico essent, illum potiri: regem tamen aures eorum hortationibus non adhibuisse, neque quidquam contra rempublicam aggredi aut statuere voluisse. Interim, quod Maximiliani copiæ augebantur, eratque Vicetiæ ejus præfectus Constantinus Cominatus, de quo superioribus libris sermonem habuimus, qui manus cogere dicebatur: Senatus jussit, ut Citolus & Lactantius suorum militum numerum & ipsi augerent, ut essent utriusque ad octingentos. Lucioque Malvetio Bononiensi equitum cataphractorum centum præfecto, auctus numerus ad CL. cum liberali stipendio: auctusque Meleagro Forolivienſi, Tadeoque Vulpio Forocornelienſi, qui se amanter fortiterque gesserant. Alexandro Bigolino autem uni ex Patavinis civibus, qui in Citadella obsidenda hostibus vexandis cum agricolarum manu egregiam operam navaverat, uti equites levis armaturæ centum, milites ducentos conficeret cura data, & stipendium a Senatu missum. Lancilloto etiam Soncinio patri liberisque sex, Patavinis item civibus, qui in partibus reipublicæ constantissime semper fuerant, fundi aliquot eorum, qui a republica defecerant, dono permissi: tum Saccardo uni ex iis equitum cataphractorum centum, & eorum qui sagittis uterentur, viginti, præfectura tradita. Et quoniam cum Prospero Columna confici nihil potuit, Populæ dominum, qui in Brutiis tunc erat, cum equitibus cataphractis trecentenis Senatus conduxit libris auri vicenis & trecenteni annuis: qui tamen postea, Ferdinando rege id ei non permittente, domi se continuit. Centuriones etiam & præfecti equitum, qui ad urbem se conferebant, ut stipendia reipublicæ facerent, perplures a Senatu sunt recepti, jussique ut se quam-

1509 *Pannon renuit Cameracensi fœderi subscribere.*

Venetorum novi bellici apparatus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 quamprimum cohortibus turmisque confirmarent, Pataviumque proficiscerentur.

Belunum redit in Venetorum fidem VIIII. kal. aug.

Inter hæc Cividale Belunianum ad rempublicam rediit. Id cum Feltrini cognovissent, & ipsi sponte idem fecerunt. quod quidem etiam in Noricis aliquot populi civitatesque imitatæ, se ad rempublicam pari studio retulerunt. At Maurus legatus, qui, ut Citadellam intercideret, eo cum copiis properaverat, reque frustra dies aliquot tentata, quod oppidum a magna Hispanorum militum manu defendebatur, Taurisum redierat, præsidio ad oppidum tuendum relicto, cum imperatore & reliquo exercitu Senatus jussu se Patavium contulit. Magnæ enim manus hostium pluribus in locis ad eam urbem obsidendam comparabantur, Maximilianumque ipsum eo brevi venturum fama vulgaverat. Eas ob res pedites quatuor mille ex plebe urbana sunt conscripti, quos Patavium Patres mitterent. Ex Patavio cives permulti, quorum fides atque animus suspectus erat Patribus, ad urbem nominatim evocati, jussique inde, quoad de bello decernatur, non recedere. Idem post dies aliquot de Taurisanis civibus nonnullis imperatum. Hieronymusque Saornianus, qui jam antea Patrum missu ad Helvetios profectus eos ad rempublicam juvandum prope armaverat. sed clade exercitus nunciata impetrare ab illis nihil postea potuit, quique tum ad urbem redierat; in Carnos Patriamque suam a Senatu missus est, ut illis in finibus legatis reipublicæ præsto esset. ad quos etiam equitatum Patres miserant, quod hostes eo quoque ab latere impetum facturi dicebantur. Atque ii paucis post diebus ad Cividale Carnicum oppugnandum sunt profecti, tribusque præliis frustra oppidum aggressi, Joannem Paulum Gradonicum in Forojulienſibus legatum qui eo venerat, ut ab obsidendo municipio illos averteret, vulnere, illato repulerunt, Tiberto e Purliliarum principibus equitum levis armaturæ ducentorum præfecto, benemerito de republica homine, & Camillo Malfacto Patavino totidem militum centurione cum plerisque viris fortibus interfectis; evestigioque abierunt. nam dum ii ab oppido

Venetorum res gestæ in Forojulio.

pido digressi in Gradonicum impetum faciunt, oppidani 1509
egressi hostium tormenta clavis ferreis confixerant, ut eis uti eo tempore non possent. quibus abeuntibus Portunaonenses ad Gradonicum miserunt, seque reipublicæ reddiderunt. Ex Benaci autem ripa vallibusque homines quingenti sponte, ut reipublicæ opem ferrent, se Patavium intulerunt: quos Grittus legatus liberaliter appellatos, stipendioque dato Taurisum, cujus agrum hostes depopulabantur, earum regionum auxilio statim misit: quo etiam Maurus legatus cum equitibus mille ea de causa redierat.

Maximilianus Feltriam recipit prid. non. aug.

Maximiliani vero manus, pluribus ex finibus coactæ, fugatis in Alpibus reipublicæ copiis primo Castellum novum, deinde Feltriam recuperaverunt, prædaque ingenti facta atque abducta, oppidum incenderunt. Eo incendio turris portæ oppidi imminens concidit: qua in turri carmen solido in lapide legebatur antiquitate mira præditum. is lapis igne absumptus haud parvo civitatis desiderio interiit. Carmen erat ejusmodi:

Feltria perpetuo nivium damnata rigori,
Forte mihi posthac non adeunda, vale.

Cretensium in Remp. liberalitas.

Supra carmen Julii Cæsaris nomen erat inscriptum. Cretensibus ubi de Gallorum victoria deque defectione oppidorum est allatum, magno ex ea re mœrore affecti, domi se universi plures dies continuerunt: scriptisque ad illos a præfecto classis literis, uti vellent ad Cyprum insulam firmandam, ne quis eam vicinorum regum aggredi audeat, tam afflictis reipublicæ rebus præsto esse, ex se se libras auri centum sexaginta ad triremes, gripos, reliquasque naves armandas, atque in Cyprum celeriter mittendas curaverunt.

Franciscus Mantuæ Dux capitur a Venetis.

Inter has jactationes alternosque fluctus reipublicæ Franciscus Mantuanorum dux a Maximiliani ducibus stipendio Veronæ accepto, quod quidem illi a civitate nullo more perque vim exegerant, cum equitibus sexcentis octavo iduum sextilium se se Mantuam referebat. Ea de re Grittus legatus ab amicis reipublicæ antea certior factus, Lucium Bononiensem cum equitibus sexcentis, ex quibus erant

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 erant Epirotæ ducenti, & Citolum Perusinum cum militibus octingentis, transverso itinere Lemniacum præmisit: qui eo ejusdem diei sole abeunte cum venissent, missis qui vias custodierent, ne quis ad Franciscum nuncius afferretur; ante solis ortum se interius in fines Veronensium ad pagum, quo in pago erat dux, magnis itineribus contenderunt: impetuque facto illum seminudum, ut se repente expergefactus domo ejecerat, atque in milii segetem abdiderat, agricolarum indicio repertum ceperunt una cum suo comitatu omni, interfectis iis qui se defendere institerunt, & equorum peregregiorum magno numero, & majore stipendii parte ad libras auri octoginta, argentique in mensam affabre cælati gravi pondere: statimque cum præda captivisque reliquis Patavium adduxerunt. Præda inter omnes divisa: ipse Venetias perductus, atque in comitii turricula custoditus, haud minimæ civitati lætitiæ ex inopinato fuit. Neque multo post Hieronymo Pompejo Veronensi, qui cum equitibus levioribus stipendia reipublicæ faciebat, quod is a fratribus, qui Veronæ erant, de Mantuanorum ducis abitu cognoverat, legatoque indicaverat, equites gravis armaturæ a Senatu additi: agricolisque, qui illum latitantem reipublicæ militibus ostendissent, immunitas pensioque annua, quas posteri eorum sequerentur, dono data. ipsi veste liberaliter induti, aurique libra itineri domum inter eos divisa. Deinde cum Pompejus ipse ad urbem veniset, uti ei fratribusque ejus quinque auri libræ sex singulis annis curarentur, castellumque Lasium, cujus in finibus prædia eorum erant, dono eis daretur, decemviri sanxerunt. Marco etiam Ariminensi centurioni reipublicæ Lemniaci qui erat, ad eamque rem conficiendam & studio & diligentia usus fuerat, duæ auri libræ pensionis nomine annis item singulis, quoad viveret, constitutæ: auctusque militum numerus ad alteros totidiem. Latum etiam, ut ei Centurioni civi Patavino, cujus fratres legato oppidi portam aperuerant, ex eorum bonis qui hostes reipublicæ fuissent, proventus annuus attribueretur, quo se liberaliter familiamque suam aleret.

ret. Idem munus ex Taurisanorum reipublicæ hostium bonis, domusque percommoda in oppido, atque immunitas onerum omnium, quam posteri ejus sequerentur, Marco Pelliciario civi Taurisano, cujus virtute ac fide civitas in officio erga rempublicam se continuerat, utque ipse in suæ civitatis Senatum extra ordinem legeretur, datum. Atque ad hæc Senatusconsulta illud quoque Patribus frequentissimis est additum: cujuscunque rebus atque fortunis damnum aliquod ab hostibus aut illatum jam sit, aut deinceps inferatur, rempublicam spondere ac polliceri, se se ei bello confecto æquis factis æstimationibus omne detrimentum sarcituram. Cujus rei edictum publice Patavii propositum ubi est ab hominibus auditum, Senatusque in suos ea pietas & liberalitas cognita: tantus subito cives plebemque omnem atque ipsum etiam exercitum benivolentiæ in rempublicam sensus atque lætitia tenuit, ut magna alacritas oppidi defendendi omnium sit animis innata, omnesque ad omnia pericula subeunda multo audentiores & paratiores fierent. 1509

Maximiliani res gestæ in agro Patavino.

Maximiliani copiæ, reliquis municipiis eo ab latere captis, ad Vicum Aggeris profectæ, qui abest Patavio vicus duo millia passuum, a Medoacoque flumine intersecatur, pontem qui in vico est occupaverunt, atque ex iis nonnulli equites usque ad oppidi portam cucurrerunt, repulsique sunt a reipublicæ militibus, qui in porta stationem habebant. Est ad Medoacum sex mille ab oppido passus; qua flumen dividitur; parsque fluminis altera recto cursu Venetias versus, altera pars Patavium, circumque vecta ambæ ad Stratam vicum se conjungunt, atque in unum redeunt; arx antiquitus instituta, ne repentinis hostes incursionibus illam fluminis partem, quæ Patavium tendit, derivare in alteram possent, quod quidem non difficile factu est, nisi arx impediat: propterea quod ea fluminis pars, quod multo breviorem cursum habeat, trabibus in flumine infixis, ac mole lapidea inter trabes ex citata retinetur, quoad per trium ferme cubitorum rimam perviam quæ visa est aquæ pars delabatur, reliqua susti-

Liminis descriptio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 fuſtineatur ad Patavium irrigandum. ea ſi moles non ſit, omnis fluminis vis in breviorem alveum, qui demiſſior eſt, ſe ſe fundat, neque pars aquæ ulla Patavium perveniat. Is locus paguſque Limen appellatur. Ad arcem itaque Liminis capiendam omnis hoſtium exercitus, ad quem jam Maximilianus venerat, paucos ſe poſt dies contulit. Erant in arce milites CL. Ii, quod arx ſatis communita non eſſet, dum quid agant conſulunt, hoſtes intromiſſi eos prope omnes interfecerunt. Arce capta Maximiliani milites mercede propoſita molem interſcindere aggreſſi, cum partem ejus dejeciſſent, flumenque pro ea portione averteretur, conſtaretque omnibus, ſi pergerent dejicere, totum flumen ea deſcenſurum: Maximilianus operas ab incepto revocavit, imperavitque, ne quis molem ulterius dejiceret: neque tamen quiſquam ſcire potuit, quam ob rem Maximilianus id juſſiſſet. ita ea fluminis pars, quæ Patavium defluebat, nunquam poſtea defluere univerſa deſiit. Cæterum cum vidiſſent Bachilionem etiam flumen, quod in agro Vicetino ortum habet, quinque millia a Patavio paſſuum ad pagum, qui Longare appellatur, dividi, ejuſque partem Ateſte, partem Patavium deferri: uti hæc quoque pars Ateſte defluēret, eam intercipere ſunt conati: ne qua Veneti ejus fluminis aqua ad Patavium tuendum uti poſſent. ſed ab equitibus reipublicæ ſæpe vexati, ſæpe commeatibus interceptis, ſæpe captis non gregalibus modo ex ipſis magno numero, ſed præfectis quoque, incepto deſtiterunt. Inter captos Manfredus Facinus fuit, qui ſpreto jurejurando, quod legato Gritto dederat, iterum cum hoſtibus ſe conjunxit: ei eſt ob perjurium Patavii laqueo gula fracta.

Hoſtes poſt hæc, quod erat eo fere ab latere municipium Monſilice, quod abeſt Patavio decem millia paſſuum, monti præcelſo adjacens, in cujus ſummo vertice eſt arx, quæ muro ab utraque parte ducto cum oppido conjungitur: cum Ateſte, quod nemo defendebat, antea cepiſſent, ſe Monſilice contulerunt, oppidumque magno impetu aggreſſi ceperunt ſingulari Hiſpanorum militum virtute,

Monſilice a Maximiliano capitur VI. cal. ſept.

te, qui ad arcem per montis crepidines repſerant, eluſis reipublicæ qui in ea erant militibus præfectiſque, arcem poſſe capi non verentibus. ii enim cum ad priorem ejus partem, quam tormentis antea perforaverant, ſe oſtendiſſent, per poſterioris angulum, qui nudus a propugnatoribus relictus fuerat, pauci ſe in murum improviſi intulerunt, deque muro in arcem dejecerunt: ad quos reliqui convolantes perterritis omnibus magna cæde facta arcem tenuerunt, oppidumque diripuerunt: Danielemque Maurum, & Petrum Gradonicum, quorum alter Ateſtinis prætor fuerat, captoque municipio fugiens Monſilice ſe intulerat, alter ibi magiſtratus erat, captivos fecerunt. 1509

Eo ſucceſſu fretus Beraldius Patavinus, qui ſtipendia Maximiliani faciebat, Montanianum municipium cum militibus accedens, uti ſe dederent, oppidanos eſt hortatus. Ii velle ſe imperata facere ſimulantes, Beraldium cum iis, quos viſum eſt, equitibus intromiſerunt, portæque rete ferreo repente dimiſſo ipſum vulneraverunt, captivumque cum pleriſque fecerunt: reliquos interfecerunt. Galaſſium quoque Pium in Patavinis montibus cum ſua equitum turma & Maximiliani militibus iter facientem, agreſtes homines congreſſi occiderunt. equites XX. & milites LX. captivi facti. Nicolao imperatori, quod ejus ſtipendiorum cum republica renovandorum tempus appetebat, eadem eſt in annum poteſtas dilata, decemque auri libræ ſingulis menſibus in victum a Senatu conſtitutæ. Maximilianus, qui tormenta gravi ære permulta ad muros Patavinos verberandos domo ad ſe comportari imperaverat: dum ea per Alpes magna difficultate convehuntur; modo ad hanc, modo ad illam ſuburbani agri partem exercitum circumtulit, ne fruſtra tempus terere videretur: veretiam, ut plerique crediderunt, ne cognoſcere Veneti poſſent, quo ab latere ille quatere oppidum vellet, ut dum omnia latera omneſque muri partes munitionibus firmandas ſibi eſſe intelligunt, pro oppidi magnitudine nemi[illegible]em unam diligenter muniant. Ea res, quod flumina omnibus a regionibus agrum interſecant, ponteſque ſæpe erant reficiendi,

Maximilianus Patavium obſidet.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 di, magnam difficultatem atque moram afferebat: simul equites Epirotæ, quorum erat cum magnus in oppido numerus, tum virtus atque industria singularis, improvisis incursionibus neque die neque nocte ullam hostibus quietem relinquebant, quotidieque cum præda cumque captivis in oppidum revertebantur. Unum fuit magno usui, quod plurima eo tempore ad Maximilianum auxilia convenerunt: nam & Aloisius rex, duce homine impigro, qui Palitiæ principatum obtinebat; & Julius Pontifex Maximus, & Alfonsus Ferrariensium dux magnos equitatus & peditatus ad illum miserunt. His præerant ab Julio Ludovicus Picus, qui bello Mirandulam fratris oppidum occupaverat: ab Alfonso Hippolytus ejus frater, qui erat in Cardinalium collegio, magna animi ostentatione vir, magna sui confidentia, bellicarum rerum non ignarus. Venerant eodem præter hos omnes fere Itali aliarumque nationum principes suis expulsi regnis cum ea copia, quam cogere majorem potuerunt: præfecti centurionesque cum turmis cumque militibus sua etiam sponte plerique. Ex Germania vero Galliaque Maximilianus ingentes copias adduxerat cum ex omnibus prope regionibus, tum vero ex Sequanis optimum & plenissimum equitatum: ut universum ejus exercitum octogies millies hominum numerum supergressum opinio tenuerit.

Hostium copiæ in Maximiliani castris.

Ad quem quidem Veneti sustinendum nihil non curæ diligentiæque jampridem adhibuerant. nam & sat magnam bonorum militum manum ad se confluentium, & equitatum utriusque armaturæ, quanto opus erat, Patavium intulerunt, eisque tribunos & præfectos fortissimos lectissimosque homines dederunt: & omnes fere navalium urbanorum operas, quas antea oppido recuperando eorum magistratus Patavium subvexerat, iterum eo redire voluerunt, permanereque, quoad oppidum defendi opus esset. Præter hos sagittariorum e plebe urbana, atque ab Epiro Græciaque plurimis cohortibus evocatis, dato stipendio idem uti facerent mandaverunt: ut essent milites omnes numero ad millia quatuordecim, equites cataphracti ad sexcen-

Venetorum apparatus ad Patavium tuendum.

centos; Epirotæ ad septingentos, qui sagittis uterentur 1509
ad quingentos. Ex nobilitate quoque primarii adolescentes permulti reipublicæ hortatu se in oppidum inferre non dubitaverunt cum suo armatorum comitatu singuli: ut plerique Senatorum & magistratuum liberi ea obsidione, quos oportuit, militiæ labores & ærumnas forti animo pertulerint. Lauredanus quidem Dux Princepsque civitatis duos ibi filios & ipse in armis habuit: quos perplures item ex nobilitate cives comitati, haud parvum clientium militumque numerum secum adduxerunt. Ad priores etiam legatos Grittum Maurumque tertium legatum Joannem Paulum Gradonicum, cui ex vulnere ad Cividale Belunianum in vitæ periculum adducto Franciscus Capellus legatus successerat, Patres addiderunt, qui labores & vigilias inter se partirentur. Postremo tormenta omnis generis, arma omnia, vectium, ligonum, reliquique ad terram fodiendam instrumenti vim ingentem, cumque iis frumenti magnum numerum, cæterosque abunde commeatus ad inopiam levandam Patavium importari curaverunt. quibus rebus omnibus accessit, ut quoniam agrestes homines, quod essent reipublicæ amantissimi, passim ab hostibus diripiebantur, vulgoque in vinculis atque in omni supplicio detinebantur, ut plerique vitam cruciatibus amitterent; non parvus eorum numerus, ut tuti esse possent, se in oppidum intulerit, qui munitionibus instituendis magno reipublicæ usui ad celeritatem fuit. Illa quoque non postrema Patres cura cogitatioque tenuit, propterea quod existimabant ea bina flumina, quæ Patavium inferuntur, de quibus supra dictum est, esse hostes primo quoque tempore aversuros: ne tanta hominum multitudo farina deficeretur, uti molæ frumentariæ, quas frumenta verterent. omnibus in oppidi regionibus & vicis ædificarentur. nam plurimæ, antiquitus in oppido quæ erant, aqua subtracta ulli esse usui non poterant. demum, quod omni ab oppidi latere omnesque ad portas erant propoppida in agrum porrecta longo pleraque tractu longisque viis, quorum partem Patavini Venetique cives animi causa

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 ſa magno ſumptu exædificaverant; cum ſacris ædibus ac fanis ea prooppida, ne hoſti receptacula munitioneſque præberent, legati dirui mandaverant.

Sed ea res parva erat ex parte confecta, cum Maximilianus ſingula oppidi latera quinis fluminum alveis tranſmiſſis circunvectus, urbis ſitu undique perſpecto, uno in loco omnes ſuas copias continere, ut a captivis cognitum eſt, oppidumque aggredi collectis viribus ſtatuerat. Quod ubi Patres intellexerunt, alios decem ex nobilitate cives Patavium miſerunt, qui cum obæratis & clientibus ſuis fide præſtantibus ad omnia obeunda munera legatis præſto eſſent. Iis oppidum ingreſſis ratio inita eſt, qui numerus nobilium ad obſidionem ſuſtinendam ſe Patavium intulerit: ii fuerunt centum ſeptuaginta ſex: quique item ex plebe optimorum civium: ſed is exiguus fuit. Iidem Patres, quod ægerrime ferebant ab Alfonſo Hippolytum fratrem magna cum manu ad Maximilianum auxilio miſſum, omnemque ei commeatum ab illius finibus, omnes ad tormenta exercenda res Ferraria ſubminiſtratas; triremes quinque a Tergeſtinis, quos obſidebant, evocatas, atque e navalibus navigiola perplura educta atque adornata, Foſſam Clodianam progredi juſſerunt, ut Pado ſubvecti in Alfonſi fines impetum facerent. Progreſſis, quoniam Maximilianum omnem ſuam copiam, omnes opes, Patavium ut caperet, brevi explicaturum conſtabat: Senatus ad earum præfectum Hieronymum Contarenum miſit, ut Patavium legatis auxilio cum claſſiariis contenderet. atque is ſtatim naviculas conſcendens, flumenque Medoacum, ubi in mare influit, ingreſſus, eo feſtinanter ſuperato armatos homines quingentos, ex quibus erant ſagittarii Cretenſes plerique, ex ſua claſſe in oppidum intulit. Iiſdem diebus Petrus Paſcalicus a Senatu lectus eſt, qui ad regem Pannoniæ in fœdere, quo cum republica plures annos fuerat, continendum proficiſceretur. valde enim illum & Julius, & Aloiſius, uti ſupra demonſtravimus, & cum iis una Maximilianus per internuncios, perque literas hortabantur atque obteſtabantur, ut bellum inferret reipublicæ.

IIII. non. ſept.

In

In Forojulienſibus autem, & in Carnis, ab hoſtibus, qui Goritia reliquiſque Maximiliani ex finibus earum regionum coacti reipublicæ ditionem invaſerant, nihil eſt ceſſatum: pluraque oppida & caſtella, cum incurſionibus & vicorum incendiis, tum caſtris & tormentis poſitis ſunt ab iis tentata, nonnulla capta & diruta: moleſtique ſæpe nuncii ad urbem in Patavinum bellum ſuſpenſam & occupatam, præfectorum & legatorum literis allati, graves tumultus & querelas excitaverunt. Quibus in rebus præclara Hieronymi Saorniani virtus fuit, qui ſuorum clientium & agreſtium ac montanorum hominum manu, omnes fere hoſtium impreſſiones atque impetus audaciſſime ſuſtinuit. itaque poſtea pridie calendarum octobrium, quo die antiqua conſuetudine cives ſexaginta majoribus comitiis creantur, qui annum in Senatu ſint; eum is honorem eſt adeptus, atque ita quidem adeptus, ut omnes cives principeſque civitatis ſuffragiorum numero vicerit: quæ res antea nunquam acciderat, ut cujus majores domicilium extra urbem ſemper habuiſſent, ipſe in urbem ſuis modo temporibus ac per occaſiones ventitarit, in Senatum legeretur. Ut autem pluribus etiam ſuffragiis, quam ullus alius, eam rem conſequeretur, id vero magnopere mirum omnibus atque inauditum fuit: ſed eam ipſam comitiorum & civitatis in illum benivolentiam paulo poſt ea res etiam auxit, quod is Caſtellum Novum, egregium in Carnis municipium, peropportune ab hoſtibus cuſtoditum, magno animo aggreſſus, tormentis celeriter prolatis muroque verberato, ad deditionem nulla neque rerum neque ſalutis conditione interpoſita compulit. Erat Fori Julii æger Franciſcus Capellus legatus, neque exercere ſe poterat: quod ubi Patres cognoverunt, Aloiſium Delphinum ei legatum eveſtigio ſubmiſerunt. Aucta vero paulo poſt ſuſpicione, Patavio magnopere communito, Maximilianum ſuas copias ad Tauriſum obſidendum velle convertere, Patres Aloiſium Mocenicum magna cum poteſtate legatum eo miſerunt, oppidumque rebus omnibus munire decreverunt. quod cum eſſet difficilius, exhauſta & pecunia & militi-

Hieronymi Saorniani mira virtus, & in Remp. fides.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 bus & plebe ad bellum idonea civitate, magnam ea res perturbationem afferebat: quam tamen ſublevabat, Patres certiores eſſe factos, aquam Silis fluminis, quod non longe ab oppido multis fontibus largiter ex terra exit, poſſe munitionibus adeo ſuſtineri, ut quingentos eoque amplius circa oppidum paſſus majori ex parte ager ſub aqua redigatur, ne hoſtibus ad murum accedendi facultas ſit: eaſque munitiones prope confectas eſſe. Maximilianus autem, ſive id nunquam in animum induxerit, ſive deſperarit poſſe ad exitum perduci: exercitus ſui partem ad eam agri Patavini regionem, quæ ad Foſſam Clodiam mareque pertingit, fertiliſſimam ſcilicet pecoriſque pleniſſimam, quod ſua illo reliquarum regionum homines armenta contulerant, prædatum miſit. qua ex re tanta agreſtium multitudo cum conjugibus ac liberis, cumque ea, quam ſubito abripere ſecumque ferre ſupellectilem potuerunt, miſſis ad eos publice naviculis, fuga ſe in urbem contulit, loca ut publica omnia porticuſque ac fana & privatæ domus plurimæ ea turba conplerentur. Iis Senatus reipublicæ pecunia commeatum dari juſſit, quoad hoſtium diſceſſu liberum illis reverti domum fuit.

Poſt hæc ad Medoaci munitionem, qua cymbæ ad urbem tranſmittuntur, omneſque ad illud vadorum urbanorum latus hoſtes plurimas incurſiones multis & illatis & acceptis detrimentis cum feciſſent, caſtra quamproxime potuerunt ad muros Patavinos a ſeptentrionibus poſuerunt, & tormentis oppidum quatere verberareque cœperunt: tametſi a militibus reipublicæ haud parva cum clade repulſi ſæpe fuerint. Maximilianus ipſe in templo Cartuſiano, quod templum oppidani non diruerant, medio fere caſtrorum ſpatio conſedit. Erat ab ea regione portæ oppidi proxima turris terrea muro conjuncta, ſed in agrum exporrecta, quantum ejus ſpatium in latitudinem patebat, pedes prope quatercentum: quam magna celeritate ac diligentia imperator legatique excitari mandaverant, ut eſſet toti ei lateri contra hoſtium exercitum munitio ad eorum impetus repellendos: ad eamque conficiendam non agreſtes

Patavina oppugnatio.

ſtes modo homines militeſque reipublicæ operam navaverant, ſed cives etiam ex nobilitate Veneti, atque ipſius Lauredani Principis liberi ſuis terram manibus convexerant. Ei turri Citolus Peruſinus cum militibus mille præpoſitus, Gallos atque Germanos ex hoſtium copiis aditum incurſionibus aggreſſibuſque tentantes, ſæpe rejecerat. quod ægre paſſus Maximilianus, Hiſpanis militibus ad ſe vocatis, magnis propoſitis præmiis eos incendit, ut aggredi capereque munitionem vellent. Erant autem milites ii ex omni numero virtutis opinione facile principes. qui re magno animo ſuſcepta, quinque ſignis ad munitionem ſe audaciſſime contulerunt: reliquæ copiæ in armis non longe ab illis ſe continebant, ejus rei finem opperientes, ſi negotium ab Hiſpanis perficeretur, ſe ſe in oppidum confeſtim illaturæ. Citolus ſuos ſilentio adhibito intra munitionem verſari jubet, reſque ad ignem celeriter comprehendendum idoneas in vallo diſpoſuit: atque in illos, qui ſcalis poſitis nemine repellente omnibus a partibus ſe in munitionem inferebant, ubi conſtitere, ignem ſuccendit: a quo plurimi correpti ſunt: reliquos acerrime invadit, omneſque interficit, dejicitque: ſimul tormentis in proximos emiſſis, eos fugæ dat, ut ſe ad Maximilianum magna clade accepta retulerint. Etiam Lactantius egredi auſus uſque ad hoſtium munitiones acceſſit, cædeque facta, & tormentis hoſtium confixis, pulvereque ad ea exercenda partim ſuccenſo, partim abducto, nullo ex ſuis deſiderato, in oppidum rediit. Is eventus rerum certam prope ſpem incluſis attulit, nihil regem in ea obſidione profecturum.

1509

At legati, quod ſtipe, quam darent exercitui, plures dies caruerant (nam propter hoſtium excurſiones ſuſpectaque omnibus a regionibus itinera nihil afferri poterat) miſſis tandem ad Senatum internunciis, quod id pacto fieret, conſtituerunt. itaque Senatus aurum in ſtipendia ad Medoaci oſtium, quod eſt ad Foſſam Clodiam quinque millia paſſuum, in decemvirum naviculis miſit. ibi equites Epirotæ ex oppido noctu emiſſi trecenti, eam ſtipem acceperunt,

Pecunia publica in militum ſtipendia qua arte Patavium delata.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 runt, atque inter ſe ita diviſerunt, ut qui velocioribus equis uterentur, eorum quiſque ejus pecuniæ partem ferret: ut ſi hoſtes in reditu eos adorirentur, reliqui prælium committerent, impetumque ſuſtinerent; ii ſe fuga hoſtibus eriperent, atque in oppidum contendere perſeverarent. Epirotas autem equites Lucius Bononienſis cum equitibus gravioris armaturæ ducentis, paucis eſt poſt horis ſubſequutus, ut cum illis revertentibus ſe conjungeret. atque ut hoſtes, ſi ſe adorirentur, eluderet, duos magnopere valentes mulos ſacculis arenæ plenis ad ſpeciem atque ſimilitudinem pecuniæ dorſo impoſitis medio in agmine ſecum duxit, qui quidem muli magno ei uſui fuerunt. hoſtes enim per exploratores de ea equitum reipublicæ profectione certiores facti, medio fere in itinere ingenti equitatu circunfuſo ita ſe undique in noſtros redeuntes intulerunt, uti iis qui ſtipendium ferebant, facultas fugiendi non daretur; ſed omnes peræque ſe ſe defendere, manuſque conſerere cogerentur. Verum enimvero ubi illos in mulis ſacculos hoſtes medio in prælio viderunt, eam illam eſſe prædam, quam petebant, rati, magna ſe pars ad eos capiendos convertit, ut reliquis minus negotii ad ſe defendendos relinqueretur. Epirotæ autem qui cum mulis erant, neque numos ferebant, ut hoſtes longiſſime ab reliquis abducerent, quemadmodum Lucius initio conſtituerat, fugæ ſe ſiniſtrorſum per campos una cum illis raptim dederunt: quos quidem hoſtes plura paſſuum millia conſequuti, tanta celeritate uti tamen non potuerunt, ut eos aſſequerentur: quoad emiſſus oppido ab legatis id futurum opinantibus equitatus recentiſſimus ſaluti atque præſidio illis fuit. Lucius ea de re atque conſilio magnam ab legatis atque ab omnibus laudem, optimum ſui laboris fructum, tulit. Milites deinde Hiſpani LX. ex Maximiliani exercitu perfugæ in oppidum a legatis recepti ſunt, ſtipendiumque eis datum.

Diebus autem inſequentibus non ſemel eam, de qua ſupra dictum eſt, turrim Maximiliani milites omnium gentium aggreſſi, præterquam quod Citolum vulneraverunt, eun-

eundem reliquis in rebus eventum habuerunt, quem Hiſpani ante habuerant. Et murus oppidi eo ab latere diu multumque verberatus, tametſi longiſſimo ſpatio conciderat, tamen & hoſtibus ipſa ejuſmodi ruina aſcenſum impediebat, & oppidani eodem tempore intra murum foſſam & vallum efficiebant: quibus rebus muro ipſo longe tutior ab iis defendendi ſe ſe ratio inſtitutioque comparabatur. Uni tamen tormentorum generi adhiberi remedium non potuit, ne urbi noceret: quod quidem erat ejuſmodi, ut pilam lapideam ſeſquipedis craſſitudine in ſublime ad faſtigii ſpeciem magno cœli tractu propelleret. ea intra oppidum pila ex alto cadens domorum tecta contignationeſque perforabat, lateque vaſtabat, cum eorum, qui ſuberant, interitu, ruinamque inopinantibus afferebat. Sæpius tamen accidit, ut in vias atque in fora & aperta ædium eæ pilæ, quam in tecta cœtuſque hominum deciderent. Quas ad res omnes Maximilianus illud etiam addidit, ut literas ſagittis alligatas intra oppidum mitteret, quibus literis oppidanos hortabatur, ut a republica deficerent, plurima eis atque ingentia pollicitus, ſi ita feciſſent. ſed cum ea quoque re nihil proficeret, ſingulis autem diebus plurimi ex ejus exercitu vel tormentis interficerentur, vel ab Epirotis equitibus caperentur, commeatuſque interciperentur; timeret etiam, propterea quod perpetua ſerenitate uſus fuerat, ſi pluviæ, ut plerunque accidit, cum perdiu cœlum ſiccum fuit, magnis tempeſtatibus deciderent, fore ut relinquere tormenta Patavio decedens cogeretur, quæ reportari impeditis itineribus non poſſent (ita fiunt brevi tempore imbribus cadentibus lutoſæ omnes circa oppidum viæ) ad diem ſextum nonarum octobrium ſublatis caſtris Medoacum ad Vicetiam Aggeris trajecit, pontemque reſcidit: deinde itinere lentiſſimo Vicetiam ſe contulit, atque a civitate honorificentiſſime receptus, manere tamen in oppido noluit.

Obſidionis Patavinæ ſolutio XV. kal. novembr.

At Alfonſi copiæ cum domum verſus cum impedimentis iter facerent, equites leviſſimi Patavio emiſſi impreſſione in eos ad caſtellum Bovolentiam, quod abeſt Patavio

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 vio paſſuum millia duodecim, cædeque facta, milites ex iis centum, equites ſexaginta, centurionemque ipſum qui caſtellum cuſtodiebat, & præfectum equitum captivos fecerunt. Alfonſi frater vix ægreque fuga ſe hoſtibus eripuit. caſtelloque capto, magno frumenti numero, magno multarum rerum commeatu, tormentiſque triginta cum jumentis curribuſque ſunt potiti: iiſque Patavium adductis, frumentum omne, ut eſſet agreſtibus hominibus inopiæ levamen, ibidem dereliquerunt. Joannes Græcus ab Julio dimiſſus vulnere leviſſimo accepto eam rem confecerat. Hippolytus Montanianum, ut eo in loco reliquum eventum rerum opperiretur, ſe contulit. Diſceſſu in urbe Maximiliani cognito, ob agreſtium in rempublicam fidem Senatus juſſit, ut annum totum nemo ex iis qui deberet, a creditoribus ad ſolvendum cogi poſſet: agreſteſque in urbe qui erant, triduo reverti domum juſſi. Hoſtibus progreſſis animadverſum eſt eos ſub terra tabernacula habuiſſe, ut tormentorum ex oppido verberationes evitarent: cuniculoſque perplures, ut occulte muro appropinquarent, effeciſſe. Tellus ipſa odore tetro infecta, ſanguinem necemque redolens, cadaveraque omnibus in locis jacentia horridum ſpectaculum halitumque toto ab eo oppidi latere ac regione multos dies præbuerunt. Senatus ubi cognovit templum Cartuſianum, cujus diruendi facultatem legati non habuerant, magno uſui Maximiliano fuiſſe, firmæque ei munitionis & caſtelli inſtar præbuiſſe; arborumque magnam vim ſæpe hoſtes reipublicæ militibus occultaviſſe, ſæpe a tormentorum ictibus defendiſſe, legem ſcivit, ut a portis mœnibuſque mille & quingentos circa Patavium paſſus quoquoverſus ædificia omnia eorum domini ſolo æquarent, arboreſque cujuſque generis ſuccideren; lateres, tegulas, marmora, ferramenta, materiam aridam viridemque, quo vellent, aſportarent: qui id intra dies præſtitutos non feciſſet, illius ejuſmodi fiſco omnia ceſſura. maxime enim voluit, ea ut planities ſpatiumque ab omni re, quæ umbram faceret, effetque ſolida ac reſiſtens, nudum vacuumque permaneret: ne Patavium

vium ullo cum hoſtium commodo aut præſidio amplius obſideri poſſet: eaque poſtea lex ad hoc uſque tempus ſancta inviolataque ſemper fuit. 1509

Eodem tempore, quod hoſtes in Liburnis reipublicæ fines longe lateque vaſtabant, Raſpumque municipium ceperant: rogatio eſt in Senatu lata; ut Aloiſius Delphinus in Forojulienſibus legatus cum Epirotis equitibus & manu reliqua eo celeriter contenderet. Interim Angelus Triviſanus ab Illyrico ad Iſtros claſſem triremium quindecim, cui præerat, a Senatu juſſus contulit: Flumenque municipium, quod ſuperiore anno captum reſpublica Maximiliano reſtituerat, audaciſſime aggreſſus, interfectis repulſiſque propugnatoribus, & ſcalis ad murum poſitis, paucarum horarum ſpatio cepit. milites remigeſque illati cæde facta oppidum diripuerunt: qua in direptione cum vidiſſent reipublicæ inſignia, quæ in foro poſita fuerant, fœde diruta deletaque ab oppidanis fuiſſe, indignatione perciti oppidum incenderunt. Idem de arce, cujus præfectus eodem ſe die dedidit, animorum ad ulciſcendum ardore nequedum ſedato, fecerunt. Iiſdem diebus cum ad urbem Hieronymus Saornianus veniſſet, in Senatu cum reliquis, qui eo munere fungebantur, affuit: nam (ut ſupra diximus) ſenator ſuffragiis declaratus fuerat. Accidit autem, ut eo ipſo tempore eum magiſtratum a Senatu creari neceſſe eſſet, qui magiſtratus rationes tabulaſque militares conficit, quibus in tabulis nomina eorum qui ſtipendia reipublicæ faciunt, continentur, exercitibuſque conſcribendis, aut omnino recenſendis, probat rejicitque quos vult: quem *Collateralem* appellant Veneti: creaturque perpetuus: quas ob res magna eſt is apud exercitum auctoritate, magnoque apud rempublicam in honore, nomine. Eum magiſtratum cum legere Patres vellent, & omnia fere Senatorum ſuffragia Saornianum renunciaverunt, hominis honori dignitatique faventium: qui Senatui parens, ad exercitum munere obeundo Patavium eſt profectus. At in Tergeſtinorum finibus nocte manus hoſtium quæ prædatum oppido exierat, interfecta eſt a reipubli-

Flumen in Iſtria Veneti capiunt & diripiunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 publicæ militibus, & capta: pauci ſylvarum & noctis auxilio ſe occultaverunt, cladiſque nuncium oppidanis attulerunt.

Cognita interim cum Maximiliani mora medio inter Vicetiam Veronamque itinere, tum Hippolyti ad Montanianum oppidum cum ſuis copiis ſeſſione, legati Lemniaco veriti, quod inter utroſque fere erat, milites quos oportuit eo miſerunt, oppidumque munierunt. Id Hippolytus intelligens linguam non continuit, queſtuſque eſt, gravi addito ad querelam maledicto; ejus rei, quam ſe brevi poſſe conſequi confidebat, eventum ſibi e manibus ereptum fuiſſe. Ea hominis in rempublicam maledicentia Senatus cognita, Alfonſique ſtudium obſidendo Patavio adhibitum repetens, ad illam cogitationem rediit, ut utriuſque plena odii facta atque conſilia quamprimum vindicanda omnibus ſibi eſſe modis ſtatueret. itaque literæ ſecreto ad Angelum præfectum claſſis datæ, Foſſam Clodiam claſſem celeriter adduceret: atque uti navigia minora Pado flumine ſubvehenda in navalibus confeſtim ædificarentur, præfectis eorum imperatum, ad ſimulationem Tergeſtinis obſidendis. utque is ſermo in vulgus efferretur, ne cognito reipublicæ conſilio ſuos fines Alfonſus præmuniret, Patres curaverunt. tametſi Angelus, propterea quod ad Raſpum recuperandum Delphinus legatus & Franciſcus Paſcalicus equitum Epirotarum præfectus cum ſuorum manu & claſſiariis eo ſe tempore conferebant, quod quidem paulo poſt primo impetu ceperunt, tardior ad eam rem fuit. Maximilianus miſſis ad Gaſparem Severinatem, quem Vicetiæ oppidi præſidio reliquerat, militibus Germanis tribus millibus, Veronam adiit, pauloque poſt cum paucis equitibus ſe Tridentum contulit: ad quem uxor ejus eodem venerat.

Maximilianus Tridentum ſe confert, XII. kal. novembr.

De ea re Senatus per exploratores certior factus, ſimul reipublicæ amicorum literis admonitus, Vicetinos ob Maximiliani præfectorum quotidianas direptiones, quas quidem, propterea quod nulla eis ab rege ſtipendia perſolvebantur, in oppidanos exercebant; ita eſſe animatos, ut ſi ad

ad eos exercitus reipublicæ mittatur, fore ut eum in oppidum recipiant: pluribus biduo dictis ſententiis, uti legati ad Vicetiam recuperandam omni cum exercitu proficiſcerentur, tandem cenſuit. quodque ad eas res quæ parabantur, magno auri pondere reſpublica indigebat, legem ſcivit, quam poſtea majora comitia probaverunt; uti magiſtratus omnes ſine ulla ſtipe reique publicæ impenſa ſex a calendis novembris menſes obirentur. nam tributa quidem exigi amplius prope non poterant, excuſſa prorſus jam tot in ærarium collationibus, tot privatim diſpendiis civitate. conſtabat enim ſubductis rationibus undecies millies in id bellum auri libras rempublicam inſumpſiſſe: multumque per ſe ſe civium plurimos, obſidione Patavina ſuſtinenda, multum ſuorum fructuum direptionibus, & propinquorum, quos captivos hoſtes fecerant, redemptionibus amiſiſſe. Imperator legatique Senatus voluntate intellecta, recenſo exercitu, qui erat, præter equites, militum octo millium, Citolo, qui ex vulnere nondum convaluerat, & Lucio & Joanne Græco oppidi præſidio relictis, Patavio exierunt, atque ad Camiſanum vicum in Vicetinis finibus caſtra poſuerunt: cum quibus Tauriſo profectus Petrus Marcellus legatus, milites mille, equites Epirotas centum quinquaginta, copiaſque alias conjunxerat. poſtero die omnes ad eam oppidi portam, qua Patavium aditur, ſe oſtenderunt: & quod murus eo ab latere vetuſtate dirutus prope intermittebat, foſſæ aqua, quæ pluviis creverat, magna difficultate ſuperata, paucis Germanis defendentibus, Naldius cum ſuis militibus ſe in proximum oppidum injecit: Gaſparemque Severinatem, qui ut Venetos repelleret, cum turma equitum eo properaverat, prælio commiſſo, disjectis primo impetu quamplurimis militibus, interfectis perpaucis, tandem in oppidum repulit: Naldiique peregregia ea in re virtus fuit. Alio ab latere Lactantius muro tormentis perforato, atque immiſſis per foramina militibus, magnum timorem Germanis propugnantibus injecerat. quæ quidem prælia nox diremit: & niſi diem totum ingentes pluviæ vias omnes fœdaviſſent, foſſas

Vicetia a Venetis oppugnatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 foſſas oppleviſſent, difficilioremque militibus pugnandi rationem, & murum verberandi tormentariis effeciſſent: urbs eo die capi facile poterat. Naldius tamen & Lactantius cum ſuis cohortibus, ab iis ubi pugnaverant locis eam noctem non diſceſſerunt, portaſque oppidi atque foſſas obſiderunt. Erat unus intus civis Guidus nomine, qui, dum ea ſic agerentur, magno reipublicæ amore incenſus, tribus cum liberis aliquotque amicis ſuis prooppidi portam, quæ Berga appellatur, cepit: miſſoque ad Venetos, qui rem ſignificaret, pollicereturque eis ſe portam illam traditurum, armatus ut eos exciperet expectabat. Legati equites Epirotas quinquaginta eo miſerunt, qui rem cognoſcerent, ad ſeque reverterentur. Guidus e ſumma turri viſis equitibus, magna voce appellare eos cœpit, valvaſque aperuit. illi ſe intromiſerunt, paulumque progreſſi milites Germanos offenderunt, qui facto in eos impetu, extra oppidum, qua venerant, univerſos repulerunt: portaque capta, cum Guidus reliquique de ſuperiore loco ſe defenderent, neque Germani expugnare illos poſſent, dato ab eis jurejurando nihil ſibi nocituros Germanos, ſe ſe eis dediderunt; ſtatimque omnes ad unum contra fidei religionem partim ab illis interfecti ſunt, partim ſe e turri præcipitaverunt, atque ita interierunt. Ea nocte a Germanis concilio civitatis coacto, cum illi nihil præſidii ab animi fortitudine peterent, timore autem prope omnia trepidationeque adminiſtrarentur; eorum voluntate legati tres e civitate ad imperatorem & legatos miſſi, oppidum ſe reipublicæ tradituros pacti ſunt, ea conditione interpoſita; ut quibus antea legibus ſub reipublicæ imperio Vicetini fuiſſent, eiſdem etiam deinceps uterentur: Maximilianique militibus nullum ab exercitu detrimentum inferretur, liberumque illis eſſet ſuis cum rebus proficiſci. His firmatis conditionibus Hieronymus Saornianus præfectique aliquot cum parte exercitus temperatiore mane in oppidum recepti ſunt: reliquus exercitus eſt ingredi prohibitus, ne urbem nobilem opulentamque diriperet. Hoſtes eodem die Germani milites

Idib. novembr.

Vicetia ſe Venetis dedit.

tes quatuor mille quadringenti optime armis inſtructi, ipſi & ætate & corporibus ſpectari maxime & timeri digni, & niſi animus eorum ducibus defuiſſet, ad eam urbem tuendam præclare idonei: equiteſque LX. cum tormentis & impedimentis & magno fœminarum & calonum numero abierunt; Gaſparque Severinas cum equitibus paucis: atque ii cum Veronam petere vellent, Baſſianum iter facere ſunt juſſi. Poſtremi equites Juliani CXX. qui una cum reliquis imperata Maximiliani faciebant, oppido egreſſi Ferrariam profecti ſunt. quibus emiſſis omnibus, imperator & legati ſe in oppidum intulerunt: quos civitas incredibili lætitia excepit, ut prope ab interitu erepti eſſe omnes viderentur. 1509

Senatus iis de rebus certior factus, cum legati ad eum ſcripſiſſent, imperatori eſſe in animo ad Montanianum reliquaque eo ab latere municipia, quæ ab hoſtibus tenebantur, exercitum ducere: eo conſilio improbato, literas ad eos dedit, victoriæ ipſorum ad magnas res conficiendas curſum levioribus iis occupationibus non eſſe interpellandum: nec fortunæ reipublicæ afflanti, & præſto ei eſſe properanti, moram afferri oportere. itaque ad Veronam recipiendam ſtatim contenderent: fore enim, ſi eo celeriter ſe conferrent, ut hoſtes imparati offendantur, civitaſque & animo per ſe in rempublicam animo, & hoſtium duriſſimis imperiis laceſſita, oppido non communito, primo aggreſſu ſe ſe dedat, uti Vicetina fecerit. Atque ut exemplo ejus reliquæ civitates optimam de republica ſpem caperent, Vicetiæ atque agri ejus finiumque incolis quinque annos omnium rerum atque onerum levatio eſt permiſſa: utque ii, qui debent, annum ad ſolvendum cogi nequeant, ei legi additum. Aloiſio etiam Porto e Vicetina nobilitate fortis ac præſtantis animi adoleſcenti, ob ejus in rempublicam ſtudium, ad equos levis armaturæ, quos ei Senatus antea dederat, alteri totidem ſunt ab eodem Senatu additi. etiam, ut legati edictum proponerent: ſi cives, qui in hoſtium partibus fuiſſent, intra dies XV. Vicetiam redierint, veniam illis a Senatu datum iri, præter

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 ter paucos, quorum nomina recitata ſunt, Patres ſanxerunt. Chriſtophoroque Mauro legato, ne Vicetia, reliquis tribus, ne ab exercitu diſcederent, mandaverunt.

Interim Angelus præfectus claſſis, qui Foſſam Clodiam triremes duodecim adduxerat tribus in Iſtria relictis, Senatus permiſſu ad urbem venit, Patreſque monuit: *Pado flumine claſſem ſubvehi ſine magno periculo non poſſe, munitionibus in ripa, ut ferebatur, ab Alfonſo inſtitutis; aqua propter ſiccitates exigua; nullo exercitu, qui a terra claſſi præſidio ſit: præſtare autem, eas omnes quas haberent copias Veronam magna cum rei bene gerendæ ſpe ac tuto mitti, quam incerto eventu earum ullam partem in Ferrariæ finibus periclitari. eſſe Piſaurum, eſſe Anconam, quæ ipſe oppida, ſi Senatus velit, poſſe capere non diffidat: habere enim ſe ab eorum nonnullis civibus internuncios, qui totum munus civitates concitandi, reique publicæ ſe dedendi ſibi depoſcant, modo ipſe claſſem reipublicæ ad illa oppida ex inopinato afferat. eſſe Fanum, Senogalliamque, quas diripere atque incendere nullum negotium ſit. quod ſi a Romanæ reipublicæ municipiis abſtinendum ſibi eſſe Patres ſtatuant, poſſe ſe in Apuliam paucis horis ex Illyrico trajicere: ibi materiam ſibi non defore, neque etiam fortunam Diis volentibus defuturam, reipublicæ injurias a Ferdinando rege illatas ulciſcendi.* Hoc ſermone apud decemvirum magiſtros habito, Angelus ad claſſem rediit. decemviri paulo poſt reliquis repudiatis rebus claſſis in Alfonſi fines profectionem differri e republica eſſe, legem juſſerunt. Alia deinde lex ab eiſdem decemviris juſſa, ut eorum Tauriſanorum & Patavinorum & Vicetinorum civium, qui hoſtes reipublicæ fuiſſent, bonorum poſſeſſiones reipublicæ nomine caperentur: duumvirique ad eam rem Joannes Cornelius, Antonius Condolmerius, qui ambo ex quinqueviris Senatu regendo erant, lecti: quibus binæ centeſimæ ex iis, quæ fiſco addixiſſent, cederent. Claſſis itineri mora a decemviris adhibita ſenatoribus ſermonem dedit, querentibus, tot Alfonſi contra rempublicam plena odii ſcelerumque facta non vindicari: fruſtra triremes

remes claſſemque ex Iſtris evocatam, fruſtra claſſem alteram biremium & parvorum navigiorum ad Padum Atheſimque flumina facilius enaviganda jam eſſe comparatam: tantum pecuniæ temere impenſum, ſi decemviri profectionem impediant. quibus illi vocibus permoti rem Senatui permiſerunt. Senatus pluribus dictis ſententiis literas ad magiſtratus Patavinos dedit, Foſſam Clodiam ad præfectum claſſis milites quingentos ſtatim mitterent. Angeloque mandavit, ut iis in naves receptis militibus oſtio Carbonaria Padum ingrederetur, prædas abigeret, regiones quas poſſet ab utraque ripa popularetur. poſteroque die in foro edictum publice propoſitum, qui vellent ad diripiendos Ferrarienſes ſuis privatim navibus cymbiſque proficiſci, per rempublicam licere; dum præfecto claſſis dicto audientes ſint: quam quiſque prædam faceret, ſuam fore. Ea re magnus plebis numerus ſuis in navigiolis ſe ad claſſem contulit. 1409

Decernitur in Ferrarienſem Ducem expeditio.

Dum hæc adminiſtrantur, imperator legatique Veronam cum exercitu vadentes, Suavium municipium in plano ad primam Alpium declivitatem ita poſitum, ut arx in jugo ſit, præmiſſo equitatu & Gradonico legato receperunt, interfectis hoſtium militibus non paucis, qui a Maximliani præfectis Verona, ut in arcem ſe inferrent, mittebantur. cumque Veronæ appropinquarent equitatum præmiſerunt, ut ad portas ſe oſtenderet; ſi quis in oppido tumultus per amicos reipublicæ fieret. Iis ad portas perequitantibus, nemine ſe commovente, equites Sequani centum egreſſi, prælio leviſſimo commiſſo ſe in oppidum receperunt: ex quibus captus unus legatis renunciavit, eſſe in oppido militum tria millia, atque ex iis Hiſpanos plurimos, equitum alterum totidem, ex quibus erant Galli quingenti, quos amiſſa Vicetia præfecti regii Brixia evocaverant. Quibus rebus cognitis, imperator veritus, ne ſi ejus copiæ oppido circumſederentur, aliquod incommodum acciperet, ſubſtitit, neque ausus eſt ulterius progredi. quod quidem imperatoris conſilium ab Gritto & Marcello legatis, atque ab Lucio, qui ad eos

Pata-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 Patavio venerat, probabatur : tametsi Gradonicus legatus & Naldius audendum & conandum esse dicerent, oppidumque obsideri, & muros verberari oportere contenderent. Inter quos cum minus convenire potuisset, scriptis ab legatis ad Senatum de ea controversia literis, quid ab eo juberentur, expectare constituerunt. Senatus legatis respondit, imperatori se totam rem permittere : confidere se se, quod e republica sit, illum facturum. Atque interim, quoniam ab Lemniaco milites equitesque reipublicæ cum agrestium manu ab ea regione quæ trans Athesim est, ad Veronæ muros jussu imperatoris se conferebant, ipse quoque suo ab latere partem exercitus ad oppidum misit, ut hostes duobus a lateribus peti se intelligerent, civitasque ea re magis magisque permoveretur. acciditque, ut utrique sæpius cum hostibus congressi, non paucos ex iis caperent, plures etiam interficerent, prælisque secundissimis se reciperent. neque tamen is, qui futurus putabatur, oppidanorum motus fuit : neque civitas parte ab ulla deditionis vocem aut indicium protulit. Eas ob res relicto ad Suavium præsidio, Epirotis adjectis equitibus, qui quotidie ad Veronæ portas currerent, & pabuli, cujus magnopere hostes indigebant, copiam eis fieri prohiberent; imperator ad Montanianum recipiendum cum reliquo exercitu profectus, qui oppidum reipublicæ nomine peterent, mane adveniens præmisit. Præfectus Alfonso tueri se illud velle cum respondisset, tormentis statim positis muri partem Veneti celeriter dejecerunt. qua re oppidani permoti deditionem facere volentes, modo ipsi militesque suis cum rebus tuti ab exercitu essent, recepti non sunt. itaque postridie direptionem atque interitum veriti, se se nulla conditione interposita dediderunt. Erant in oppido Alfonsi milites equitesque septingenti, qui omnes armis, equis exuti sunt. Augustinus Villa præfectus in custodia habitus, ut cum eo Federici Vendramini, qui propinquus legato Gritto erat, atque in municipio eorum finium Abatia, cui præerat, paulo antea captus Ferrariæ custodiebatur, permutatio fieret. Postero die Atestini ad rem-

Verona frustra oppugnatur.

Oppida multa revertuntur in Venetorum fidem.

rempublicam redierunt. quos Rhodigienses cum plerisque 1509
earum regionum municipiis imitati, idem fecerunt. Monsilice dein, missis eo Patavinis e vicinitatibus agrestium hominum aliquot millibus, qui parvo equitum militumque interjecto numero magni exercitus speciem præbuerunt, atque oppidanis, qui in illos in acie adeuntes de superiore loco prospectabant, ea re perterritis, se reipublicæ dedidit. In Alpium quoque jugis Marosticani, finitimique his in plano positi Bassianenses, Germanis ejectis militibus, tum maxime campestres Citadellani, missis ad præfectos Patavinos internunciis rei se publicæ lubentissimi dediderunt. Eorum finium pagis octo, propterea quod præstanti studio in rempublicam fuissent, eadem munerum levatio, quam Senatus Vicetinis dederat, atque securitas tradita. Laxior etiam custodiæ conditio Leonardo Trissino, Brunoro, Saregio, reliquisque Maximiliani præfectis, in urbe captivi qui erant, ob regias literas ad Senatum scriptas est a decemviris permissa.

Angelus interim classis præfectus, subvectis Pado navibus, utranque fluminis ripam proximaque ripis loca populabatur. prædæ undique abigebantur : quæ asportari minus poterant, corrumpebantur. ædificia villæque quarum magna erat & peregregia illis in finibus copia, quoquoversus incendebantur. quod ubi Senatui est allatum, literas ad Angelum dedit, ædificia incendi non oportere : quas vellet, atque unde vellet, prædas ageret : a villis atque tectis comburendis abstineret. Ingens autem vastitas jam illata, eas literas inutiliores reddidit. In urbe Patavinis civibus, qui erant in custodia, quatuor, Alberto Trapolino, Bertucio Bagarotio, Jacobo Leoni, Ludovico Comiti, propterea quod in sexdecemvirum collegium a sua civitate adlecti, nullo unquam lacessiti maleficio, nulla injuria pellecti, hostiliter se in rempublicam gesserant, calendis est decembribus in foro decemvirum lege laqueo gula fracta, & bona fisco addicta. quæ quidem res, quod fere semper in urbium & regionum conversionibus fieri consuevit, ut plerique in novorum dominorum gratiam se

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 prioribus dominis adverſarios præbeant, a multis habita eſt aliquanto acerbior, & ab hujuſmodi temporibus aliena: nanque multi ejus ſupplicii exemplo fortaſſe perterriti, ad reipublicæ nomen, atque ad deditionem effecti ſunt duriores. Joannes Franciſcus Muſſatius item Patavinus eadem lege decemvirum condemnatus eſt, ut in Creta inſula, quoad viveret, exularet: qui tamen quadriennio poſt ab exilio revocatus eſt, patriæque redditus. Angelus cum ad eum vicum, quod abeſt Ferraria quinque millia paſſuum, ad quem naves, quæ a vadis Venetis veniunt, appelluntur, ſuperato flumine claſſem adduxiſſet, hoſtes magna cum manu obviam progreſſi duas ab aggeribus triremes, quarum erat una, qua ipſe vehebatur, tormentis perforaverunt, remigeſque aliquot interfecerunt: qua neceſſitate adductus præfectus, quod hoſtibus noceri prope non poterat (nam ripæ agger ad fluminis incrementa antiquitus inſtitutus eos tuebatur, ne vulnerari e navibus ſagittarum aut fiſtularum & tormentorum jactu poſſent) ad vicum Poleſeliam in ea Padi ripa ſitum, quæ Rhodigium ſpectat, rediens, munitionem in altera fluminis ripa celeriter excitavit, qua hoſtes, ſi adventarent, repellerentur, neu claſſi nocerent. Vix effecta munitione, hoſtes, ut eam caperent, ſe non ſemel circunfuderunt. Poſtremo eam firmioribus copiis adorti, cum prope in aggere munitionis verſarentur, Hercules Cantelmius, Sigiſmundi Neapolitani claro loco nati filius, magnæ ſpei adoleſcens, cum ſe audaciſſime in propugnantes incitaviſſet, equi lapſu humi fuſus a remigibus interfectus eſt. cujus in loculis amicæ manu ſcriptæ ſunt repertæ literæ, quibus illa multis precibus ab adoleſcente petebat, ne cum Venetis prælio contenderet. Eoque die Gradonicus legatus ab exercitu cum equitibus & militibus octingentis, Senatus juſſu claſſi auxilio ad alteram fluminis ſe ripam contulit.

Triviſani res geſtæ in agro Ferrarienſi.

Cividale Carnicum, Feltriæ arx & Scala a Venetis recipiuntur.

Cividale interim Carnicum in Alpibus, Feltriæque arx, dein Scala municipium natura & artificio communitum, itineri, quo Germania magnopere aditur, adjacens, a reipublicæ copiis eſt capta. Erant in ejus arce mili-

milites Germani octoginta (neque enim fere plures capere locus exiguus poterat) qui ſe fortiſſime defendebant: in quos cum a reipublicæ militibus tormenta exercerentur, pilæ, quas emitterent, ipſos defecerunt: eamque ob rem differri oppugnationem neceſſitas cogebat. atque unus ex agreſtibus, qui aderant, deſiderari pilas ſentiens, ad præfectos accurrens, *Ego vobis*, inquit, *opportune pilas dabo*: ad proximumque ei loco tumulum eos duxit, quo a tumulo pilæ ferreæ triginta tegebantur, quas hoſtes abſcondiderant. Haud facile dictu eſt, quantum in bello fortuna poſſit. nam ut caſus tulit, ut is agreſtis, qui ſciret eas ibi pilas eſſe, illo temporis puncto eodem venerit, quæque dicerentur, audierit: ita caſu magno factum eſt, ut pilæ hoſtium tormentis reipublicæ ita convenirent, ut ad id confectæ viderentur: infartæque iis & ejaculatæ perfecerint, ut arx eo die caperetur cum Germanorum omnium interitu, præter eorum præfectum, qui ad urbem vivus eſt perductus: quam quidem paulo poſt ſenatus arcem magnis munitionibus tutiorem reddidit. Atque eſt eodem in itinere ter mille paſſus ante Scalam mons ſaxeus præcelſus maximeque directus ad perpendiculum viæ imminens, in cujus ſuperiore parte ipſo in ſaxo ſpecus cum perennis aquæ fonte natura factum homines concinnaverunt, arcemque parvam ex eo effecerunt. Ea omnino arx adiri pedibus non poteſt: fune autem demiſſo cum lignea ſedecula, ſinguli homines rota deſuper vertente attolluntur: ac quidquid aliarum rerum inferendum eſt, eodem uno ſublevatur, atque in arcem importatur modo. Ei arci inter montem flumenque quod arctam atque anguſtam vallem dirimit, ſubeſt ea, de qua dixi, perexigua ſane via, qua commeare iis, qui in arce ſunt, invitis licet nulli: propterea quod ſaxis modo ab ea devolutis quoslibet obrui atque interfici nullum negotium eſt. Ea quoque arx, quam Covolum appellant, eorum deditione qui illam cuſtodiebant, ad rempublicam rediit. In Iſtris etiam præda celebris ab Epiriotis eſt equitibus & cædes hoſtium facta.

Covoli arcis deſcriptio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 Germanis autem, qui urbem incolebant, a Senatu petentibus, ut quoniam Maximilianus permiſerat, ut qui vellent, ex ejus ditione urbem adire mercaturæ cauſa, eis liceret; Patres item concederent, eos tuto venire poſſe: fides eſt eis reipublicæ interpoſita, itineraque quæ toto bello clauſa fuerant, patefieri cœpta ſunt cupidiſſimis omnibus. Marcus Antonius Contarenus cognomine Camalis, quem Senatus parvis navigiolis præfecerat, Patrum juſſu ab Angeli claſſe profectus, Cymaclium inter duo Padi oſtia Vatrenum & Caprariam, oppidum magnopere piſcatorium, diripuit, ædificiaque plurima incendit: quæ Alfonſo non parva clades fuit, quod ex ejus oppidi ſeptis calamo reticulato vadis triginta millia in circuitu paſſuum eo ipſo fere tempore ingens vis piſcium biduo triduove maxime pluvio capta, & ſale injecto repoſita, magnis redimi pretiis portoriiſque conſuevit. Angelus cum navibus triremibus ad latitudinem fluminis diſpoſitis pontem injeciſſet, quo Gradonici equites tranſportarentur ad incurſiones exercendas, hoſteſque qui munitionem copiis omnibus aggreſſi ſæpe fuerant, ſuſtinendos: poſtea, ne triremes impedirentur, quo minus ad gerendum bellum præſto eſſent, eundem minoribus in navibus pontem impoſuit, trajectoque leviſſimo equitatu, omnem illam oram fuga terroreque implevit: quoad hoſtes miſſis ab Julio Ferrariam equitibus Ludovico Pio præfecto, quem Verona evocaverat, atque ab Aloiſii regis miniſtris Brixia item equitibus & militibus quamplurimis, exercitum duodecim millium armatorum confecerunt. Ac Ludovicus quidem una cum Hippolyto ad claſſem ripamque fluminis audaciſſime ſe inferens interfectus eſt, capite media cum galea pila ferrea caſu in eum cadente perfracto. Deinde, quod hoſtes in munitione capienda fruſtrabantur, Alfonſus infra eum locum duo millia paſſuum munitionem & ipſe in ripa facere inſtituit, qua in reditu impedire claſſem poſſet, tormentiſque deprimere. Quod ubi Senatui eſt allatum, literas ad Angelum dedit: ſi ei videretur, claſſem reduceret, ne confecta hoſtium munitione

Cymaclium a Venetis diripitur VIII. id. decembr.

ne periclitaretur: id unum in primis curaret, ut claſſem, quam a civitate accepiſſet, ſalvam ſoſpitemque reipublicæ reſtitueret. Ad quas ille literas ita reſcripſit: Si claſſem reduxiſſet, fore ut omnem illam oram, quæ cis Padum eſt, hoſtium exercitui diripendam relinqueret: itaque id ſe tum facturum, cum illa munita eſſe loca cognoviſſet. 1509

Eodemque tempore, quod ad Patres venerat Bulfardus Germanus, qui ad urbem ventitare conſueverat, ad ſpeciem, ut eis ſe offerret ad pacem inter regem remque publicam tractandam: re, a Maximiliano ejus rei cupidiſſimo clam miſſus: decemviri legatos duos creaverunt, qui cum Bulfardo ad regem ſtatim proficiſcerentur, Joannem Cornelium quinquevirum Senatu regendo, Aloiſium Mocenicum, qui Feltriæ atque in Alpibus legatus tunc erat. Egerant autem cum rege civitates Germaniæ liberæ, ut pacem cum republica faceret: quarum quidem fere omnium municipes non pauci in urbe mercaturam exercere conſueverant, ægreque ea re carebant. Paulus quoque Licteſtenius, cujus erat multo maxima apud regem auctoritas, uti antea demonſtravimus, pacis ei auctor ſemper fuerat. Uxor inſuper regia idem cupere maximopere videbatur. Præter hæc Henricus Britanniæ rex ab Julio & Aloiſio & Maximiliano per literas diligentiſſime ſcriptas petierat; *Ne cum Veneta civitate bellum exercerent: quæ ſi nuſquam exiſteret, conſtrui tamen omnibus ab hominibus ad publicam orbis terrarum utilitatem atque ornamentum profecto debuiſſet*. Idem quoque multo etiam accuratius legatus regis, Romæ qui erat, ad Julium detulerat. Quibus rebus cognitis ſpes Senatum tenuit, brevi fore, ut ſibi cum Maximiliano conveniret. Atque illis quidem diebus Baldaſſari Scipioni Senenſi, qui Liviano propter virtutem maxime charus fuerat, equitum gravis armaturæ L. præfectura eſt a Senatu tradita. Bonifacioque Sonzinio, qui ſe amanter pro republica Patavino bello geſſerat, auri libra annis ſingulis immunitatemque rerum omnium ei liberiſque poſteriſque ejus, tum ut ipſe liberique extra ordinem in Senatum legerentur, dono datum.

Germaniæ liberæ civitates pacem cum Venetis Maximiliano ſuadent.

Britanniæ rex fœderatos principes ad pacem cum Venetis hortatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 Padus interim, aucto Gallicis repentinis imbribus flumine, ut ſummas plane ripas adæquaret, pontem, qui minoribus erat navibus impoſitus, aquarum violentia disjecit. Angelus, trajectu ne careret, triremes, uti antea fecerat, contra curſum fluminis iterum firmavit, quæ pontem ſuſtinerent. Hoſtes autem ubi viderunt fluminis incremento triremes alte ſublatas pulcherrime tormentorum pilis objici, prima nocte magna cum manu Ferraria egreſſi ad ripam contenderunt, tormentiſque plurimis adductis naves impeditas verberare ex aggere ictibus creberrimis cœperunt: neque prius deſtiterunt, quam claſſe pene univerſa perforata & disjecta, Angelus, qui ſomno expergefactus ſuo ſe lectulo ejecerat, cum ſigno aureo, ne hoſtes eo potirentur, publiciſque literis, tum ductores reliqui cymbis navium excepti fuga ſalutem peterent. Remiges ſe flumini omnibus e navibus dederunt: adverſamque ad ripam delati magna pars ad Gradonicum ſe receperunt. Una triremis primo adventu per remos, qui aggerem contingebant, ab hoſtibus ad ripam attracta, cum hominibus non paucis eſt capta: ipſi omnes interfecti. altera ſuccenſa eſt. Ex omni claſſe triremes duæ navigiaque minora aliquot ſecundo ſe flumine demiſerunt, ad fineſque reipublicæ nullo accepto detrimento redierunt. tres depreſſæ interierunt: munitione cum plurimorum remigum & militum interitu hoſtes potiti: triremes novem Ferrariam ſunt perductæ. Ea clade Patres cognita, eveſtigio literas dederunt cum ad Gradonicum legatum, ſi hoſtes Padum trajicerent, interiorem Atheſis fluminis ripam interſcinderet, ne Rhodigium poſſent accedere; ipſe ſe in tutum cum iis quas haberet copiis reciperet: tum ad legatos Grittum & Marcellum, qui erant in exercitu ad municipium Leonicænorum, ut aliquid copiarum auxilio ad Gradonicum mitterent, quo ſe facilius fineſque illos ab hoſtibus victoribus tueri poſſet. Scripſere etiam ad Foſſæ Clodiæ magiſtratum: cymbas juberet Padum ingredi, quæ fugientes reciperent, & ſi qui ſe in ſylvas aut paludes abdidiſſent, perquiſitos repertoſque ſublevarent. Datæ inſuper ad Joannem Maurum

Veneta claſſis ad Padum capta & incenſa, XII. kal. januar.

rum literæ, qui in Iſtris cum triremibus, quas appellant nothas, tribus, legitimis duabus relictus fuerat, ut ad Padi oſtia contenderet, cumque Marco Antonio Contareno, qui triremem ſuam navigiolaque non pauca incolumia conſervarat, ſe conjungeret. Senatu poſtea eodem die coacto, ad claſſem redintegrandam multoque ampliorem inſtituendam, latum, ut in Creta triremes octo, Corcyræ duæ, in Dalmatis ſex, in urbe quatuordecim confeſtim armarentur, atque ex his duarum remiges poſtridie, aliarum duarum perendie conſcriberentur. 1509

Angelus inter hæc ad urbem rediit, clademque illam non tam vere ac explorate, quam ut ipſi minus dedecoris afferebat, Patribus expoſuit: quem tamen ejus ſermonem plerique ex earum, quæ perierant, triremium præfectis, ad urbem & ipſi redeuntes audacter refellerunt. probraque omnia in illum jaci cœpta: nihil in eo conſilii, nihil prudentiæ, nihil omnino providentiæ: crudelitatis, avaritiæ, arrogantiæ plurimum ſemper fuiſſe: triremes ponte implicari minime omnium debuiſſe: ſi paulum ſupra eum, in quo erat, locum ripæ aggerem dejeciſſet, flumen ipſum, quod tam alte creverat, ſuamet illuvione & munitionem & claſſem tutam ab hoſtibus puncto temporis redditurum, regionemque illam pulcherrimam & fertiliſſimam longe lateque vaſtaturum & fœdaturum fuiſſe. quæ nam autem aptior atque facilior reipublicæ morem gerendi occaſio dari ei a fortuna potuiſſet, quam quod eſt illi ea fluminis tam vaſti magnitudine exuberantiaque ſubminiſtratum? ita illum, quæ e republica non erant, effeciſſe: quæ uſui & dignitati magnopere fuiſſent, quæ ſecuritatem claſſi attuliſſent, quæ hoſtium cogitationes & conatus omnes illuſtraviſſent, prætermiſiſſe: unum modo magna ſemper diligentia curaviſſe, ut cymbas præda onuſtas ſingulis diebus domum mitteret. His cum vocibus pene omnium, qui in ea claſſe fuerant, & cladi ſuperfuerant, Angelus palam accuſaretur, Senatus frequens rogationem juſſit, uti de ea re triumviri ex advocatis reipublicæ quærerent: quod reperiſ- *Angelus Triviſanus accuſatur rei male geſtæ.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1509 riſſent, intra dies XV. ad Senatum referrent; atque is ea pœna, quam Senatus probaviſſet, plecteretur. atque ut proximis comitiis præfectus claſſis ejus loco legeretur,

VI. kal. januar. etiam perlatum: lectuſque eſt Antonius Tronus templi Marcii procurator: quo præfecturam reſpuente, quod non

III. kal. januar. eſſet rebus maritimis aſſuetus, comitia Petrum Balbum Patavii magiſtratum ſublegerunt. qui quidem Balbus antequam Patavio decederet, hominem ex plebe, qui filia pro concubina utebatur, ipſamque filiam, ſcelere per indicium delato, comprehendi juſſit, faſſoſque ſecuri ambos percuſſit, igne patris cadaveri etiam ſuppoſito. Ad hæc, ut aliquando Julii iracundiæ finis fieret, Senatus ſæpe conſultus, ſæpe amplius conſuli juſſus, tandem cenſuit, ut legati reipublicæ Romæ qui erant, tabulis ab Julio traditis, quibus indigniſſimæ conditiones reipublicæ imponebantur, ſcribendo adeſſent: ut juri ſcilicet, quod in ſinu Adriatico antiquitus reſpublica obtinuerat, ab omnibus, qui eo mari navigent, exigendi, pro eorum tantum navigiis, qui Romani Pontificis imperio ſubeſſent, & eo mari navigarent; quodque in Ferrariæ dominatu, quam aliquando in ſuam poteſtatem redegiſſet, permultos annos habuerat; quodque ullo unquam tempore in Flaminiæ oppidis eis fuiſſet, reipublicæ nomine cederent: eamque contra rem Romanam feciſſe faterentur, veniamque ſuppliciter peterent. Ea res quod vi fiebat, Senatui nulla libere decernendi poteſtate relicta, tot regibus hoſtibus, tot reipublicæ oppidis bello captis, retentis ab Julio in urbe ſex legatis ſumma dignitate & nobilitate civibus, tum illis qui e Flaminia in vinculis ad illum ſunt perducti, ipſius interdicto, cui tamen jampridem paruerant ſatiſque fecerant, etiam nunc urgente: minus moleſta Patribus fuit, minuſque ei rei, ne fieret, obſtiterunt; illud animis atque ſermonibus diu multumque repetentibus: vi atque injuria coactis ab hominibus quod fit, pro infecto haberi conſueviſſe: itaque & naturæ, & gentium & civili jure & legibus omnium populorum eſſe

ſe conſtitutum. Unum autem ſe ſe conſequi, ut Julius inimicum in rempublicam animum deponeret, neque amplius ejus hoſtibus auxilio vellet eſſe (quod quidem ſe facturum pollicebatur) magno ſibi adjumento ad reliquum bellum conficiendum fore arbitrabantur. Atque his rebus agitatis annus finem habuit. 1509



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN

IN LIBRUM DECIMUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

VEnetorum cum Cæsarianis ad Aquæ Martinianæ pontem pugna. Hatrianis petentibus magistratus & naves, quibus se tuerentur, a Senatu concessæ. Panoniæ regi pro pensionibus quomodo satisfactum. Variæ Cæsarianorum Verona eruptiones. Nicolai Ursini obitus. Captivorum cum Gallis permutatio. Varii belli inter Alfonsum & Venetos, & item inter Venetos ac Cæsarianos circa Veronam eventus. Julius legatos Venetos ad se admittit & interdictum abrogat. Legati ad pacem cum Maximiliano conficiendam missi, re infecta revertuntur. Leges ad pecuniam colligendam latæ. Veronæ oppugnatio frustra tentata. Lex quæ sacerdotum propinquos in pontificiis causis Senatu excludebat, antiquata. Julii consiliorum ambiguitas. Senatus de imperatore eligendo consilia. Gallorum in reipublicæ fines irruptio. Nova Germanorum domus exædificata. Vicetia cum plerisque aliis oppidis a Gallis capitur. Gallorum in eos, qui se in concamerationem contulerant, immanitas. Cæsarianorum in Carnos irruptiones. Lemniacum a Gallis capitur. Rotomagensis Cardinalis obitus. Julii & Venetorum cum Helvetiis fœdus. Variæ Germanorum, Venetorum, & Gallorum excursiones, levioraque prælia. Phariorum seditio sedata. Classis Julio contra Genuenses missa. Laurentio Cereti arma ex comitii armamentario data. Cypri reginæ obitus. Gallici exercitus in Venetos progressus. Ferdinandus Hispaniæ rex equum album tributi nomine ad Julium mittit. Franciscus Mantuanorum dux a Venetis dimittitur. Monsilice a Gallis capitur. Joannis Sfortiæ obitus. Julii cum Alfonso belli initium. Lucius Bononiensis reipublicæ exercitus imperator declaratur. Sexviri sale procurando ad quatuor redacti. Julii in Genuenses conatus irriti, & classis Centumcellas reditus. Pannoniæ rex Venetis bellum indicit, nec tamen infert. Julii in Alfonsum edictum, ejusdemque in Galliæ regem maledicta. Venetorum de Brixia capienda consilia. Veneti & Pontifex iterum classem Genuam mittunt. Mutina a Pontifice capitur. Helvetiorum in Gallici regni fines irruptio. Lex de magistratibus, qui rempublicam in Senatu procurant, lata.

PE-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM
HISTORIAE
LIBER X.

ANno insequente inito hostes Verona egressi, ut in pagos plerosque qui exercitum reipublicæ receperant, rebusque omnibus juverant, iracundiam exercerent suam, atque inde pabuli copiam aliquam in oppidum importarent, cum quinque millia passuum processissent, ad Aquæ Martinianæ pontem substiterunt, ut nostris, qui se per exploratores cognita ad illos repellendos contendebant, fluminis transitum impedirent. Erat autem præmissus ad eam rem ab imperatore legatisque Leonardus Aptius cum expeditis militibus & equitibus quamplurimis, is ubi pugna ante pontem magno animo commissa, tamen tralicere hostibus, ut se priores in ponte constipaverant, angustias defendentibus se non posse vidit, equites Epirotas triginta ad superiorem fluminis partem longo circuitu, ne ab hostibus

1510 *Cæsarianorum pugna cum Venetis ad Aquæ Martinianæ pontem XIX. kal. febr.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 ſtibus conſpicerentur, cum reliquis mandatis miſit. Illi itinere celeriter confecto, repertis in primo colle vadis flumen tranſierunt: eodemque & circuitu & celeritate uſi, magno clamore ſublato, repente in hoſtes a tergo impetum fecerunt. qui nova re perturbati, cum reliquum adeſſe exercitum crederent, & prælio ancipiti ſibi eſſe decertandum exiſtimarent; atque ii, qui a fronte noſtros ſuſtinebant, ſibi veriti ſæpe reſpicerent, pugnamque interim remitterent, noſtri ardentius inſtarent: relicto ponte omnes ſe in fugam conjecerunt. Ea in fuga perplures interfecti ſunt: capti equites cataphracti L. ex levioribus circiter ducenti, præfectique clari nominis ſex, ad urbemque miſſi, & ſigna quatuor relata. Saornianus poſt hæc ad urbem rediit, magiſtratuque repudiato aliis in rebus majori ſe reipublicæ fore uſui eſt pollicitus. Erat tum in urbe Philippus Uladislai regis Pannoniæ legatus, qui a republica ſuperiorum penſionum reliqua ſibi dari poſtulabat. Ei Senatus, quod pecunia propter quotidianos belli ſumptus dependi minus poſſet, excuſatione interpoſita, gemmas, purpuram, telaſque cæteras ſericas laneaſque pro ſumma librarum auri trecentarum dari juſſit: pauloque poſt eodem legato petente, ad reliquas res quadraginta ſunt auri libræ numerato additæ: ipſi libræ quatuor dono curatæ. Ad Henricum etiam Britanniæ regem adoleſcentem Senatus legatum creavit Franciſcum Capellum, honoris illius & benivolentiæ inſtitutæ cauſa.

Hatriani, quod eſt oppidum inter Padi oſtia, prædæ nomine ab Angelo præfecto claſſis ſub reipublicæ imperium redacti, cum ab Alfonſo ut ad ſe redirent ſollicitarentur, legatos ad urbem miſerunt: velle ſe ab republica non recedere: itaque & qui ſibi jus diceret reipublicæ nomine, & armatas naves, quibus ſe defendere ab Alfonſi contumeliis poſſent, ſuppliciter petere. Quamobrem Senatuſconſultum factum eſt, Hatrianos defendi oportere, Senatui videri. Igitur & prætor eis datus Leonardus Bembus, & naves armatæ decem ad eos miſſæ: quibus præſidiis poſtea uſi, in fide atque officio permanſerunt: tametſi

metſi Alfonſus antequam auxilia convenirent, illos, pa- 1510
goſque aliquot demiſſiores in Padi ripa Venetiſque finibus male habuerit. At hoſtes iterum Verona egreſſi, multoſque vicos depopulati, interfectis prope incolis omnibus, partem ſuorum, quos noſtri obviam progreſſi aut occiderant, aut captivos fecerant, amiſerunt. Tertio autem ob pabuli inopiam idem auſi, multo majore accepta clade, Alexio tamen Bua turmæ Epirotarum præfecto, ob equi laſſitudinem ab ipſis capto, ſe in oppidum receperunt. quibus in rebus omnibus imperatoris maxime ſtudium vigilantiaque extitit. Itaque febricula tentatus accerſitis Patavio medicis, tamen convaleſcere non potuit: creſcenteque vi morbi cum ſe brevi moriturum cognoſceret, adhibitis legatis exercitum Lucio Bononienſi commendavit, atque ipſum & præfectos reliquos graviſſimis amantiſſimiſque verbis monuit; *Ut ſuam fidem & benivolentiam reipublicæ præſtarent: quæ ſi perierit, virtus omnis Italorum animorum, reſque ipſa militaris, quam adhuc quidem ipſi uni ſuſtinuiſſent, una cum illa perierit. Quis enim,* inquit, *vos alet, provehet, ad exercitus regendos vocabit, hac terrarum parte in regum barbarorum poteſtatem redacta?* Hæc atque his plura cum dixiſſet, paulo poſt mortem obiit apud Leonicænos ſeptem & ſexaginta annos natus: moleſtaque ea magnopere civitati exercituique mors fuit. cadaver ad urbem delatum funere ampliſſimo & concelebratiſſimo atrata civitas extulit. Imperatore mortuo, Janes Fregoſius Ligur ejus equitibus regendis præficitur: quibus tamen etiam vivo illo præeſſe conſueverat, Leonarduſque Apulus ob virtutem, atque in rempublicam ſtudium ſtipendio a Senatu auctus eſt, duobuſque fratris ejus liberis penſiones annuæ dono datæ: eamque profecto legem ſententiis omnibus Patres conſcripti probaverunt, ut non modo nulla rejecerit, ſed etiam ne una quidem, cui non liqueret, in loculis reſederit: quæ res pene pro miraculo eſt habita. Fuit quidem certe ſingulare ac peregregium omnium ordinum, totiuſque civitatis in Leonardum ſtudii atque benivolentiæ indicium. Ubaldus deinde Gallorum

Nicolai Urſini obitus, VII. kal. febr.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 lorum internuncius Mediolano ad urbem venit, pollicituſque eſt præfectorum regiorum nomine : ſi Gallos qui eſſent in cuſtodia urbana, Senatus reſtituat, ipſos cives quoſque Venetos una cum præfectis reipublicæ qui Mediolani cuſtodirentur, miſſos facturos. itaque quatuordecim Gallis Ubaldo traditis, Brixiamque miſſis, ipſi Juſtinianum Maurocenum, Aloiſium Bonum, Petrum Gradonicum, Fanciſcum Memmium, civeſque alios, quos habebant, homineſque militares tres, Vincentium Naldium, & Vitellium, & Braccium, libertati reſtituerunt.

Captivorum permutatio.

Atque ut ſcribendo ſæpius ad Maximiliani exercitum, qui Veronæ erat, redeatur, Hiſpani ex eo milites, hominum ſcilicet natura & moribus multo callidius ac ſapientius Gallis atque Germanis hominibus genus, cum viderent Venetos caſtris ponendis oppido propiores eſſe factos (nam a Leonicænis aliquot paſſuum millia Veronam verſus ſe contulerant) ſimul eos brevi ad murum atque portas acceſſuros, urbemque obſeſſuros vererentur : ut quid quæque domus atque familia voluntatis in rempublicam haberet, ſi poſſent fallendo congnoſcerent : nocte intempeſta per oppidum, cum magno armorum ſonitu incitati cucurrerunt, nomenque Marcium, quod eſt inſigne reipublicæ ſæpe in curſu conclamaverunt. quo exaudito a pleriſque illos eſſe Venetos credentibus, qui ſe in oppidum intuliſſent, eadem nominis acclamatione eſt reſponſum datum, ſalutatioque veluti mutua facta. Illi eas domos, unde voces veniebant, atramento ſignaverunt, poſteroque die repetitis notis omnes ad unam diripuerunt. quibus rebus conſequuti ſunt, ut & reliquis amicis reipublicæ timor injiceretur, ne quid ultra facere aut dicere auderent, & ipſi præda illa pro ſtipendio, quod non perſolvebatur, ad ſe ſuſtinendos uterentur. Erant in urbana perliberali cuſtodia, uti ſupra domonſtratum eſt, cum Patavii, tum in Iſtris, capti Germani regis præfecti ſex : ſalutabanturque quotidie ab amicis & familiaribus ſuis prope ut liberi. eorum quinque noctu, cuſtodibus in cœna occupatis, tenui perrupto muro ad aquam ſe nullo ſtrepitu contulerunt :

Hiſpanorum militum aſtus, ut agnoſcerent, qui Veronenſium eſſent animo in remp. amico.

runt : cymbaque ad biremem clam a ſuis comparatam ve- 1510
cti, in ea Tergeſte perfugerunt. uni ut fugeret perſuaderi non potuit, ne fidem, quam una cum reliquis reipublicæ dederat ſe non abiturum, falleret.

Poſt hæc triumviri, quorum erat e collegio Bernardus Bembus pater meus, confecta quæſtione, Angelum Triviſanum, qui claſſem turpiter amiſerat, ad totius civitatis judicium majora comitia detulerunt, ea lege per ipſa comitia prius reſciſſa, quam Senatus, ut ad ſe referrent, juſſerat : tabelliſque eorum recitatis, qui permulti contra eum teſtimonium dixerant, cauſaque dies aliquot agitata, condemnare tamen illum primis ſententiis non potuerunt : propterea quod ab reliquis civibus, qui eo bello improbe rempublicam geſſerant, qui quidem erant plerique, atque ab eorum propinquis & neceſſariis magnopere laboratum eſt, ne condemnaretur, veritis, ſi ille pœnas dediſſet, ne ad ipſos etiam ejuſmodi judicia deſcenderent. quæ ſane res bonis omnibus magnam moleſtiam attulit, quod Angelo abſoluto nihil amplius in republica ſevere, nihil omnino ex dignitate poſſe agi prope conſtaret. Poſtremo vero cum triumvirum actionibus diligentioribus, tum ejuſmodi bonorum querelis permota concio, triennium ab urbe urbiſque finibus eſſe Angelum exulem juſſit. At ne claſſi redintegrandæ, quam in rem Patres incubuerant, milites aut remiges deeſſent : lex eſt in Senatu lata : ut exules maritimis ab oppidis atque inſulis reipublicæ ob homicidium qui eſſent facti, ſi pace cum mortui propinquis inita menſes ſex in claſſe reipublicæ ſua impenſa operam navaverint, aut ad id vicarium dederint, reſtituerentur, exceptis iis qui hominem conſtituto occidiſſent. Alfonſus vero claſſis reipublicæ clade non contentus, copias quas confecerat, trajecto Pado, ad fines Rhodigianos vexandos ac depopulandos miſit. Eæ copiæ in pago Alfonſi finium poſtremo ſe le vallo munierunt, & parvo præſidio ad vallum relicto inſtructa, ut quod intenderant, etiam perficerent, progrediebantur. Gradonicus legatus, Rhodigii qui erat, ea de re ab exploratoribus cer-

Angelus Triviſanus accuſatur, X. kal. mart.

Et damnatur III. non. mart.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 *Gradonicus Ferrarienſium copias profligat.*

certior factus, ante lucem cum equitatu & peditatu oppido egreſſus Epirotas aliquot præmiſit, qui hoſtes velle aggredi ſimularent, lenteque revertentes eo traherent, ut æquo loco prælium committi poſſet. Hoſtes Epirotis viſis in eos impetum fecerunt. Illi, ut erat eis imperatum, paulatim recedentes in noſtri agminis conſpectum eos perduxerunt. Legatus cohortatus ſuos pugnæ ſignum dedit: neque hoſtes ſibi defuerunt. concurſum eſt ab utriſque ita acriter, ut pugna diu anceps atque ambigua fuerit: tandem hoſtes feſſi repelluntur, ſeque ad pagum munitioneſque ſuas recipiunt. Noſtri hoſtium regreſſu incitatiores facti, cum aliquandiu ante vallum pugnaviſſent, munitionem perfregerunt, eoſque in fugam omnibus a partibus dederunt. quos Epirotæ conſectati pleroſque interfecerunt: equites utriuſque armaturæ circiter nonaginta cum eorum præfecto captivos fecerunt. Capti quoque ſunt eodem tempore in Veronenſium finibus Sequani equites non ſane pauci, cum tamen illi etiam Epirotas duodenos temere a reliquis digreſſos quodam in pago dormientes item cepiſſent. captuſque paulo poſt una cum viginti ex ejus turma præfectus equitum Gallorum Cleta, qui Maximiliani auxilio Veronam venerat, ad urbemque miſſus.

Julius Interdictum abrogat VI. kal. mart.

Julius autem Pontifex Maximus ubi a republica omnibus ſuis poſtulatis ſatis eſſe factum cognovit, legatis, qui quidem erant quinque (nam Piſanus paulo ante morbo implicitus mortem obierat) ad ſacra, quæ ſe præſente fiebant, atque ad pedis oſculum admiſſis, magna populi Romani frequentia interdictum abrogavit, deque eo literas ad omnes reges dedit. Quibus rebus cognitis, ſupplicatio a Patribus eſt indicta, gratiæque diis immortalibus omnibus in templis actæ. Pauciſque poſt diebus Hieronymo Donato apud Julium manere juſſo, qui legationem exerceret, cæteri legati pedibus Anconam profecti, reliquo itinere in longis navibus, quas Patres ad eos ſublevandos eo miſerant, confecto domum redierunt. Diebuſque æque poſt paucis cives ii Veneti, qui belli initio in Flaminia contra fidem datam capti, atque in Romanos fines perducti,

cti, eo tum loci cuſtodiebantur; ab Julio ſunt dimiſſi. 1510
dimiſſi quoque ab Joanne Jacobo Triultio, liberalitatis in rempublicam nomine, cives item Veneti tres, qui tribus Galliæ municipiis præfuerant, Mediolanique in cuſtodia illos menſes totos fuerant, Joannes Grimanus, Alexander Georgius, Philippus Calbus, atque uſque in urbem ab ejus miniſtro perducti. Aloiſius Mocenicus, Joannes Cornelius legati ad pacem cum Maximiliano tractandam miſſi, uti ſuperiore libro demonſtratum eſt, atque in Alpes profecti, regiis internunciis, qui ad eos venerant, reipublicæ datis muneribus (ea erant vini Cretici pretioſioris, ceræ albæ ad tenebras expellendas, fructuum in Aegypto conditorum ad regias epulas omnis prope generis non parva copia) ſermonem cum iis complures dies habuerunt, non uniſque in locis una fuerunt. neque tamen pax iniri potuit; cum illi omnia, quæ in Maximiliani poteſtate proxime fuerant, a Senatu peterent, Senatus nihil eorum, quæ ante bellum obtinebat, vellet amittere: dependere quidem Maximiliano aliquam pecuniæ vim ſe obligaſſet, ſi de reliquis fœderis capitibus, quæ proponebantur, convenire inter ipſos potuiſſet: ſed obſtinatione, duritieque ambarum partium factum eſt, ut infectis rebus ab utriſque domum diſcederetur. ita ea multorum dierum tractatio & mora, quæ ſuſpenſos atque ſollicitos Patrum animos habuerat, poſtremo ad nihilum rediit.

Varia Senatuſconſulta.

Interim, quod Lauretanos, qui eſt pagus in Padi fluminis derivatione, Alfonſi copiæ incenderant, Senatuſconſultum factum eſt, ut ejus pagi homines Foſſam Clodiam ad incolendum ſe reciperent, atque ab oppidanis rebus omnibus juvarentur: quaſque antea onerum & tributorum immunitates domi obtinebant, eiſdem immunitatibus eis frui Foſſæ quoque Clodiæ liceret, itemque alterum, uti Belunienſes & Pagenſes annum unum immunes eſſent, neque ad ſolvendum creditoribus cogi poſſent. Idem Senatus cum videret multo maximam eſſe in urbe copiam eorum ex plebe civium, qui aliquo reipublicæ munere fungerentur: quo in munere aut ſtipendii menſtrui, aut

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 aut quotidiani quæſtus nomine lucrum facerent : ut ii quoque aliquid , neque id tamen ſine compendio , tam anguſta pecuniæ publicæ procuratione in ærarium conferrent, rogationem juſſit : qui e plebe civis munus perpetuum a republica obtineret , ſi decuplum ſtipis annuæ, aut ſi ea non ſit, lucri ſummam, de qua apud magiſtratum conſtet , reipublicæ intra dies quindecim curaverit, id omnino munus ipſo mortuo aut filius, aut nepos, aut frater ejus ſequatur: aut is, quencunque ſibi ipſe ejus muneris hæredem inſtituerit. quibus autem ſua ſint ad tempus munera , iis octuplam ſtipem ærario inferentibus, ea vivis munera eripi non poſſint, illis exceptis muneribus, quæ a Senatus, templique Marcii procuratorum ſcribis & miniſtris obirentur. ea tamen octupli ſumma liberalitate Patrum paulo poſt lege ad quincuplum rediit . Ab decemviris quoque , ut etiam nobilitas ſui æris aliquantum ſponte reipublicæ tribueret, alia eſt rogatio paulo poſt juſſa: qui e nobilitate civis triginta annos natus libras auri vicenas mutuo reipublicæ dediſſet , quemque civem major pars decemvirum probaviſſet , ei civi annum in Senatu eſſe, adempta ſuffragii ferendi poteſtate licere. Hujus autem mutui decemviri eam eſſe conditionem voluerunt, ut pars pecuniæ media in ærarium noviſſimum ei , qui dediſſet, accepta referretur: altera parte media, ſi quid is onerum tributorumve nomine in poſterum publice debiturus eſſet, ex eo tantundem poteſtas ei fieret diſſolvendi. pauloque poſt, ne horum civium numerus denos excederet , iidem decemviri ſanxerunt.

Veronam fruſtra Veneti aggrediuntur non. april.

Dum hæc domi adminiſtrantur, conſilio Veronam per inſidias capiendi ab legatis complures dies agitato, certorum oppidi civium ſuaſu , qui per ſuos interpretes clam ad Sigiſmundum Caballum neceſſarium ſuum egregium atque amantem reipublicæ civem, qui ſe pro patria exercebat, bellique munera & præfecturas obibat, Patavium miſſos, res quemadmodum perfici poſſet, eis oſtenderant: ambo prima nocte ad pagum Martinianum exercitum adduxerunt , quingentoſque milites ex omni copia lectos, ad

ad arcem, quæ ab ea oppidi parte cum mœnibus erat con- 1510
juncta , non nimis communitam miſerunt , qua fore in urbem trajectum cognoverant. Illi per duas propugnaculi intromiſſi portas (eas Benedictus Peregrinus multa arte diligentiaque, ferreis ad eam rem confectis Vicetiæ malleis vectibuſque aperuerat) ad murum oppidi ſcalas, quas ſecum attulerant, poſuerunt; ut eo ſuperato ad portam, ad quam convenerant, accederent, interfectiſque cuſtodibus, atque apertis valvis exercitum admitterent. Eæ ſcalæ cum eſſent breviores , quam muri altitudo requirebat : ad ejuſmodi ejus rei ſubſidium comparandum , ut alteram alteri alligarent, atque ita longiores eas facerent, ſe dederunt. In eo dum ſunt, ſigna in oppido ei loco proxima caſu concinere cœperunt . illi veriti adventum ipſorum militibus Germanis tribus millibus palam factum eſſe, qui eam oppidi partem cuſtodiebant, relictis ſcalis extra propugnacula celeriter ſe, qua venerant, receperunt: deinde ad exercitum, qui non longe aberat, ut ſe in oppidum inferret, re infecta magno cum dolore omnium atque moleſtia redierunt . Hoſtium præfecti haud ita multo poſt de pleriſque civibus, quos fuiſſe ejus rei conſcios non tam quidem reperiſſent , quam eſſent ſuſpicati, graviores pœnas ſumpſerunt. Peregrinus una cum noſtris militibus oppido fugiens ad legatos ſe contulerat: cui Senatus ob facti audaciam atque in rempublicam ſtudium penſionem annuam, quam poſteri ejus ſequerentur, paulo poſt dono conſtituit. Eadem in illorum, quos hoſtes interfecerant, liberos reipublicæ pietas extitit.

Lex de ſacerdotum propinquis a Senatu amovendis antiquatur.

Erat domi lex decemviralis, nemo ut quis, cujus aut filius aut frater aut fratris filius ſacerdotium haberet, cum de rebus, quæ ad Pontificem Maximum atque ad rempublicam pertinerent, ageretur, in Senatu eſſe poſſet. quam quidem legem eo conſilio Patres tulerant , ne , qui ſuo compendio propter ſacerdotiorum adipiſcendorum cupiditatem in conſulendo duci poterat , ut plus Romanis rebus, quam ſuæ civitati faveret, ei aut ſententiam dicere, aut ſuffragium ferre in Senatu liceret . eam tum legem

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 decemviri antiquari voluerunt : non enim arbitrabantur quenquam esse civem posse, qui tam duris reipublicæ temporibus alieniori voluntate suæ patriæ commoda, quam Pontifex Maximus a quo tam insignite læsus esset, in Senatu administraret. Itaque & Antonius Grimanus & Georgius Cornelius, reliquique sacerdotum propinqui, cum ad Senatum ex literis Roma ab Donato missis est relatum, deinceps affuerunt. quæ quidem literæ magnam in Julio ambiguitatem consiliorum, magnamque voluntatis hæsitationem ostendebant. modo enim de republica honorificentissime amicissimeque loquebatur, seque ei adjutorem ad ea recuperanda, quæ in Rhetis Galliaque amiserat, fore pollicebatur : Gallorum modo regem se vereri ostendebat, quem quidem propediem in Italiam rediturum pro explorato ducebat. A Maximiliano quoque suum legatum prope amplius non admitti, inimicumque sibi illum ex amico esse factum, quod interdictum in rempublicam se nolente rescidisset, conquerebatur. easque ob res uti respublica quibus posset conditionibus cum Maximiliano pacem faceret, Senatui erat auctor, præsertim posteaquam inter Aloisium & Henricum Britanniæ regem, qui dissidere putabantur, quod quidem certe dissidium animorumque disjunctio morari Aloisium & retinere, ne itineri se se daret, una omnino poterat, fœdus esse ictum & concelebratum cognovit. itaque interdum neque cui confideret neque quo converteret cogitationes suas, neque quem susciperet tuendum, neque quid omnino aut faceret, aut plane diceret, reperiebat. Quibus rebus cognitis Senatus, cui quidem omnia pene deficiebant, Julium tamen per legatum est hortatus, bono animo ut esset : non facturum, quæ ab eo jactabantur, Aloisium : cujus omnes plane populi ab Alpium trajectu & bello in Italia gerendo magnopere abhorrerent : Maximilianum quidem & pecuniæ inopia, & aliena Germanarum civitatum a bello contra rempublicam voluntate, & aliarum rerum implicationibus perfacile ad pacis cogitationem descensurum : Henricum vero, cur nocere Venetis cogitet, nullam habere porro causam, cujus

& ma-

& maritimæ civitates necessitudinem quasi quandam antiquitus cum nostris hominibus institutam colant plurimique faciant : & portoria a navibus reipublicæ quæ mercaturæ causa eo ventitant, etiam augeantur : se se autem & exercitum non spernendum jam habere, & classem satis magnam propediem habituros : easque omnes opes non illi minus, quam reipublicæ præsto, cum vellet, futuras : quamobrem confideret, cum tam bonam causam suscepisset, ut rempublicam scelere perfidorum hominum proditam ac violatam tueretur : Deos profecto immortales, quorum ipse in terris majestatem obtineret, sibi non defuturos. Ejusmodi cum literis labantem Julii animum atque consilia Senatus confirmavisset, legem scivit, ut quingenti armaturæ gravioris equites, militum quatuor millia celeriter conficerentur, atque ad eas quas haberet copias adderentur. Id autem non tam jussit spe quam aleret, ut res ad exitum perduci posset (nam neque unde is tum numerus accerseretur, ei constabat, neque pecunia in stipendium plane suppetebat) quam ut ejus rei sermo nunciique ad Julium allati dejectas illius cogitationes & timoris plenas erigerent, exercitumque reipublicæ quem quidem & Veronæ recuperandæ difficultate, & Gallicarum rerum fama, quas rumor latius atque inflatius attulerat, tardiorem ac suspiciosiorem factum sciebat ; literæ de eo ad legatos datæ ad priorem belli gerendi alacritatem studiumque revocarent, quod sane accidit. Epirotæ enim equites ubi de augendo exercitu nuncium acceperunt, Athesi flumine trajecto hostium equites centum captivos fecerunt : milites alteros totidem, nemine suorum desiderato, interfecerunt.

Venetorum novi bellici apparatus.

Aliæ deinde literæ ad Donatum datæ, ut quoniam is ad Senatum scripserat, Julio placere, ut bello, quod respublica cum Alfonso exercebat, finis imponeretur : si diceret, Senatum de eo id, quod vellet, esse facturum. Quo responso accepto Julius suum hominem Ferrariam misit ejus rei causa : neque tamen Alfonso persuasit, uti bello desisteret. nam quoniam exploratum ei erat, Aloisium regem ad Lemniacum oppidum, quod a Maximilia-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 no libris auri CL. emerat, capiendum omnes ſuas quamprimum copias miſſurum, quo capto ipſe quoque Rhodigium poſſe capere ſpem non ambiguam fovebat: arma deponere noluit. Senatus autem pluribus & literis & nunciis certior factus Aloiſii præfectos magnis equitatus & peditatus copiis coactis, in fines reipublicæ impetum brevi facturos, Lemniaco veritus præter milites ſexcentos ſub egregiis centurionibus, cives etiam Venetos e nobilitate quatuor cum militibus quinquaginta e plebe urbana ſingulos, commeatumque omnis generis, & res ad tormenta exercenda ignemque in foſſis atque aggeribus ex inopinato excitandum idoneas, & ſagittarum magnum numerum eo miſit. Vaniſſa præterea ex Dalmatis homo fortis cum turma lectiſſimorum equitum octoginta, majore quam conſueverat ſtipendio, ab Senatu accerſitus, eodem ſe contulit. Ad Gradonicum quoque legatum auxilia ab exercitu ſubmiſſa, ne ſi Alfonſus ad Rhodigianos oppugnandos, dum reliquus exercitus a Gallis alios reipublicæ fines tueretur, ſuas copias adduceret, imparatior offendi poſſet. Claſſi demum paucarum triremium, quæ erat Foſſæ Clodiæ, naves breviores permultæ urbanis e ſuburbiis eductæ atque adornatæ uti adderentur, quæ in Alfonſi fines ſe inferret, ejuſque copias diſtineret, latum. Ad Vitellium vero, quem captivum permutatione facta, uti ſupra demonſtratum eſt, Galli reſtituerant, Capinumque ejus propinquum, Pauli illius, quem Florentini Piſano bello imperatorem habuerant, ſecurique percuſſerant, filium; quibus utriſque Senatus præfecturam equitum gravioris armaturæ CL. paulo antea dederat, atque illi eos equites in Tifernatibus municipibus ſuis jam confecerant; mari Foſſam Clodiam deportandos, naves in Flaminiam miſſæ: quibuſque etiam milites quingentos ipſorum in finibus quamprimum conſcribendi ad exercitumque adducendi, cura tradita. Eandem antea curam Citolo Patres dederant, ut e Peruſiæ finibus mille octingentos milites educeret. iſque jam numerus adventare dicebatur. Turmis inſuper in exercitu reipublicæ pleriſque redintegrandis, quæ qui-

Lemniacum oppidum a Venetis munitur.

quidem erant magnopere deminutæ, ſtipendium a quæſtoribus curatum. penſioque annua, quam Senatus ultra ſtipendiorum nomen Citolo dederat, ut ea, quoad viveret, frueretur, etiam aucta. quas ad res atque ſumptus quo fiſci debitoribus facilior ſolutio fieret, Senatus juſſerat, ut qui ex iis aurum aut argentum cœlatum, quod plerique ſibi comparant, aut a majoribus comparatum domi habent, ad duumviros numis cudendis intra dies XXV. attuliſſent, id eis aurum argentum ve cum lucro partis decimæ acceptum referretur: qui duumviris neque aurum neque argentum dediſſent, neque pecuniam numeratam curaviſſent, eorum bona, etiam ſi fideicommiſſa eſſent, vendi per magiſtratus oportere, iis exceptis bonis, quæ dotium nomine mulieribus deberentur. eaſque venditiones ratas & firmas haberi oportere, neque ullis poſſe legibus infirmari, Senatuſconſulto additum. Pauloque poſt, quod Patribus conſtabat cives pleroſque ex iis, quibus ampla res eſſet, adduci tamen non poſſe, ut in ærarium conferrent, quod nulla ſuæ patriæ charitate, nullo reipublicæ amore tenerentur, decemviri ſuis miniſtris mandaverunt, ut illos prius ea de re admonitos, ſi poſt dies octo nihil contuliſſent, captos in carcerem contruderent: quod ſi ſe occultaviſſent, ab eorum domibus rem familiarem abriperent, magiſtratibuſque traderent diſtrahendam. quæ duæ quidem res uti publice juberentur, ante id tempus nunquam acciderat. Vicetina quidem civitas, reipublicæ difficultatibus permota, ſponte ſua vicenas auri libras dono in ærarium contulit.

1510

Quoniam autem & legati non ſemel ad Senatum ſcripſerant, egere imperatoris reipublicæ exercitum: ſine eo, qui ſummæ rei præſit, omnes indiligentiores & diſſolutiores quotidie fieri, & ipſi per ſe Patres ſingulis horis ea de re admonebantur: ſæpe cum eſſent inter ſe magiſtratus colloquuti, magna eos ambiguitas hæſitatioque diu tenuit; nam quod ex præfectis reipublicæ plures parem fere honoris locum obtinebant, exiſtimabant Patres, in potiore adipiſcendo loco alterum ſibi præferri neminem eorum ſatis æquo animo laturum.

Varia Senatus conſilia de imperatore & copiarum deligendo.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 Tum illud accedebat, quod ipſimet Patres, quis nam illorum eſſet reliquis anteferendus, non diſpiciebant. De externis cum quærerent, plerique in eam ſententiam conveniebant, ut Franciſcus Mantuanorum Princeps, quem habebant in cuſtodia, ei muneri maxime omnium eſſe præficiendus videretur: quod profecto munus & alias apud ipſos geſſiſſet, & nunc eo libentius eoque diligentius ab illo ſuſcipi atque adminiſtrari oporteret; quod ex ipſo carcere atque cuſtodia ad tam amplam dignitatem atque imperium Patrum munere ac liberalitate vocaretur. verum propterea quod annis etiam ſuperioribus ad illud ipſum munus a Senatu revocatus, uti tum a nobis demonſtratum eſt, ſtipendio etiam accepto a republica defecerat, atque ad Maximiliani militiam auctore & conſuaſore Ludovico Sfortia uxoris ſuæ ſororis viro ſe contulerat: idcirco, niſi Senatui ſatiſdaret ſe fidem reipublicæ præſtaturum, omnes una magiſtratus committendum ei eſſe non putabant. Id ut ſciri ab eo poſſet, Lauredanus Patreſque eum ad ſe ſe cum honeſto ſenatorum comitatu e cuſtodia venire voluerunt, amiciſſimeque appellato ſuam ei mentem aperuerunt, Senatuſque conſultum ea de re factum oſtenderunt. Ad quem ille ſermonem inopinata lætitia commotus atque illachrymans, magnas Patribus gratias cum egiſſet, confirmavit filium ſe ſuum Federicum natu majorem ſuæ fidei obſidem reipublicæ daturum: uxorique ſcripturum, ut eum ad legatos eveſtigio mitteret. Quod cum Patribus probaretur, Ludovicum Firmium familiarem ſuum cum mandatis ad uxorem miſit. Illa vero parere viro noluit, neque filium ab ſe dimittere. Alfonſi enim ſoror Gallicis rebus magnopere favebat: quibus fore impedimento, ſi vir imperium a republica oblatum accepiſſet, pro explorato ducebat. ita ea res exitum non habuit. Quamobrem cum Patres iterum de eo eligendo, qui exercitui præeſſet, conſulerentur, magiſtratuſque nonnulli Lucio, nonnulli Gritto legato imperium deferrent, neutra lege ſuffragiis probata Senatus eſt dimiſſus. Quod ubi Grittus reſcivit, Patribus literas dedit, non eſſe e republica ſe, qui non magnum

gnum in re militari uſum haberet, tot fortibus & claris 1510
bello viris, qui in ejus exercitu eſſent, præfici: neque id eos æquo animo laturos: itaque alia omnia cogitarent, ſe ſe nolle imperium cum invidioſum, tum ſuis majus viribus accipere.

Vaniſſa interim, quem Lemniacum profectum dixeramus, cum ſuis æquitibus aliiſque perpaucis, qui ſagittis utebantur, mane prædatum oppido egreſſus, in Veronæ finibus hoſtium Gallorum equites gravis armaturæ plus centum, levioris non plurimos, milites quatercentum nactus, manum cum illis conſeruit. Id dum fit, hoſtes unum ex ejus famulis captum nullo more jugulaverunt. quod Vaniſſa ubi vidit, ſuos cohortatus, uti eam necem vindicarent, ita acriter pugnavit, itaque eum ſui acriter pugnantem imitari ſtuduerunt, ut parvo temporis ſpatio globum hoſtium univerſum disjecerint, ex iis ceperint plus ducentos, quibus omnibus cervices abſciderunt, nemine ſuorum, præter illum unum, deſiderato. ea res magnum illi nomen apud omnem exercitum hoſteſque ipſos attulit. Alfonſus interea coactis cum militibus, tum naviculis, atque in eis tormentis levioribus impoſitis, Venetos, qui minorum in Rhodigianis finibus fluminum ripas cuſtodiebant, depulit. Pauloque poſt, cum Gradonicus nihil non ab hoſtibus veritus Rhodigio relicto ſe in tuta retuliſſet, oppidum vacuum recepit: tantuſque fuit ejus rei terror, cum Galli magna cum manu adventare dicerentur, ut neque auxilia ſubmiſſa ullo in loco conſiſtere, neque Grittus legatus confidere, in quibus erat, caſtris auderet, omneſque omnibus a patribus ſe ſe Patavium Vicetiamque verſus nullis hoſtium inſequentibus tamen reciperent. Deliberatum eſt etiam domi, ut Patavium muniretur, tormentaque ac farinas & vinum Creticum magiſtratus eo mitterent, civeſque in primis Venetos decem, qui urbem cuſtodirent: tum ut reliqui commeatus pabuliique copia in oppidum importaretur, cura adhibita. Datæ quoque a Senatu literæ in Epirum ad ſuos magiſtratus, ut Thraces equites, quos poſſent, republicæ ſtipendio conſcriberent,

Rhodigium a Ferrarienſibus occupatur.

Nova muniendi Patavii conſilia.

Jade-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 Jaderamque mitterent ad urbem transvehendos : id enim regiorum ministrorum voluntate fieri poterat . Latum etiam, ut lex de mercede magistratuum reipublicæ condonanda, in sex menses prorogaretur . Jussus etiam Joannes Franciscus Polanus, qui longis navibus in Istris non segnem operam reipublicæ navabat, ut Fossam Clodiam ad præfectum se classis evestigio reciperet . Quibus intellectis rebus Zoilus Detricus, ex Jaderensi civitate, amantissimus reipublicæ vir, aurum, quod in suos usus domo attulerat, Patribus Principique dono dedit .

Grittus cum exercitu Vicetiam veniens, ad quem civitatis magistratus cum armatorum ex plebe atque agris decem millibus iter faciebat, ut ei opem ferret, ne ab hostibus cladem aliquam acciperet (magni enim de eo rumores afferebantur) cum vellet extra murum castra ponere, ne oneri oppidanis esset, a civibus omnia perpeti reipublicæ causa se se velle pronunciantibus, atque ab illo, uti copias omnes introduceret majorem in modum postulantibus, noctu hilariter in oppidum est receptus : postridieque ejus diei abiens medio fere inter Patavium Vicetiamque itinere consedit, ut utrique urbi, si necessitas urgeret, auxilio esse posset. Patres, ut Vicetinæ civitatis plena fidei ac benivolentiæ officia tanti facere, quanti par erat, viderentur, per literas sibi gratum id fuisse ostenderunt, seque memores ejus rei fore in posterum confirmaverunt. Deinde, cum de Gradonico deque Marcello legatis non commodi sermones jactarentur ; eorum loco est ab iis legatus lectus Paulus Capellus, qui se, cum vellent Patres, profecturum est pollicitus . paucisque post diebus duo sunt sublegati reliquis legatis lecti, Federicus Contarenus, Joannes Diedus : quorum alter senatui paruit, profectusque est : Joannes excusatione valetudinis adhibita domi remansit. Ejus est loco paulo post Sigismundus Caballus sublectus. At Galli Triultio & Palitia & Magistro magno ducibus, audito nostrorum recessu, missis Montanianum paucis equitibus deditione oppidum capiunt, itemque Atesse, tum Coloniam & Leonicænos.

cænos. Cum vero e Carnis nuncii venissent, omnes eo ab 1510
latere hostium regiones in armis esse, cogique milites plerisque in locis : Forojulienses ad Senatum miserunt, velle civitatem sua stipe equites ducentos alere : rogare Senatum, ut Epirotas alteros totidem iis adjungat, quibus se suosque fines tueantur : velle omnes magno animo suam fidem omni cum vitæ periculo Patribus & reipublicæ præstare. atque ita ut fieret, Senatus censuit. Etiam in Illyrico apud Spalathram incursiones & prædæ factæ, abductique pueri & mulieres haud parvo numero . Vicetini destituti ab exercitu, qui se ad Medoacum receperat, cum suis rebus vulgo ad urbem confugiebant : a quibus cum publicani vini portorium exigerent, lata rogatio est, ut sine portorio rerum alendi se causa importandarum Vicetini reciperentur . Pauloque post domus nova Germanorum mercatorum societati publice exædificata, quam inhabitarent, eis tradita. Gallorum duces ad Marcum Marcellum Monsilicensium magistratum miserunt, qui oppidum peterent. Ea intellecta re Grittus legatus cum equitibus levissimis Monsilice contendit : firmatoque præsidiis oppido, præter eos qui ex plebe urbana tum venerant, sua in castra rediit . Citolumque Perusinum cum militibus octingentis Senatu approbante Taurisum misit, qui optime meritæ civitati præsidio esset : eo enim etiam ab latere hostes impetum facturos rumor attulerat .

Germanorum nova domus ædificatur.

Interim missus Lemniacum Baptista Doctus, vir fortis, cum stipe, ne, si oppidum obsideretur, pecunia defensoribus introclusis persolvenda deficeret, ab hostibus in itinere deprehensus vix ægreque fuga se ab illis eripuit, infectaque re cum numis ad legatos rediit . Post hæc cum Julius Pontifex Maximus Franciscum Gonzagam Mantuanorum principem, captivum Senatui commendavisset . Patres in ejus gratiam legem scripserunt, ut si uxor Ludovicum filium Bononiam misisset, Franciscus & libertati restitueretur, & reipublicæ exercitibus præficeretur, imperatorque crearetur, modo Julius puerum ad urbem postea mitteret : quod quidem se receperat facturum . Vicetini,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 tini, ad quos legatorum & exercitus diſceſſu Galli duces miſerant, qui & oppidum & quingentas ab iis auri libras peterent; concilio coacto, curatiſque eveſtigio libris auri quinquaginta, alteris totidiem pollicitis, ſe ſe eis dediderunt, militibus perpluribus receptis, quos illi Verona evocaverant. eorum exercitus in oppidi agrum ſe conferens, ad Barbaranum in collibus vicum caſtra poſuit. Eſt in Vicetinis montibus Patavium verſus concameratio, antiquitus effodiendis ad ædificationes lapidibus facta, ingentis magnitudinis, ut terna millia paſſuum introrſus pertineat. in eam perfugii cauſa, quod os anguſtum habet, atque id unum tantum, ut facile defendi poſſe videatur, hoſtibus appropinquantibus eorum finium incolæ cum uxoribus & liberis & ætate confectis prope ad ſex mille ſe abdiderunt. eos cum expugnare Galli non poſſent, tametſi perfractis & dejectis objicibus ſe intuliſſent: loco enim perobſcuro, & viarum flexionibus cum ambiguis tum innumerabilibus, aqua etiam, quæ in eo ſpecu ſtagni inſtar eſt, muniebantur: plurima ſtipula interne ſuccenſa magnum eorum numerum fumo cameras implente interfecerunt. At in Carnis Aloiſius Delphinus legatus cum intellexiſſet præmiſſos hoſtium antecurſores centum e Montis Falconis planitie prædas agere: ſuis militibus ſequi ſe juſſis, cum equitibus leviſſimis quinquaginta itinere celeriter confecto, illos qui ſe in inſidiis non magna in ſylva occultaverant, aggreſſus, partem eorum interfecit, partem cepit: reliqui vulneribus acceptis fuga ſe ad ſuos retulerunt. Legatus Sontio flumine trajecto, hoſtes, qui fuga ſuorum & cæde audita magna cum manu ad illum intercipiendum contendebant, e ripa ſagittis & pilis ferreis a fluminis tranſitu prohibuit, indeque ſe cum ſuis omnibus incolumibus Gradiſcas recepit.

Vicetini Gallis ſe dedunt.

In Patavinis autem finibus, quod hoſtium equites adventare nunciatum eſt, præmiſſi a Gritto legato equites leviſſimi in eos venientes, qui quidem erant ſexcenti, impetu facto non paucos interfecerunt, centum captivos fecerunt. Duces eorum Ludovicus & Federicus Gonzaga fra-

fratres, qui Bozolum oppidum in Mantuæ finibus obtinebant, ſe a victoribus equorum pernicitate vix ægreque ſubripuerunt. Alio ab latere Vaniſſa, Citadella (quod ad oppidum Lemniaco venerat) non ſemel egreſſus, Germanorum manum ex Alpibus demiſſam, ut incurſiones faceret, binis cladibus disjecit, interfectis perplurimis. Inter hæc paulum lætitiæ habentia magnam Patribus moleſtiam attulit Lemniacum captum. nam quod eſt ipſum in dextra Atheſis ripa, ſic ut magna ex parte flumine abluatur, Galli altera in ripa caſtello, quod e regione Lemniaci eſt, capto, ingenti tormentorum vi dies aliquot oppidum verberaverunt. Id cum parum profuiſſet, ratibus flumen trajecerunt, tribuſque a partibus tormentis poſitis murum labore continenti dejicere inſtiterunt, ut ii, qui erant in oppido atque in arce magiſtratus præfectique, timore non magnopere neceſſario perculſi, oppidum primum, deinde arcem ſe ſeque dederent. oppidani direpti, milites armis ſpoliati & dimiſſi: ipſi uni cum magiſtris tormentorum ſunt captivi facti. Eodem fere tempore Julius certior factus Cardinalem Rotomagenſem in Gallia mortem obiiſſe, incredibili lætitia eſt affectus: illo enim vivo hoſtem magna auctoritate nunquam ſibi defuturum ſciebat. quam quidem lætitiam cum legato Veneto de communibus agens rebus haud obſcure præ ſe tulit: gratulatuſque ei eſt, nihil omnino commodius, nihil amicius de Cardinalis in rempublicam animo plane ſentiens. Is auri libras ter mille ſignatæ pecuniæ teſtamento legaverat: quas omnino Julius ea de cauſa, quod legari jure non potuerint, ſibi dari poſtulavit, fruſtratuſque ea poſtulatione eſt: nihil enim profecit. Cives autem e nobilitate Veneta quatuor, & Joannes Jacobus Caroldius Senatus ſententia, qui captivi in Flaminia ſuperiore anno facti in Romani agri arce cuſtodiebantur, a Julio dimiſſi ad urbem redierunt. Joannesque Paulus Manfronius ab hoſtibus eſt ad Grittum miſſus, Bonvicinii Galli, quem captivum noſtri fecerant, tum ad Gallos item miſſi loco. cui Senatus paulo poſt equitum cataphractorum centum quinquaginta ſtipendium conſtituit, cum

1510 *Lemniacum a Gallis capitur kal. jun.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 cum librarum auri ſex penſione annua, præter illud. Ejus quoque filio ſtipendium in equites ſagittarios LX. datum. Julius ægre ferens Gallos in reipublicæ locis proſpere verſari, & cum vicinis ei regibus pollere, legato reipublicæ propoſuit, ſe cum Helvetiis fœdus initurum, ut ſex eorum millia a Belinzonæ oppidi finibus regi bellum inferant, quo ille ſuas copias revocare Mediolanum cogatur: modo Senatus partem mediam ſtipendiorum perſolvat: eaque confecta re ſuas ei copias attribuat ad Ferrariam capiendam. Senatus ad hæc legato ſcripſit, Julio ſtipendium ad tertiam Helvetiorum partem polliceatur: quo ſi contentus non erit, etiam ad mediam deſcendat, ut ei plane ſatisfiat. de altera vero poſtulatione, cum Galli abierint, facturum Senatum quæ juſſerit. Poſtea vero nolentibus Helvetiis tam parva manu domo exire, petentibuſque ut X. eorum millia ſaltem Julius conduceret; inter ipſos ut octona millia ſcriberentur, lex eſt inita. Ex univerſo ſtipendio Donatus legatus pactus cum Julio eſt, ut a Senatu triginta auri libræ menſibus ſingulis penderentur: numique Romam per chirographa miſſi.

Helvetii milites a Julio & Venetis conducuntur.

Vaniſſa Thraceſque cum præfectis turmiſque leviorum equitum pleriſque contra Germanos Vicetia egreſſos agrumque populantes a Gritto juſſi contendere, cæteris, cum nulli occurriſſent, revertentibus, longius progreſſi eoſque conſequuti commiſſo prælio CC. ex iis interfecerunt, & prædam, quam abigebant, earum rerum dominis reſtituerunt. duobuſque poſt diebus idem prope facinus & auſi ſunt, & perfecerunt, CL. ex hoſtibus interfectis, captis non paucis. tametſi eodem tempore aliis etiam in Venetorum finium locis cædes hoſtium a noſtris equitibus factæ nunciabantur. Nunciatum eſt etiam in Pharo Illyrici inſula, ob primorum quorundam juvenum in agreſtes mulieres audacem incontinentiam, plebem ad arma incitatam, nonnullos ex nobilitate interfeciſſe, alios oppido expuliſſe: parem ſe ſe nobilibus in regenda civitate fieri eſſeque voluiſſe: eos tamen animorum plebis motus, Hieronymi Contareni claſſis præfecti, qui eo peropportune ſe contulit,

lit, edictis ſeverioribus interpoſitis ad priſtinam concordiam redactos fuiſſe: magnumque eo in oppido exortum bellum ejus hominis adventum ſedaviſſe. Nunciatum quoque, in Creta inſula triremes ſeptem inſtructas Corcyram brevi venturas: earum uni Hieronymum Georgium e colonia Cretenſi præfectum ſua pecunia remiges & milites impoſuiſſe, cujus pater plurima in rempublicam officia bellis ſuperioribus contulerit. Ei non multo poſt ob hæc ipſa in rempublicam ſtudia Senatuſconſulto permiſſum eſt, ut quotieſcunque voluerit triremi præeſſe, liceat priori ſemper loco: immunem præterea tributorum illum poſteroſque ejus eſſe fructuum ſuarum poſſeſſionum cauſa. tum ut militiæ inſignia ei dentur, cum ad urbem venerit, eadem lege Patres ſtatuerunt: literaſque iis de rebus ad magiſtratus Cretenſes dederunt, teſtes perpetuas Senatus in illum voluntatis. Miſerant paulo ante Ferrariam decemvirum magiſtri Petrum Vampum e plebe hominem, qui ſe obtulerat claſſem ex Venetis navibus in flumine oppidi mœnia præterlabente cuſtoditam ſuccenſurum: ſed illum ſocii facinoris indicio proditum Ferrarienſes interfecerunt. Ea re ad decemviros delata, tribus Vampi filiabus parvulis victus eſt annuus e publica collegii pecunia cum domo, quam inhabitarent, dono datus, & dos, cum adoleverint, ſingulis auri ſeſquilibra conſtituta. Mulieri etiam viduæ Corcyrenſi, cujus vir in Fluminis oppidi Iſtrici oppugnatione interfectus fuerat, pecunia in victum annuum dari ab ejus inſulæ quæſtoribus imperata. Sub hæc Laurentius e gente Urſinorum, qui Cere oppidum obtinebat, mutatis jumentis Roma ad urbem venit: Patribuſque ſalutatis ſe ſe obtulit eorum militiam facturum, dixitque id ſibi Julium uti faceret permiſiſſe: ſuum comitatum equitum centum brevi affuturum: qua vellent conditione ſe uterentur: nihil ipſum ſibi præcipuum petere, nihil recuſare. qua quidem oratione libentiſſime audita, omnibus illum laudibus cumulatum Patres excepere, atque uti ad exercitum ſe conferret, ab eo petiverunt; quod exiſtimarent ſuo illum conſilio legatis uſui magnopere futurum. Interea, dum ſui equi-

Senatus Veneti liberalitas.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 equites adveniunt. & quoniam ſine armis venerat, ex comitii armamentario legendi ſibi arma poteſtatem ei fecerunt: quod externo ante id tempus contigerat nulli.

His ita conſtitutis rebus, quod ſuſpicio Patres tenuit, propterea quod in Patavio muniendo nihil non curæ diligentiæque adhibuiſſent, foſſas purgaviſſent, muros propugnaculaque firmaviſſent, omnis generis commeatum, magnam tormentorum vim importari mandaviſſent, molas frumentarias perplures, quæ ſine aqua uſui eſſent, ædificari curaviſſent, cives e nobilitate, uti ſuperiore anno fecerant, portis & mœnibus & foro præpoſuiſſent; fore uti Patavio relicto hoſtes ad Tauriſum obſidendum accederent, quod minus in ea oppugnatione ſe laboris confiderent habituros: Senatus cenſuit, ut milites quatuor mille confeſtim undecunque ſcriberentur, atque iis Patrum collegium legeret qui præeſſent, Chiriæumque Burgium in primis, quem ſibi unum a Manfronio commendatum, atque omnibus ornatum virtutis induſtriæque laudibus illis diebus cohorti eſſe præponendum ſtatuiſſent. Federicus Contarenus ſublegatus, Citadellæ qui erat, cum Epirotis CC. egreſſus hoſtium Gallorum turmam, quæ prædatum ad Medoaci ripas venerat, disjecit, atque ex illis quinquaginta cum eorum præfecto captivos fecit. Germani etiam, cum ad Cluſæ fines in primis Alpibus veniſſent, Hieronymi Saorniani adventu perterriti confeſtim receſſerunt. Hoſtium autem univerſo exercitu Citadellam verſus accedente, Vaniſſaque & Thracibus, qui ſe illi obviam longius provexerant, ab eo cum cæde repulſis, Contarenus ſublegatus & Alexander Bigolinus oppidi retinendi ſpe depoſita, præſidiis abductis Patavium ſunt profecti. pauloque poſt, cum Galli propius Venetos ad Limen ſe caſtellum contuliſſent, ponteſque duos in Medoaco facere cœpiſſent, ut exercitum reipublicæ aggredi commodius poſſent: legati concilio præfectorum coacto, non eſſe Gallos expectandos ſtatuerunt, ſeque bene mane quarto calendas julias omni cum exercitu Patavium intulerunt. quos magna agreſtium hominum multitudo cum uxoribus & liberis ſubſequuta, in oppi-

oppidum recepta eſt, civibuſque diſpertita, apud quos eſſet, proque cujuſque facultatibus aleretur. Verum enimvero cum paulo poſt hoſtium exercitus Baſſianum verſus ſe promoviſſet, Senatus iterum Tauriſo veritus, Joannem Diedum ex Veneta nobilitate virum fortem militaribuſque rebus aſſuetum, qui Patavii erat, eo legatum miſerunt, ut una cum Mocenico belli rebus præeſſet. qui quidem Joannes eo rejecto ſtipendio, quod ei Patres muneri obeundo decreverant, ſua impenſa reipublicæ laboranti operam ſe daturum proficiſcens eſt pollicitus. militeſque item quingenti, equites leviſſimi CC. a legatis Patavio Tauriſum miſſi. 1510

Erant autem in hoſtium exercitu Galli equites gravioris armaturæ mille CC. levioris aliquanto plures, Germani fere alteri totidem, ex æquo tamen inter ſe numero: milites in utriſque circiter undecim millia: ſed ex iis Germanorum duplo fere major, quam Gallorum numerus erat: præterque hos Alfonſus Ferrarienſium princeps cum equitibus CC. Is exercitus depopulatis reipublicæ agris illorum finium, Caſtellum Novum, quod eſt in Alpibus, profectus, paucis defendentibus oppidum cepit, diripuit, incendit, ut nihil ex eo neque domorum, neque templorum, uno fano excepto, non ardens dirutumque ſit relictum. Idem poſt Feltria paſta eſt in majorem ſui partem, ut a priore vaſtitate ſuperfuerat, aut cives eam reſtituerant. Cividale quoque Belunianum parvo negotio captum, cum civitas oppidum, uti Feltriæ acciderat, incendi nollet. Itemque Scala: nam qui eam defendebant, primis tormentorum pilis in eos jactis & centurione interfecto, deditionem fecerunt. Eodem tempore in Juſtinopolitanorum finibus milites reipublicæ circiter quadringenti equitesque aliquot inſidiis ab hoſtibus diſpoſitis capti ad ſeptuaginta, interfecti ad X. pœnas imprudentiæ dederunt. Inter has bellicorum eventuum auditiones Catherina Cornelia, quæ Cyprii regis uxor fuerat, de qua in horum commentariorum priore libro ſcripſimus, ſexto nonas julias ſtomachi vitio in

Hoſtium copiæ.

Catharinæ Corneliæ, Cypri reginæ, obitus, & funera.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 in urbe mortem obiit, annum agens quartum & quinquagesimum : elataque est a Patribus magna frequentia civitatis e Cassiani ad Apostolorum fanum ponte navibus impositio, quo ad minuendum viæ spatium aqua, quam *Canalem magnum* appellant, transmittenda duceretur : atque ab Andrea Naugerio laudata . eoque postea in fano Georgius Cornelius frater templi Marcii procurator sepulcrum marmoreum cum ædicula sorori optime de se meritæ faciendum curavit.

Interim quoniam Julii postulatione, ut classis reipublicæ ad Genuam a Gallis avertendam in mare Superum vela facere juberetur, ab decemviris, qui eam dies aliquot suo in collegio continuerant, superiore desinente mense ad Senatum prolata, Senatusconsultum factum fuerat ; triremes duodecim, & biremem unam, quæ Corcyræ essent, Centumcellas celeriter mitti oportere, quæ Julio præsto essent : alterum Senatusconsultum factum est ; dandas esse Julio literas, quibus certior fieret, naves triremes majores duas ex iis, quas nothas appellant, & minorem unam, quæ ad urbem sint, Senatum armari confestim jussisse, ut Centumcellas classi priori submitterentur . Hæc ea re a Patribus fiebant, ut Julii animum, quem experti fuerant & superbum & perferocem esse, his officiis delinitum procliviorem haberent ad bellum Gallis & Alfonso inferendum . quæ quidem ei gratissima acciderunt . Sed cum videret classis adventum tardiorem expectatione sua esse : moræ impatiens legato reipublicæ accersito dixit, statuisse se tribus cum longis navibus Genuam aggredi : misisse Viam regiam Marcum Antonium Columnam : missurum cras Octavianum Fregosium, Franciſci Mariæ Metaurensium ducis fratris sui filii consobrinum, magna adolescentem virtute, magna inter cives suos auctoritate, propter factiones, quas majores sui vetusto more civitatis exercuerant : qui quoniam quartana esset implicitus, petere a Senatu, ut & ipse Janem Fregosium confestim eodem mittat, ut una cum illo rem juvet . Quibus de rebus

rebus Patres acceptis a legato literis, Jani Patavio evocato Julii petitionem ostenderunt. atque is Patribus hortantibus libenti animo statim conscendens Ravennam est profectus, ut inde pedibus mutatis jumentis Viam regiam contenderet . 1510

Sub hæc equites Hispani gravioris armaturæ quatercenti Vicetiæ appropinquaverant, ut cum hostibus reipublicæ se conjungerent : tametsi Julius Donato legato pollicitus fuisset, id illos non facturos : ita sibi cum Ferdinandi regis legato convenisse : a quo publice illis ipsis diebus tributi nomine pro regni Neapolitani permissione equum album acceperat, quem quidem ea conditione sublata non fuisset accepturus . Idem Julius Troilo Sabello petenti, ut ejus voluntate ad reipublicæ stipendia facienda conferre se se posset, libenti animo permisit. Lecabuas interea Epirota triginta equitum præfectus, Patavii qui erat, ab agrestibus admonitus, citra Medoacum, quem magna hostium exercitus pars trajecerat, certo in pago equites Germanos fere centum divertisse, indiligenterque ibi & incustodite versari : eo profectus, atque illos improviso aggressus, cum unum ex ejus turma temere progressum hostes interfecissent, ipse reliquique tam acriter in illos impetum fecerunt, ut quadraginta ex eis interfectis, quinque decim captis, equis abductis, se Patavium cum præda victor receperit. Patres, quibus Julius non semel auctor fuisset, ut Franciscum Mantuanorum principem minum facerent, demum etiam ut ad se se mitterent, se illum recturum, & in officio contenturum, atque ita Mantuam in Gallorum partibus non futuram : Donato legato scripserunt, se se Julio obtemperaturos, atque illum in trireme Ariminum missuros : tametsi propterea quod imperatoris magnopere indigebat reipublicæ exercitus, cogitaverat Senatus illum suis copiis præficere. itaque Franciscus postridie custodia eductus, atque inter Patres per forum ad aquam perductus, una cum Bartholomæo Contareno, Daniele Vendramino, quos ei Principis collegium comites & curatores dederat, Ariminum usque,

Franciscus Gonzaga custodia educitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 que, conſcendens eſt profectus . Equites , quibus Janes Fregoſius præerat , qui quidem erant ii , quos ſtipendiarios habuerat Nicolaus imperator , Senatuſconſulto attributi ſunt Laurentio , qui Cere obtinebat , uſque ad Janis ad urbem reditum : ſuuſque ipſi equitum centum quinquaginta gravis armaturæ conſtitutus numerus , cum auri libra in victum menſibus ſingulis . Pauloque Manfronio ejuſdem generis equitum auctus numerus ad centum . Quodque hoſtium exercitus una cum equitibus Hiſpanis , de quibus ſupra diximus , Patavio appropinquaverat , ut omnes crederent eum ad oppidi mœnia venturum : neque deerat ſuſpicio ab amicis reipublicæ ad legatos delata , ex iis qui Patavium cuſtodiebant , nonnullos cum hoſtibus conſenſiſſe , oppidique portam eis tradituros : eodem ſenatuſconſulto juſſum , ut præter Citolum Peruſinum cum ſua cohorte , equites peditesque univerſi , qui Tauriſi eſſent , & tormentorum magiſtri , ſine mora Patavium proficiſcerentur . utque legatis pecunia ſuppeteret , præter eas quas ſuperioribus diebus ſæpe miſerant , centum auri libræ a civibus mutuo acceptæ ſunt ad illos miſſæ . Eo in tumultu quod Angelus Triviſanus , qui ob claſſem in Pado amiſſam in exilium miſſus fuerat , reipublicæ eſt pollicitus , ſe Patavium cum militibus centum quinquaginta iturum , eique urbi præſidio menſem totum ſua impenſa futurum , ſi reſtituatur : lex eſt in comitio perlata , ea illum conditione ab exilio revocari reipublicæ placere . atque is intra biduum eo cum militum numero ſe in oppidum intulit . Philippum quoque Maurocenum , quem quidem ob vulneratum ab eo Robertum Maurocenum conſobrinum ſuum XL. viri in carcerem conjecerant , auri libris X. in ærarium illatis decemviri libertati & civitati reſtituerunt .

Angelus Triviſanus ab exilio revocatur.

Hoſtes cum dies aliquot de adventu ſuo Patavium ſuſpenſum tenuiſſent , Monſilice ſunt profecti , tormentiſque poſitis oppidum verberare occœperunt , muroſque duabus a partibus dejecerunt . Interim Epirotæ XX. Pata-

Patavio emiſſi omnemque agrum percurrentes , Sonzinum Benzonium , qui ſe ad hoſtium exercitum Verona conferebat , quorum erat rei frumentariæ procurator , in itinere receperunt non longe a Montaniano , cum equitibus paucis & jumentis ſarcinariis pleriſque , & captum Patavium adduxerunt . quem quidem hominem , propterea quod cum civitate & jure comitiorum majoribus ſuis tradito frueretur , & præterea ſtipendia reipublicæ faceret , plane Senatui chariſſimus , anno ſuperiore in clade exercitus Cremam a legato miſſus id oppidum Gallis hoſtibus tradiderat ; poſteaque ſemper bellum reipublicæ fecerat ; legati laqueo gula fracta vetuſto in proditores exemplo pedibus ſuſpendi mandaverunt . Stanio Clementi Epirotæ & tribus ejus equitibus , qui Sonzinum ceperant , penſiones ſunt annuæ omnibus ſuffragiis a Senatu dono datæ : ipſi uni & militiæ inſignia , & veſtis aurea ſuperaddita . Conſtantinus Arenites Epirota Maximiliano Julioque charus ; ab Julio ad Maximilianum miſſus , ut illum reipublicæ placaret , pacemque ac fœdus inter eos conficeret , Roma Venetias venit ea in triremi , quæ Franciſcum Mantuanorum principem Ariminum adduxerat : Lauredanoque & Patribus ſalutatis , atque ab iis liberaliter acceptus , aurique libris quatuor & equo peregregio donatus , Tauriſum atque inde in Alpes contendit . Dionyſius Naldius Faventinus militum reipublicæ præfectus vir fortis , complures dies febribus non remittentibus vexatus , atque ad urbem delatus , morbo cedens periit . cadaver in æde Gemellorum apud imperatoris Nicolai cadaver poſitum . domus fundique a republica illi , quoad viveret , dono dati , ut ad ejus filiam , quam unam puellam reliquerat , tranſirent , Senatus cenſuit . Dionyſii milites Vincentio Naldio ejus conſobrino ſunt traditi , ut , quod erant plerique Faventini , facilius ob illo regerentur . Inter hæc Monſilice ab hoſtibus capitur . Ea in re Palitiæ Galli opera egregia fuit . is enim pedes in primis cum ſuis per eam muri partem , quam tormenta dejecerant ,

1510 *Sonzinus Benzonius capitur XIII. cal. aug.*

Benzonii ſupplicium XI. cal. aug.

Dionyſii Naldii obitus IX. cal. aug.

Monſilice ab hoſtibus capitur XI. cal. aug.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 rant, irrumpens occaſionem reliquis dedit, ut omnes una propugnatoribus dejectis in oppidum ſe inferrent. Hiſpani ab alia muri diruti parte idem & ipſi fecerunt, neque ſe a Gallis virtute ſuperari permiſerunt. Tormenta ejuſmodi rotis erant impoſita, ut ab extrema parte ad terram prona fieri, a priore in faſtigium erigi nullo negotio poſſent ad pilas in ſublime ejiciendas. ea ſic aptata uſui magnopere fuerunt. cædes eſt ab hoſtibus ingens atque indiſcrete facta: tametſi etiam ex ipſis ceciderunt non ſane pauci. Arx uſque ad noctem defenſa eſt. Sebaſtianum Naugerium oppidi præfectum, ab Hiſpano captum milite ignaro quiſnam eſſet, cum ei pollicitus fuiſſet auri libram, uti ſe redimeret, daturum, Vaſcones eam rem improbantes interfecerunt. Arcis item præfectus cum centurionibus & militibus permultis interiit. Hoſtium exercitus timore agreſtes eorum finium ad millia duodecim Foſſam Clodiam profugerunt: quibus ea civitas, uti poterat, e publica pecunia in victum eſt elargita.

Joannes Sfortia, qui Piſaurum obtinebat, illis diebus ſuo in oppido mortuus filium reliquit, quem Junipera Matthæi Teupoli civis Veneti filia uxor ſex menſes ante patris mortem pepererat. Galeatius frater nothus ex ejus teſtamento regnum adminiſtrandum iniit, literaſque ad Senatum ea de re dedit. Hoſtes commeatus inopia prope coacti Monſilice abierunt Montanianum & Lemniacum verſus, abeunteſque arcem incenderunt. Id incendium ab iis qui Patavii erant facile conſpectum, eorum abitus indicium fuit. Monſilice capto, quod Julius miſſis in Ferrarienſium fines ſuis copiis aliquot caſtella jam ceperat, Alfonſus cum Gallis equitibus CCC. præter ſuos, & Hiſpanis militibus non plurimis, & ſuis cum tormentis domum rediit ad bellum Julianum propulſandum. Et Chiriacus Burgius cum ſexcentis militibus ex Apennini jugis vallibuſque ad reipublicæ ſtipendia ſe ſe conferens Foſſam Clodiam venerat. Patres ſæpe conſulti quiſnam eſſet ad copiarum reipublicæ imperium præfectis reliquis ante-

Julius pp. Alfonſo bellum infert.

anteferendus, ſententiaque legatorum ea de re per literas non ſemel cognita, Lucium Bononienſem declaraverunt, exercituique præfecerunt: cui libras auri duas in victum ſingulis menſibus præter eam ſtipem, quam antea Senatus ei conſtituerat, addiderunt. Lecti poſtea ſunt a Principis collegio, qui ei vexillum & ſceptrum, ejus imperii inſignia, Patavium afferrent, Laurentius Orius, Petrus Maurocenus, ambo ex quinqueviris adoleſcentioribus, qui rebus bellicis maritimis in Senatu tractandis præficiuntur. Literas etiam Patres Romam ad legatum dederunt, quibus a Julio petebant, ut Joanni Paulo Balioni Peruſino permitteret, ut ejus voluntate reipublicæ ſtipendia facere poſſet: idque ſunt facillime conſequuti. Pauciſque poſt diebus Martini Burgii & Philippi Græci centurionum, qui Monſilice interfecti fuerant, liberis & ii ſunt fundi dono dati, quos Senatus eorum antea patribus dederat: & militum numerus cum ſtipendio attributus. Atque in comitio Michael Naugerius Sebaſtiani Naugerii item interfecti pater, in filii mortis ſolatium omnibus ſuffragiis triumvir proventibus reipublicæ procurandis eſt declaratus. Lex etiam perlata, quam quidem menſes aliquot antea Senatus cenſuerat, ut ſexviri ſale procurando ad quatuor redigerentur: iſque poſtea numerus magiſtratuum in eo collegio fuit.

1510 *Lucius Malvetius Venetarum copiarum imperator.*

Sexviri rei ſalariæ ad quatuor redeuntur.

Jamque ad nihilum conatus Juliani reciderant in Genuenſium civitate a Gallorum dominatione vendicanda: cum ſe illi, antequam & reipublicæ claſſis & terreſtres Julii non magnæ copiæ ad eos fines accederent, & claſſe & militibus peropportune muniiſſent. Ea in re tentanda Joannes Franciſcus Polanus triremis reipublicæ præfectus pila ferrea percuſſus interiit. Neque non tamen Hieronymi Contareni præfecti claſſis induſtria omnibus in rebus diligens, quantum eſſe potuit, fuit. Itaque infecta re Marcum Antonium Columnam & Fregoſios et majorem militum partem ſuis in navibus recipiens, Centumcellas rediit, indeque ad urbem pedibus Julii vocatu ſe ſe contulit. atque ab eo liberaliter acceptus, epuliſque adhi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 adhibitus, & ſtipe ad panem remigum donatus auri libris duabus, juſſus eſt claſſem, & militum manum longe numeroſiorem ad rem iterum tentandam propediem conficere: ſuaque illi Julius conſilia patefecit. atque ad naves longas majores reipublicæ de quibus ſupra dictum eſt, celeriter accerſendas tabellarium cum literis Corcyram miſit. Eo fere tempore Uladislaus Pannoniæ rex Ludovici Gallorum regis & Maximiliani aſſiduis hortationibus petitionibuſque permotus, in ſuorum principum concilium Petro Paſcalico legato reipublicæ adhibito propoſuit, ſtatuiſſe ſe bellum reipublicæ inferre, niſi Dalmatas ſuos quondam populos ſibi reſtituat: nolle ſe ulterius ea ditione, quæ majorum ſuorum fuerit, carere: ſi reſpublica ſua voluntate eam tradat, ſe illi amicum futurum: ſin bellum malit, cito eam cognituram, quam præſtet pacate reſtituere, quod retineri bello non poſſit. Legatus, cum vellet pro Senatu verba facere, reique publicæ cauſam tueri, ab illis eſt prohibitus. itaque, quod unum in ſua eſſet poteſtate, ſe de eo Patres certiores facturum dixit: tempus petere, ut quid ad ea reſpondeant, ſciri poſſit. Eo concilio dimiſſo, fuere nonnulli ex iis ipſis qui in concilio fuerant, qui ſecreto ad legatum detulerunt; bono animo eſſet; bellum regem facere non poſſe, quod numi non ſuppeterent: ſatisfactum ea denunciatione cum regibus petentibus, tum principibus aliquot Pannonicis, quos ſuæ ipſorum cupiditates impellebant, ut bellum ſuaderent: ſed re nullum fore bellum. quod ita eſſe poſtea eventu ipſo patuit.

Pannon Venetis bellum minatur, niſi Dalmatiæ oppida reſtituant.

Hoſtium autem, qui Monſilice abierant, pars Vicetiam profecti, tormenta, quæ priore adventu in oppidum intulerant, ibique reliquerant, abſtulerunt. Germani Vaſconeſque, quos adibant pagos villaſque, incendiorum vaſtitate plerunque fœdatas relinquebant. Galli cum vellent a reliquo exercitu recedere Mediolanum verſus, ab rege literas acceperunt, quibus in literis jubebantur, duos etiam menſes cum Germanis belli fortunam experiri. Cives Veneti, qui miſſu Patrum Patavii

tavii portis & mœnibus præfuerant, a legatis ſunt dimiſſi. Ex iis Angelus Quirinus legatorum ad Patres literis laudatus; quod magna diligentia cum eo comitatu, quem adduxerat, in ſua tuenda porta eſſet uſus, ſine ulla præterea ſtipe reipublicæ, quam reliqui omnes accepiſſent, ſed impenſa unius ſua; ad Lauredanum Principem & ad Patrum collegium domum rediens cum ſe, ut mos erat, contuliſſet, ſuæ in rempublicam liberalitatis & virtutis fructum tulit, ipſorum & totius civitatis in ſe ſe benivolentiam. Citadella, Baſſianum, Aſulum, poſt hoſtium abitum non magno ſunt negotio recepta: Maroſtica etiam, ſed difficilius aliquanto, arce tormentis expugnata, captique in ea Germani milites cum eorum centurione non pauci, & inermes omnes dimiſſi. capti & Tauriſani rebelles aliquot, atque a Mocenico legato, qui aderat, ſupplicio affecti. Interim Troilus Sabellus ex Romanis principibus reipublicæ militiam facturus ad urbem venit, cum in itinere equites ſeptuaginta reliquiſſet. eum Patres liberaliter exceperunt. Iidem Patres Joanni Beltramio Hiſpano mercatori ſane induſtrio, qui ob Julianas interminationes Ferrariam ab urbe ſe contulerat, petenti ut tutum ſe liberoſque ſuos facerent ab iis tributis, quæ ſunt ab ipſis ante eum diem in ærarium inferri juſſa, ita ſe in urbem reverſurum, neque poſtea diſceſſurum: libenter annuerunt: literaſque ad illum ejus rei obſides dederunt.

1510 *Maroſtica recipitur prid. id. aug.*

Julius autem magnopere in Alfonſum incenſus, expugnatis oppidis nonnullis ab ejus copiarum imperatore adoleſcente Franciſco Maria Metaurenſium duce, & Joanne Paulo Balione equitum præfecto, in primis ab Ravenna Faventiaque finibus, a Senatu petiit, ut ſuos equites leviſſimos & ipſe ab alio finium latere in eius regnum prædabundos immitteret. atque ipſe primum Romæ in Cardinalium collegio edictum in Alfonſum promulgavit, in quo rebellem illum in ſe ſe Romanamque rempublicam ſæpe appellabat: deinde id edictum & in valvis templorum Romæ affigi, & Bononiæ in foro recita-

Julii edictum adverſus Alfonſum IIII. id. aug.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 citari, perque orbem terrarum vulgatis impreſſione tabulis omnibus in urbibus atque locis proponi atque appendi mandavit. Præter hæc augendo eo, quem in illius fines induxerat exercitu, duo alia Helvetiorum millia ſtipendio ad eos miſſo per ſuos internuncios accerſivit. Minis etiam & maledictis Aloiſium Gallorum regem omnibus in ſermonibus quotidie inſectabatur, onerabatque perfidiæ in Chriſti vicarios nota, quorum ipſe tutelam & propugnationem clariſſimo vocabulo præ ſe ferret; perterrere illum volens, ne ulterius Alfonſum tueretur, miſſaque ad illum auxilia ſua revocaret. Quibus de rebus Aloiſius certior factus, animum prope induxerat, ut ſe ab Alfonſo defendendo abſtineret: præſertim quod ejus uxor Anna regina, optima ſanctiſſimaque fœmina, quæ prægnans tunc erat, magnopere virum quotidianis precibus obteſtabatur, ne arma in Romanum Pontificem exerceret: exiſtimare ſe ſe, ventrem, quem ferebat, aliter proſpere ſe non geſtaturam. vehementiſſime autem rex cupiebat prolem, quam adhuc nullam habebat, ex ea ſuſcipere.

Alienandæ vero ab Aloiſio Genuenſium civitatis cogitationem Julius non modo non abjecerat, non proſpero eventu rerum deterritus, ſed etiam auxerat, ardentior repulſa irritatiorque factus. itaque ad naves duas onerarias maximas conducendas atque armandas & ad claſſem reliquam addendas Neapolim miſit: Helvetioſque priore a ſe ſtipendio in regis fines impulſos, ad Genuam expugnandam eſſe adducendos cogitavit. quas ad res id ei etiam animos addiderat, quod pleroſque ex iis, qui Romæ erant ſacerdotes magnis theſauris prædiți, ea æſtate mors abſtulerat: quibus theſauris jure ad ſe redeuntibus ditior factus, fortunam ipſam favere ſuis rebus cogitationibuſque dictitabat, planeque gloriabatur. Senatus autem, uti Julio ſatisfieret, naves triremes duas & biremes aliaque navigia perplura armari, Marcoque Antonio Contareno, qui ad Foſſam Clodiam cum triremi una erat, mitti oportere legem ſcivit: quam ille claſ-

claſſem Pado flumine in Alfonſi fines induceret. edi- 1510
ctumque in foro proponi juſſit: qui prædam vellent in Alfonſi finibus facere, per rempublicam licere, dum ab incendiis prorſus abſtineant. quamobrem ducentæ fere privatorum hominum naviculæ paulo poſt ſe ad præfectos reipublicæ in Pado contulerunt. Vincentium etiam Guidotium ſcribam ſuum Bononiam miſit, ut apud Cardinalem Papienſem, qui ampliſſima cum poteſtate ei urbi & toti Flaminiæ rebuſque in bellum adminiſtrandis præerat, reipublicæ nomine eſſet: ita enim Julius petierat. Eodem tempore ab legatis Patavio Senatus juſſu equites leviores CC. cum militibus CCCC. Leonardo Apulo & Meleagro Forolivienſi ducibus in Rhodigianos fines miſſi: & triremes nothæ duæ, atque una levioris generis, cui Franciſcus Cornelius Georgii filius præerat, Hoſtiam appulerunt, deindeque cum reliqua ſe claſſe Centumcellis conjunxerunt. & Hieronymus Contarenus, vexillo cum clavibus & corona triplici ab Julio cupide ad ſe miſſo, ut ea ſui etiam juris eſſe claſſis videretur, una cum vexillo reipublicæ Patribus permittentibus deinceps eſt uſus cum fœderis præfecti nomine: Francumque Ghibertum unum ex iis, qui ærarii Romani cauſas adminiſtrant, quem Julius præfecti ſocium eſſe voluit, ut ita maxime ei claſſi ſuam auctoritatem impertiret, apud ſe ſua in triremi habuit. eum Ghibertum cum Julius in collegio Cardinalium ad id munus publice legeret, ad Gallos Italia expellendos, remque Venetam juvandam, ſe is legere palam dixit. Poſt hæc ad Contarenum miſit, ut claſſem Hoſtiam adduceret: quam cum diligenter inſpexiſſet, ampliterque probaviſſet: vini Corſi carros ſexdecim, boves ſexdecim (tot enim erant naves) hircos genitalibus defectis bis totidem panis cum ſemel cocti tum bis cocti magnum numerum ei dono in claſſem miſit: cumque ea claſſe poſtridie ſua in triremi Centumcellas eſt profectus. Eo deinde Viterbium petente Contarenus ſuos remiges ſocioſque cum tentaſ valetudine videret,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 deret, per Senenſium portus, qui eo in tractu maris ſunt, quoſque ultro civitas ob veterem in rempublicam benivolentiam ei obtulerat, claſſem circunduxit. Jamque ab Julii exercitu arce Lugiana vi expugnata, Vaſconibuſque ducentis, qui in ea erant, interfectis, Mutina oppidum, ne poſtea graviora perpeti cogeretur, ejus ſe miniſtris, qui illo copias converterant, certis conditionibus interpoſitis tradidit.

Rhodigium a Venetis recipitur XII. kal. ſept.

Et Marcus Antonius Contarenus, ut erat ei a Senatu imperatum, Pado ſubvectus Rhodigianos ad deditionem compulit. Mocenicus quoque legatus, qui ſe cum Citolo Peruſino & equitibus levioribus perplurimis in Alpes intulerat, ut Cividale Belunianum expugnaret (quæ civitas in Maximiliani partibus obſtinate, Joanne Diedo altero legato antea cum copiis eo miſſo, ſe continuerat) muro tormentis perforato, cum ſe milites vellent intromittere, nulla ſpe oppidanis reliqua ſe tuendi, ne urbs honeſta diriperetur, Citolo adjuvante illos continuit, & pacate oppido eſt potitus. Poſt hæc & qui in Alfonſi fines ſe intulerant reipublicæ præfecti, omnia fere earum regionum oppida caſtellaque in ſuam poteſtatem redegerant: & Julianæ item copiæ captis municipiis eo ab latere quæ erant, magna ex parte, Ferrariam, cui urbi appropinquaverant, jamjamque irrumpere ſe poſſe confidebant. Grittus vero & Capellus legati Senatus permiſſu Patavio cum exercitu egreſſi, non Vicetiam modo reliquaque finium eorum municipia nullo negotio receperunt, ſed hoſtes etiam qui ſe in Veronæ finibus noſtros veriti aquarum derivatione atque aggeribus communierant, ad vicina eis loca motis caſtris in oppidum compulerunt. quo in itinere præmiſſi equites leviſſimi, ut illos laceſſerent, non ſemel & prædam & cædem fecerunt, & captivos abduxerunt. Patres interim Laurentium Ceretanum omnibus ſuis militibus præfecerunt, & Naldio Faventino penſionem annuam librarum auri quinque, quoad viveret, perſolvi mandaverunt.

Et Belunum XII. kal. ſept.

Tum Vicetia.

Dum

Dum hæc adminiſtrarentur, cum Joanne Franciſco 1510
Gambara homine inter civitatis Brixianæ principes claro, qui anno ſuperiore turmæ equitum reipublicæ præfectus ob ſimultatem, quam cum uno ex Lauredanis civibus Venetis graviter ab eo offenſus exercebat, in clade exercitus ad Gallos hoſtes ſua cum turma tranſierat, atque ab rege ſtipendio accepto in ejus exercitu poſtea contra rempublicam ſemper fuerat; Cardinalis Papienſis per ſuos internuncios clam ad eum miſſos egit, ut dare operam vellet efficereque, ſua ut civitas ad rempublicam rediret. Ille autem, cui quidem Gallorum imperii valde jam pertæſum eſſet, ita ſe rem facturum eſt pollicitus, ſi reſpublica eum ſibi apud ſe gratiæ locum, quem habebat ante cladem, reſtituat. Ea de re Cardinalis Julium certiorem facit. Julius per Donatum legatum a Senatu poſtulat, ut ſuam fidem Joanni Franciſco det, fore uti ipſemet conſtituiſſet, ſi reipublicæ Brixiam tradiderit: addiditque habere ſe etiam, qui ſint Parmam ſibi oppidum iiſdem artibus trafituri: itaque ſperare ſe ſe brevi Gallos Italia ejecturum. Donati literæ iis de rebus ad Senatum perlatæ, magnam in ſpem belli celeriter conficiendi Patres erexerunt. itaque Senatuſconſultum factum eſt, de Joanne Franciſco Gambara ita fore uti ipſe conſtituiſſet, ſi Brixiam reipublicæ reſtituat: ſuam ei fidem Julius interponeret, Senatus illam omnibus numeris ſervaturum: magno ſilentio imperato, ne quid ejus ſciri poſſet. Iidem Patres Julio permittente literas ad Franciſcum Mantuanorum principem dederunt: velle ſe imperium reipublicæ copiarum ei tradere: mitteret ad urbem ſuum hominem, qui cum res tranſigi poſſit. Triultius inter hæc Brixia Mediolanum proficiſcens propter Helvetiorum in Gallici regis fines impreſſionem, tormenta ibi quæ erant, ſecum ut ferrentur imperavit. Helvetii autem cum ad Abduæ fluminis e lacu Lario exitum Galli eis occurriſſent, binis eos cladibus affecerant.


Le-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 *Vereti frustra Veronam tentant.*

Legati reipublicæ non longe a Verona, qui erant certiores facti hostes in timore esse, neque satis sibi confidere: cum non longius ab eorum castris passuum sex aut septem millibus abessent, singulis centurionibus & equitum præfectis appellatis interrogatisque, vellent ne atque auderent cum hostibus confligere: atque ab omnibus responso alacriter dato, nihil se malle, quam pugnare, atque ab ipsis periculum de sua virtute fieri: communi consensu statuerunt illos aggredi. itaque præmissis equitibus levioribus sexcentis, qui hostes morarentur, castra enim jam moverant, subsequi ipsi omni cum exercitu cœperunt. Equites suam operam legatis præstiterunt. quod si illi etiam in eo, quod constituerant, perstitissent, bellum confici eo die profecto poterat. fusis enim fugatisque iis, quod erat sane perfacile (nam propter Gallorum abitum, qui partim Ferrariam, partim Mediolanum recesserant, ad non magnum redacti erant numerum) neque Verona, neque Brixia, neque reliquorum oppidum ullum in hostium manere partibus perseveravisset. Verum enimvero fortuna, quæ reipublicæ invidere non desierat, Lucii, qui exercitum regebat, animum secordia infecit, ut ille sæpe suos in itinere aliam atque aliam ob causam inanem quidem atque futilem remorando tempus teruerit, dum hostes se in oppidum reciperent. quos tamen iidem equites consectati, tantum eis formidinis injecerunt, ut qui intraverant, portæ pontem erigentes vigintiquatuor ex suis oppido excluserint: quos nostri captivos fecerunt: Epirotamque unum, qui se cum hostibus injecerat, amiserunt. Domi autem Henrico Britanniæ regi per literas petenti, ut arcuum millia quadraginta ex urbe asportare suis hominibus liceret: etsi id contra leges erat, Senatus tamen ob veterem cum rege benivolentiam de media ejus numeri parte permisit. Atque ut cum pacatæ rei memoria huic decimo meorum

rum commentariorum libro finis imponatur; decemviri cum viderent in magistratibus, qui rempublicam in Senatu procurant, nullum discrimen collegarum fieri, legem sciverunt: nemini esse in eis magistratibus licere, cui esse in illis magistratibus, quos comitia declarant, propter propinquitates affinitatesque non liceat. 1510



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN

IN LIBRUM UNDECIMUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

VEneta classis cum Pontificiis copiis tertio Genuam petit, & cum Gallica congreditur, ac, re infecta, redit. Pontifex Bononiam se confert, ejusque in Alfonsum bellum. Veneti Veronam oppugnant, & obsidionem solvunt. Veneta classis in Alfonsum missa frangitur. Altera classis in eumdem mittitur, resque terra inter eosdem gestæ. Gallorum prope Montanianum clades. Franciscus Mantuæ princeps, Veneti ac Pontificii exercitus imperator declaratur. Lex de ambitu Venetiis lata. Venetorum in Tesinum regionem excursio. Pontifex Gallis igni & aqua interdicit. Reipublicæ & Julii exercitus contra Alfonsum conjunguntur, eorumque res gestæ. Exercitus iterum Veronam mittitur, indeque re infecta recedit. Concordia a Venetis capitur. Infans biceps in urbe natus. Gallorum ad Setiam clades. Mirandula a Julio capitur. Idemque Mutinam Maximiliano tradit. Alfonsus Julii exercitum fundit. Venetiis & in imperio terra tremuit. Concordia a Gallis recuperatur. Bononia a Gallis & Bentivolis capitur. Veneti prope Bononiam a montanis hominibus fracti. Alidosius Cardinalis a Franciscomaria trucidatur. Julii in Bononienses edictum. Concilium Pisis indicitur, & ad id Pontifex vocatur. Variæ in Carnis pugnæ. Venetorum prope Veronam clades. Taurisum miro artificio munitur.

P E-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM
HISTORIAE
LIBER XI.



ULius a Centumcellis per Aureliam proficiscens, Genuensium civitatis a Gallorum imperio avertendæ cupiditate in dies magis magisque ardens, Corytum profectus est, ibique in litore cum præfecto classis Venetæ Contareno, quam quidem classem illo adduci jussent, hilariter pransus, classiariis fere universis se adeuntibus mira facilitate ad pedis osculum admissis, & militibus quatercentum in triremes impositis, iterum ei, ut celeriter in Liguriam contenderet, imperavit: qui confestim Populoniam se contulit. Quoniam autem triremes Venetæ in Aegeo mari navem magnam Genuensium mercibus onustam ceperant: per Donatum legatum, perque suas literas a Senatu petiit, ut eam navem Genuensibus restitueret; eo illos munere delenire cupiens. Patres servatam 1510

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 apud Corcyrenſes navem omnibus cum mercibus Genuenſium internuncio tradi mandaverunt. Iidem Patres, quod Lucii timore atque ignavia hoſtibus elapſis pulcherrimam Veronæ capiendæ occaſionem turpiter amiſerant, indignabundi de Julii conſilio, qui Romam redierat, Franciſcum Mantuanorum principem ſuarum copiarum omnium imperatorem faciunt, eodem fere Senatuſconſulto, quo antea quamhonorificentiſſimo fecerant. Is cum imperium non modo libentiſſime, ſed etiam hilariter, ut videbatur, accepiſſet, deque eo immortales gratias Senatui egiſſet, ſeque ad exercitum atque ad legatos brevi iturum recepiſſet, dum equites cogere, dum comparare ſe ſe per literas perque ſuos interpretes ad urbem ſæpe miſſos certiores Patres facit; cum etiam contra priorem animi ſui alacritatem Senatuſconſulto non contentus duriores reipublicæ conditiones interponit: pedem Mantua nuſquam protulit. Interim Troilo Sabello, de quo ſupra dictum eſt, equites gravioris armaturæ centum, levioris qui ſagittis uterentur alteri totidem a Senatu traditi: Thraciſque hominis, qui equites leviſſimos ducentos in Epiro paratos habebat, oblatio accepta ut reipublicæ militiam facerent, auri ſemuncia ipſis ſingulis in menſes ſingulos, eorum præfectis uncia cum ſextante in ſtipendium conſtituta: juſſique quamprimum conſcendere. In Forojulienſibus autem cum hoſtes cogi, ut in eos impetum facerent, undequaque, dicerentur, Joannes Viturius, vir magni animi, qui in Sacilienſibus magiſtratum gerebat, ad illos legatus eſt a Senatu miſſus.

Franciſcus Gonzaga Veneti exercitus imperator III. non. ſept.

Julius iterum Roma per Flaminiam profectus a Spoleto in dexteram flectens ad templum Lauretanum ſe contulit, ibique in Virginis ædicula ſacris a ſemet peractis, Anconam venit, ut Bononiam ad bellum, quod cum Alfonſo gerebat, adminiſtrandum procederet. Legati Veneti & Lucius præfectus in campis Martinianis recenſo exercitu, tormentiſque a Lactantio, qui eorum curam gerebat, ad Veronæ muros poſitis, eos dejicere oppidi capiendi ſpe adoriuntur. Id cum dies aliquot feciſſent, partemque non parvam diruiſſent, quod mons difficultatem magnam dabat, aggredi omnibus copiis atque irrumpere non ſunt auſi; cum id facere debuiſſent. milites enim & audebant quæ proponebantur, & quæ imperabantur obibant magno animo. ſed inerat in Lucio incredibilis omnium rerum, etiam non magnopere timendarum, ſuſpenſio animi, & cordis gelidus quidam pavor, qui eum retinebat, ne quid egregium atque altum auderet. quem tamen timorem verbis & prudentiæ ſimulatione tegebat, ut non facile appareret, utrum timidior, an prudentior eſſet. In ea oppugnatione dum tempus terunt, hoſtes ex oppido prima luce repente egreſſi ad tormenta configenda, quæ indiligenter cuſtodiebantur, convolaverunt. nam Lactantius pridie ejus diei pilæ jactu in fœmore percuſſus, curando vulneri Patavium ſe perferri voluerat: parvoque negotio repulſis qui aderant, quod intenderant aſſequebantur: cum Citolus, clamore fugentium audito, e tentorio ita, ut erat, ſine galea cum ſuorum paucis accurrens, repellereque illos aggreſſus, in medium eorum agmen imprudens ſe injecit, atque ibi vulnere in capite accepto, tellure proſtratus confoſſuſque interiit. ita Veneti duos longe reliquis præſtantiores præfectos militum viros, quorum virtuti legati exercituſque omnis ſummopere confidebant, bidui ſpatio amiſerunt. Lactantius enim ſuo ex vulnere paucis poſt diebus eſt mortuus. Citolo interfecto ejus milites ad vindictam incitatiores facti, accurrente reliquorum globo hoſtes a tormentis repulerunt, interfectis circiter quadraginta, & quæſtore Germanorum militum, captis ad quinquaginta cum præfectis tribus: quorum ex numero Franciſcus Maldonatus Hiſpanus fuit, qui quidem Venetias eſt perductus. Rebus ita ſe habentibus cum nihil proficere muris Veronæ verberandis legati ſe cognoſcerent, & Galli equites peditesque qui auxilio incitis a Mediolani præfecto mittebantur, jam ad Benaci lacus derivationem Minciumque pervenirent; atque e Germania appropinquare manus a Maximiliano juſſæ dicerentur: tormentis præmiſſis ad pagum Martinianum exercitum reducunt.

Veneti Veronam iterum fruſtra oppugnant.

Gallorum in Venetos eruptio XV. kal. oct.

Citoli Perufini obitus.

Lactantii obitus XI. kal. oct.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 cunt. Oppido obsidione liberato, milites Hispani & Germani, in eo qui erant, octingenti in Pantænæ vallis urbi proximæ incolas, propterea quod amice nostros omnibus rebus juverant, eam injuriam vindicatum egressi se inferebant. qua intellecta re equites trecenti, Joanne Græco duce, ad illos sustinendos propere a legatis missi, eos omnes fuderunt, fugatos usque ad montis Feliciani cacumen insequuti partem interfecerunt, partem captivos abduxerunt circiter ducentos.

In Ligustico vero mari iisdem fere diebus non longe ab Genua classis Julii & reipublicæ triremium XV. classisque Gallica magnarum navium & triremium XXV. propiores factæ, atque in suas utræque acies conspectis hostibus distributæ, cum ejaculandis tormentorum pilis duarum horarum spatio se lacessere perseveravissent, coorto vento abductæ in diversa abierunt: & quod oppidum magnæ Gallorum introductæ copiæ tutissimum reddiderant, Contarenus omni commeatu consumpto infectis rebus Populoniam rediit: triremesque duæ nothæ ab Senatu e Corcyra ad Contarenum missæ, cum ejus se classe conjunxerunt. tum quæ naviculæ urbanæ in Julii gratiam Pado subvectæ Alfonsi ab ejus exercitu alio ab latere vapulantis damna atque molestias adaugebant, earum partem Alfonsus ipse, cum equitibus Gallis Italisque sexcentis, militibus duobus millibus trajecto repente flumine, vacuam hominibus (fugæ enim se se dederant) cepit: reliquas ipsi Veneti, ne hostes illis potirentur, incenderant. Atrianos etiam itemque Rhodigianos reliquaque eorum locorum municipia fugatis magistratibus recepit. Leonardus Apulus cæterique equites elusis locorum cognitione & celeritate sua hostibus, Montanianum se contulerunt. Senatus nonnihil ab Alfonso, quem ipsa hostium vel fortuna vel indiligentia tuebatur, atque ab Gallis metuens, legatis collaudatis, quod Verona exercitum abduxissent, uti tormenta Patavium mitterent, imperavit. Jamque in Leonicænos se exercitus receperat, cum intellecta propter Alfonsi prosperas res Leonardi Apuli & reliquo-

Padana classis amittitur.

liquorum equitum fuga, Grittus legatus cum equitatu 1510
Montanianum profectus, & incolas illorum finium omnes, & municipes ipsos, quos inopinatus hostium timor incesserat, opportuno adventu atque auxilio confirmavit.

Veneti classem in Pado reparant.

Patres ut amissæ in Pado classiculæ damna dedecusque sarcirent, naviculas centum biremesque aliquot celeriter armari, & earum nomine latissimo præfectum in Pado flumine, quod nunquam antea factum meminerant (id enim nominis ad illum usque diem bella tantum in mari exercenda sibi vendicaverant) creari statuerunt: lectusque Joannes Maurus egregia virtute, naviter ad suum munus obeundum se dedit. Audita Venetorum equitum & magistratuum fuga, Gallici equites & milites, Lemniaci qui erant, Athesi trajecto, ut cum Alfonsianis se conjungerent, atque in perturbatos impetum facerent, Montanianum cum tormentis muralibus duobus oppidi capiendi spe se conferebant. Ea re per agricolas opportune cognita, missi confestim ab legatis præfecti equitum tres bona cum manu medio fere in itinere hostibus adventantibus occurrunt: eodemque temporis puncto cum longe maxima suorum parte pugnam ineunt: & reliquis, ut pontem, qui non longe aberat, eratque hostibus in reditu transeundus, rescindant, ad intercludendum eis abitum si superarentur, imperant. ab iis ponte rescisso, hostes ab reliquis intercepti cum se trium prope horarum spatio acriter fortiterque defendissent, demum superantur, atque in fugam versi transitu pontis impedito omnes ad unum vel cæsi vel capti sunt, equites optimi nominis CL. pedites primorum ordinum CCCC. & capti omnes Venetias perducti custodiæque traditi centum & decem. Ejus cladis fama celeriter percrebrescente, municipia quæ Veneti amiserant, prope omnia recepta sunt, ut amplius triduo in hostium potestate non fuerint.

Galli ad Montanianum vincuntur.

Iisdem diebus Episcopus Monopolitanorum Julii legatus ad urbem venit, ut apud Patres horam traheret, communemque rem ejus nomine auctoritateque juvaret. Ipse Julius Bononiam sacris præeuntibus invoierat. Eo ma-

Julius Bononiam venit x. kal. obt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 magnopere adnitente, qui Ludovicum Franciſci Mantuanorum principis filium obſidis loco apud ſe habebat, poſt pleraſque interpoſitas a patre ſatis quidem duras atque illiberales & ſtipendiorum & reliquarum rerum conditiones, quæ ejus animum ab uxore depravatum oſtendebant; tandem alterum Senatuſconſultum factum eſt: quo per quinquennium idem imperium eſt ei traditum cum ſtipendio librarum auri quingentarum in annos ſingulos: dum ipſe equites gravioris armaturæ tercentum quinquaginta, levioris centum, milites ducentos belli tempore paratos habeat: reſque publica omnia ejus ditionis incommoda omnibus ab hoſtibus ſe præſtaturam pollicebatur. pauloque poſt illius familiari Vico, Patavino homini, quo is pluries iiſdem de rebus internuncio apud Patres uſus fuerat, equites levis armaturæ centum attributi. Ob Citoli Lactantiique interitum milites non pauci ex illorum ordinibus nulla abeundi facultate ſibi permiſſa, ſigillatim ab exercitu diſcedebant. quod quidem factum nonnulli reliquorum tribunorum & centurionum milites imitabantur. quamobrem edictum eſt ab legatis propoſitum, ut qui non miſſi abitum paraviſſent, omnibus in reipublicæ locis caperentur, & armis exuerentur, ignominiaque notarentur. ea res ei licentiæ opportunum remedium fuit. Cæterum cum ex Alpibus certis auctoribus afferretur, Germanorum manus comparari, ut reipublicæ municipia in primis jugis invaderent; quibus captis ac direptis in planitiem deſcenderent: Sigiſmundus Caballus eſt ad ea loca cum copiis ab legatis contendere juſſus præfecti nomine. Franciſcus imperator Bononiam ad Julium profectus hilariter ab illo exceptus eſt, imperatorque Romanæ etiam reipublicæ dictus. Galli, qui ad Mincium venerant, uti ſupra dictum eſt, ad Alfonſum, ut ei auxilio contra Julium eſſent, ſe contulerunt.

Legati, ut Julio ſatisfieret, equites graviores ducentos & quinquaginta, leviores fere totidem, milites bis mille in Alfonſi fines intromiſerant: Mauruſque claſſis præfectus cum navigiolis plurimis & biremibus aliquot, cumque triremi-

remibus tribus, quæ ab Iſtris & Dalmatis ad illum venerant, Padum flumen ingredi damnis Alfonſo inferendis eſt a Senatu juſſus. Inter has belli cogitationes rei etiam pacatæ, quæ malum in exemplum inverecundiæ civium impudentiæque vertebatur, Patres animum adhibuerunt. Nam cum in creandis magiſtratibus ambitus eo anno magnopere viguiſſet, ut prenſandis civibus, qui ſuffragia in comitio daturi eſſent, a candidatis & candidatorum propinquis clientibuſque nullus modus fieret, nulla eos modeſtia contineret: lex eſt in Decemvirum collegio perlata: qui deinceps civis civem rogaverit, ut ſibi aut alicui ſuorum in dando ſuffragio fautor ſit, is ad ullum magiſtratum, aut omnino reipublicæ in comitio munus X. annos ne admittatur: & ſi in magiſtratu fuerit, ab eo rejiciatur: cui autem rogari ſe contigerit, is rogatoris nomen ad Decemviros deferat: id ſi non fecerit, quinque annos eandem mulctam ſubeat. ita magnæ civium moleſtiæ a Patribus obviam eſt itum. Juſſi etiam ſunt Dominicus Triviſanus templi Marcii procurator, Leonardus Mocenicus, legati ad Julium a Senatu pridem lecti, ut ſtatim conſcenderent, Ravennamque proficiſcerentur, ut Bononiam ſe conferrent. Literæ poſt hæc ad legatos Grittum & Capellum datæ, uti alter eorum cum exercitus parte in fines Rhodigianos atque ad Padi ripas accederet, ut quantum poſſet Alfonſo noceret. ita factum a Paulo eſt, cui id illi muneris ſorte ducta obtigiſſet. Maurus claſſis præfectus cum triremibus tribus Padi oſtium, qui Vatrenus appellatur, ad triremes ex Venetorum claſſe jampridem captas duas, quas Alfonſus ſuis hominibus armaverat, ubique continebat, atque iis qui itinerum cauſa mare illud exercebant, multa damna intulerat, capiendas aut omnino repellendas eſt ingreſſus, fruſtra: illi enim ſive admoniti, ſeu etiam caſu, ad ſuperiora ſe ſe fluminis jam receperant.

1510

Lex de ambitu.

Senatus interim ad pecuniam belli rebus ſubministrandam, cujus magnopere indigebat, medium unius cenſi partem civibus impoſuit, certis conditionibus, quo facilius ea ipſa pars exigeretur, adhibitis. Paulus autem legatus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 gatus cum se Figariolum in Padi ripa castellum, quod supra Ferrariam est millia passuum XII. cum exercitu contulisset, tormentis positis dirutaque porta, Alfonsi milites in eo qui erant, paucarum horarum spatio ad deditionem compulit: alterumque item in fluminis ripa e regione castellum fugatis hostibus cepit: iisque captis equites levissimos flumen trajecit, qui celeritate usi & prædas abegerunt, & agrum illum omnem fuga terroreque impleverunt. Diversa quoque a belli parte Joannes Delphinus Feltriæ magistratus cum iis quas habebat copiis & agricolarum manu complures in Alpibus hostium pagos repente aggressus, in regione quæ Tesinus appellatur, eos plane omnes, qui quidem erant rebus plurimis & ad commeatum & ad mercaturam exercendam refertissimi, interfectis aut fugatis incolis incendit, omnique vastitate regionem fœdavit: ut damna atque incendia, quæ ii Feltrinis intulerant, prope ex æquo vindicarit. In Istris quoque nonnihil incommodi per illos dies & acceptum & illatum est.

Figariolum a Venetis capitur.

Res a Venetis in Ferrariensi agro gestæ.

Sed ut ad Padum flumen revertamur, Paulus legatus pontem in eo facere cum vellet ad exercitum trajiciendum, ut se cum Julii exercitu conjungeret (quod quidem ut faceret, Julius ab eo per literas diligentissime petierat) ab uxore Franciſci impeditus, quæ naves retinebat, destitit: quingentos tamen equites levissimos cum præfecto eorum Federico Contareno trajecto in navibus flumine obviam imperatori misit, ut Mantuam redire tutius posset. Galli enim hostes haud longissime aberant: quos etiam una cum Alfonso eo venturos, impetumque in se facturos, non unis literis nunciisque cognoverat. Maurus sub hæc a Paulo admonitus reipublicæ interesse ut ad se se cum minorum navigiorum classe quamcitissime accederet, quatuor navibus Atriani municipii, ubi tunc erat, auxilio relictis, cum navigiis reipublicæ L. reliquis privatorum hominum prope CC. superato flumine, nullo ab hostibus, qui in ripis se ostendebant, ut eum impedirent, detrimento accepto, ad illum se contulit, animum

mum alacritatemque exercitui, qui timere multa & cavere cogebatur, adventu suo spe omnium celeriore afferens. Pauciſque post horis cum nuncii Paulo veniſſent, Franciſcum imperatorem una cum Federico Contareno ad vicum Sermenem, qui est in Padi ripa Figariolo proximus, suos se in fines retulisse, ad illum profectus communicatis de bello inter se consiliis sua in castra rediit. ille Mantuam, ut suos equites militesque cogeret, multa pollicitus, multa spe concipiens, ut inquiebat, se recepit. Attulerat imperator secundas Julii literas legato, quas in itinere acceperat, quibus ab eo Julius multo impensius petebat, ut copias reipublicæ trajecto celeriter flumine cum suis copiis conjungeret. Gallos enim hostes magna cum manu, quam omnibus e locis evocaverant, suum in exercitum velle impetum facere, quæque ipse de Alfonsi oppidis ceperat, expugnare decreviſſe, non obscure cognoverat. Legatus eas literas ad Senatum misit, petens, ut juberent Patres, quid se vellent facere: nihil enim tantis de rebus Senatu non consulto se ausurum: interea tamen quæ ad trajiciendum opus sint comparaturum, & curaturum ut si ipsi jusserint, nulla trajectui mora interponatur. Patres non his modo a Paulo, sed etiam a Hieronymo Donato & Trivisano ac Mocenico, qui jam Bononiam se contulerant, acceptis eadem de re literis, Senatu coacto Julio satisfieri oportere legem sciverunt: Senatusque consulto Bononiam ad legatos misso, ut transitum maturaret Paulo mandaverunt. Ad Gritum etiam literas dederunt, ut ad Paulum augendis ejus copiis equites graviores ex suis centum, leviores CC. confestim mitteret. Pecunia etiam a Senatorum nonnullis mutuo, quæ Mantuam in stipendium imperatori mitteretur, Patribus est tradita: tum ab iisdem Patribus frumenti staria decem ta in sanctiores monachorum societates dispartienda dono data, ut in eorum discrimine Deo optimo maximo pro Julio proque republica preces facerent. Paulus dum conficiendo ponti se se dat, eundem Federicum cum equitibus septingentis propere Bononiam præmisit Julii auxilio,

1510

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 lio, seque cum exercitu confestim subsequuturum & brevi affuturum confirmavit. Donatus enim & reliqui legati duo certiorem illum fecerant, omni a Gallis arte procurari, ut cum Julio fœdus ineant, avertendi eum a reipublicæ tuendis rebus causa. Imperatore interea moras omnes interponente, ut quod primum atque maximum Paulo promiserat, se ad eum celeriter venturum, id non ambigue differret, ac nulli omnino usui Julio aut reipublicæ velle esse videretur statuisse, Patres de eo admoniti consulto Senatu Franciscum Capellum ejus familiarem ac necessarium, qui erat in Senatu, illa ipsa hora contendere ad imperatorem jusserunt, monereque illum ne ulterius expectare se se tam opportuno atque etiam tam necessario reipublicæ tempore patiatur: publicam omnium salutem in eo positam, ipse se ad exercitum statim si conferet, munusque obierit, ac fidem præstiterit suam. Franciscus nondum dimisso Senatu apertis sibi uni foribus Mantuam est profectus.

Dum hæc administrantur, Galli castella quædam in Alfonsi finibus ab Julianis capta acriter aggressi recipiunt: incursionibusque in Bononiensem agrum atque usque ad oppidum factis magnum timorem Julio incutiunt, ut jam, quid se præstet facere, plane non dispiciat. Augebat eum timorem, quod Bentivoli Gallis adjuncti, Bononiensium civium factionem excitatum iri haud ambigue putabantur; ut & ad portas, & ipso in oppido Julius hostes uno tempore esse habiturus videretur. qui quidem quoniam febribus aliquot jam dies tentabatur, nullam prope legatis Venetis se adeundi facultatem dabat: tametsi etiam a Francisco Alidosio Cardinali, qui Julii nomine civitatem regebat, & Gallis maximopere favebat, studium per cubicularios adhibebatur, ne alloqui illum possent. Ponte confecto, & parato ad trajiciendum exercitu, Maurus classis præfectus, cum eodem Padi alveo, quo venerat, reditum sibi ab Alfonso tormentis in ripa fluminis non uno in loco collocatis aut omnino intercluſum, aut plurimis maximisque periculis propositum videret; superato reli-

reliquo usque ad Castellum Novum flumine, traductisque 1510
ripam navibus, ac per campos aquæ plenos ob intersectas Athesis ad Lemniacum a Gallis ripas decem millibus passuum confectis, classem ducentarum navium in Athesim ad Caudam vicum incolumem perduxit. deinde prono flumine ad fossiones Philistinas se se recepit. Aliquot ex ea classe naves, quæ quod majores erant aliis, ripam trajicere non potuerant, Mincium se in flumen, deinde Mantuam contulerunt. Expectaverat Paulus legatus per eos dies imperatorem, qui jamjamque se affuturum pollicitus fuerat, ut una trajecto flumine quo vellet Julius proficiscerentur. Ille vero causis moræ post causas non ita caute interpositis, quin falso quæsitæ agnoscerentur, neque se in viam dabat, neque suos equites militesque ad illum mittebat, neque vero etiam Franciscus ab Senatu ad eum excitandum missus quidquam proficiebat. quamobrem ne a Patribus reprehendi posset, mandata reipublicæ tanta de re tam angusto tempore differens, pridie cal. novembrium Paulus Padum exercitum traduxit.

Uno tempore ea de re Julius nuncios accepit, & Fabritius Columna vir egregiæ virtutis, quem Ferdinandus Hispaniæ Rex cum trecentis equitibus ex Neapolitanis finibus ad Julium mittebat, ut ei auxilio in Ferrariensi bello esset, cum expeditioribus ad illum venit, relictis bidui post se intervallo in itinere relictis. quæ duæ res ita Julii animum exhilaraverunt, ut febris eum continuo reliquerit. Itaque confirmatior factus edictum proposuit, quo edicto Gallorum præfecto, qui Magister magnus appellabatur, reliquisque Gallis igni & aqua sacris conceptis verbis, interdicebatur, si deinceps Alfonsi causam ulla ex parte tuerentur: idque impressis publice tabulis vulgari jussit. Imperator domi sedens, Padum legatum trajicere admonitus, insesso equo cum suorum paucis ad Stellatam vicum, ubi se ille continuerat, totius exercitus trajectum operiens, ad eum venit, atque una Mutinam versus diem unum omnes processerunt. Ea vero nocte quæ est diem illum subsequuta, ab uxore per literas, ut

Julii in Gallos interdictum.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1045 ut ajebat, certior factus, Gallos, qui Veronæ erant, in ejus agrum populationem & cædes feciſſe, ædificia conbuſſiſſe, prædas abegiſſe, Paulo convento ad ſua tuenda redire ſe domum velle ei denunciavit. atque ita, cum legati preces, & Julii atque reipublicæ maximorum erga ſe promeritorum commemoratio, & ſui nota nominis, quam quidem notam atque calumniam accepto ab utroque ſtipendio, eorum cauſam tali tempore deſerens, erat magnam indelebilemque ſubiturus, nihil apud ipſum valuiſſent, Mantuam rediit.

Erat Brixiæ in Joannis Franciſci Gambaræ equitatu honeſta conditione Petrus Longena, ejus oppidi civis, qui indignans ſe arma ferre contra eam ditionem, ſub qua natus altuſque annos triginta vixerat, coacto equitum idem ſentientium numero, ex oppido profectus Montanianum ad Grittum venit, ut militiam reipublicæ faceret, orans obteſtanſque ſe recipi. de eo Gritti literis certiores Patres facti, Petrum Longenam recipiendum, & præfecturam LX. leviorum equitum ei dandam cenſuerunt. In comitio vero poſtridie ejus diei Marco Venerio, qui pridem vulneribus in expugnatione Monſilicenſi acceptis uſum prope manuum amiſerat, ſcribæ munus in prætura Forojulienſi per quatuor magiſtratuum tempora dono datum, ut ſe alere familiamque ſuam poſſet. Filiis autem Ludovici Michaelis, quem Caravagianæ arcis cuſtodem Galli captivum fecerant, atque in Galliam miſerant, in triremibus reipublicæ baliſtarum loca decem, nobilibus adoleſcentibus dari ſolita, ad eorum matrem ſeque ipſos ſuſtinendos item dono attributa. Inter hæc Senatus certior factus Hiſpanos equites, qui Veronæ erant, a Ferdinando Neapolim reverti juſſos ab oppido tuendo diſceſſiſſe, literas ad legatum Grittum dedit, ut cum iis quas habebat copiis Veronam contenderet: confidere ſe, ſi id celeriter faciat, poſſe ab eo urbem prope vacuam recipi, præſertim ſi edictum propoſuerit, nullius civis in rempublicam injurias Senatum vindicaturum, civitatemque immunem omnium onerum jubere eſſe, ſi ad rempublicam red-

redeat. Quibus acceptis mandatis legatus, tametſi parum 1510
ſpei aleret rem eum exitum habituram tam exiguo copiarum numero (cataphracti enim equites amplius quatercentis, milites amplius quatuor millibus non erant) idque ipſum Senatui reſcripſerit; tamen accitis quamplurimis e vicinis locis operibus, & tormentis Patavio afferri imperatis, ſe ad iter comparabat. De maritimis autem rebus ut ratio haberetur, impenſiſque reipublicæ modus fieret, Senatuſconſultum factum eſt, ut Maurus claſſis in Pado flumine præfectus privatorum hominum naviculas, quibus non magnopere indigebat, miſſas faceret, triremeſque quas habebat leves retineret, Hieronymuſque Contarenus claſſis in mari Supero legatus, qui Genua ſæpius tentata, quod ab Gallis hoſtibus largiter erat communita, nihil profecerat, ut Julii miſſu Corcyram ſe recipere, retentiſque apud ſe quatuor quas vellet triremibus, reliquas ad urbem redire permitteret.

Interim ab Julii reique publicæ exercitu Saxolum in Mutinenſi agro ad Setiam flumen caſtellum arce atque opere communitum tormentis poſitis, cum a quatercentis propugnatoribus Gallis defenderetur, ardore militum per muros irrumpentium celeriter eſt captum. Joannes etiam Delphinus Feltriæ magiſtratus in magnam hoſtium manum eum Alpium tractum depopulantem impetu acriter facto majorem eorum partem cecidit, reliquos omnes fugavit: ſpecuſque illud montanum, de quo antea dictum eſt, quod *Covolum* appellant, compulſis timore ad deditionem iis, qui in illo erant, recepit. Qua intellecta re, ut civitati optime de republica meritæ, omnia perpeſſæ ab hoſtibus damna, patres grati eſſent, omnium tributorum immunitas, ea pecunia excepta, quæ ab illa in Principis ſalarium quotannis ad urbem mittitur, municipio Feltrinorum eſt ab Senatu dono data. Ab Joanne quoque Viturio in Carnis hoſtes quatercenti e Goritia egreſſi, Sontiumque flumen tranſgreſſi omnia vaſtantes, ita cæſi fugatique ſunt, ut eorum plurimi timore ſe in flumen præcipitaverint. Ea in re Aloiſii Porti Vicetini equitum leviorum

Covolum a Venetis recipitur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1510 rum turmæ præfecti virtus plurima extitit. Redierat Mantua per eos dies ad urbem Franciſcus Capellus, retuleratque Patribus, nullam eſſe in imperatore rei bene gerendæ voluntatem, nullam fidem: uxoris artibus ejus animum delinitum: Alfonſo illius fratri cupere omnia, neque Julium neque rempublicam præ illo quidquam facere: favere etiam Gallis plurimum. Gritto ad Veronam iterum obſidendam profecto, eæ ſunt tempeſtates conſequutæ, ut recedere ſeque ad Suavium municipium recipere, ut equites & milites ſub tectis contineret, ſit coactus. Demum intelligens Veronam communitiorem eſſe factam, Montanianum exercitum reduxit. qua re cognita juſſus a Senatu eſt, equites quingentos, milites octingentos, ad Rhodigianos reliquaque circa Padum ejus regionis municipia tuenda & cuſtodienda mitteret. Juliani exercitus Franciſco Maria imperatore & Fabritio Columna reliquiſque ducibus, qui erant Mutinæ, ſe non explicantibus, Paulus legatus ad oppidum Concordiam foſſis atque aggeribus communitum ſuis copiis accedens, tormentiſque eo veſperi collocatis, & verberatis prima luce muris, paucarum id horarum ſpatio contra ſpem omnium cepit: tanta tamque præſens militum virtus fuit. Propugnatores, qui ab oppugnatione ſuperfuerant, in arcem repulſi, ſine mora ſe legato dediderunt. Atque ante eos dies in urbe puer e plebe natus eſt cum duobus capitibus, quatuorque humeris & manibus, tum fœmoribus atque pedibus quatuor, ut duo eſſe pueri una conglutinati viderentur, ſi corpus reliquum duplex habuiſſet. habebat autem unum tantum cum renibus unis tergoreque reliquo pectus: vixitque ſeſquihoram, ut chriſtianæ aquæ ablutione non caruerit. Et Nicolao Triviſano templi Marcii procuratore mortuo, Antonius Grimanus, quem civitas ab exilio revocaverat, magno omnium ordinum favore in ejus locum ſuffectus eſt. atque illa quidem in procuratione eo erat tempore Antonius, cum eſt exul factus. itaque bis eam dignitatem eſt adeptus, quod nemini antea contigerat. annuſque cum iis fere comitiis finem habuit.

Concordia a Venetis occupatur.

Antonius Grimanus Procuratoriæ dignitati reſtituitur VIIII. kal. januar.

Pri-

Prima vero ineuntis anni die, quod Galli, qui ad Carpos municipium ſe receperant, in Setiæ fluminis ripa, quod auctum imbribus tranſiri vado non poterat, ſingulis ſe ſe horis oſtendebant, atque a noſtris, qui trans flumen eam regionem tenebant, ita vulgo conſpiciebantur, ut etiam colloquia ex utraque ripa inter ſe haberent; Paulus legatus noctu ponte celeriter in naviculis confecto, ſuarum copiarum partem cum Troilo Sabello bene mane flumen trajecit, atque in primum Gallorum agmen, quod ad flumen veniebat, impetu facto, eos fudit fugavitque, interfectis captiſque non paucis. Eo timore perculſis reliquis, nocte intempeſta univerſi Regium Lepidi verſus abierunt. Julius ſuos duces nihil omnino amanter, nihil ex re agere cum videret; omnes autem moras, omnia impedimenta ei bello interponere illos non ambigue cognoſceret: unum Capellum ejuſque fidem atque animum ſummis laudibus proſequens, ſtatuit ſe ad exercitum conferre, ut Mirandulam oppidum munitiſſimum præſens oppugnaret: quo capto facilius poſſe ſe Ferrariam obſidere, ſuæque ditionis eam facere confidebat. tametſi illud etiam cogitaverat Julius, cum Ferrariæ appropinquaviſſet, ſe Hippolytum Cardinalem Alfonſi fratrem ad colloquium evocaturum, qui fratrem hortaretur, uti bello finem imponeret, ne damna ultima perpeti cogeretur: ſe ei, ſi vellet, Ferrariam habere permiſſurum, Mutina modo ſibi Regioque Lepidi cederet: quorum tamen oppidorum alterum ſe jam ſuum feciſſe. quam quidem cogitationem ſuam Julius reipublicæ legatis aperuerat, illi ad Decemviros literas ea de re dederant. Patres conſulto Decemvirum collegio, eam Julii moderationem pronumque ad pacis ſtudia animum maximopere laudaverant, rescriptisque ad legatos literis, eaſque literas legati Julio retulerant.

1511

Julius ad exercitum ſe confert IIII. non. januar.

Sed Julius, uti dictum eſt, quanquam hyems duriſſima ingrueret, lutoſiſſimæque eſſent viæ & nix largiter cecidiſſet, ad vicina tamen Mirandulæ ædificia & agricolarum caſas lectica vectus ſe contulit: cumque ſuis ducibus parum confideret, belli munera per ſe ipſe perque Paulum

Julius Mirandulam oppugnat.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 lum legatum plerunque adminiſtrabat: nam omnino Franciſcus Maria, ſive quod Alfonſi ſororis filiam in matrimonium duxerat, ut novæ affinitatis ſtudiis adoleſcens viginti annos natus traheretur; ſive quod ita ei ſuaderet ſuus animus; neque bellum probabat, neque ſuas in eo partes ſuamque diligentiam patruo præſtabat: ut quæcunque faceret, ea omnino lente atque invitus facere videretur: ſi quid autem operæ Venetos egregie navaſſe intelligebat, id ægre illum moleſteque ferre omnes plane homines cognoſcerent. Julio itaque imperante, ut tormenta cum a ſuis tum a legato Veneto ad muros oppidi dejiciendos collocarentur: quod quidem magna cum difficultate fieri erat neceſſe, cum propterea quod oppidani e propugnaculis & turri maxime communita, ſuis item tormentis appropinquare muro neminem permittebant; tum quod nix duos fere pedes in altitudinem creverat: legatus virtute militum difficultatibus ſuperatis, celeritate uſus verberare muros ſenis tormentis cœpit, cum Juliani neque poſt triduum unam in eos pilam miſiſſent. Muris igitur oppidi ita dejectis, ut qui in eo erant, equites ſeptuaginta, milites trecenti, tueri oppidum ſe ſe poſſe non confiderent, præſertim cum omnis foſſæ aqua frigore conglaciaviſſet, mulier vidua Joannis Jacobi Triultii filia, quæ Ludovici Pici, de cujus morte ſuperioribus commentariis diximus, uxor fuerat, quæ oppido præerat, reliquique præfecti, ad diem duodecimum calendas februarii conditionibus interpoſitis ſe atque oppidum Julio dediderunt. Julius, quod oppidi porta ruinis clauſa dejectuſque pons fuerat, per muralem ſcalam in oppidum eſt receptus: is mulctæ nomine oppidanis, uti auri libras ſexaginta ſolverent, imperavit. præfecti & centuriones qui erant, iis captivis eſſe juſſis, reliquis miſſis, mulieri ad patrem abeundi poteſtatem fecit: paucoſque ibi dies commoratus, dum exercitum luſtraret, ſtipendiaque perſolveret, Mirandulæ imperium Joanni Franciſco Pico, quod oppidum pater teſtamento ei reliquerat, Mutinæ, Maximiliani internuncio eam ob rem ad ſe miſſo tradidit: ejus enim oppidi, & Regii Lepidi jus, Impera-

Julio Mirandula ſe dedit.

peratoris eſſe Romanorum intelligebat. idque propterea 1511
minus gravate fecit, ut eo exemplo Maximilianus etiam Regium ſibi a Gallis, qui in eo erant, tradi poſtularet: ut quoniam illos Maximiliano morem minime geſturos confidebat, Maximilianus eam ob rem Gallorum amicitiam repudiaret, & cum ipſo ſe conjungeret.

Iis conſtitutis rebus Ferrariam verſus tormenta perferri exercituſque procedere imperavit. quæ cum Senatus futura intellexiſſet, in Julii gratiam claſſe navicularum e ſuburbiis, & biremium & aliorum navigiorum e navalibus urbanis celeriter inſtructa, cum ea cumque iis quæ ad Foſſam Clodiam erant triremibus Maurum iterum ingredi Padum jubet, qui pontem & naves, quæ eum ſuſtinerent, catenis conjungendas ſecum adduceret ad copias & equitatum trajiciendum. Grittus etiam Senatus juſſu una cum Lucio ad Padi ripam eas quas habebat copias duxit, militibus paucis & equitibus Montaniani relictis. Interea cum Senatus decreviſſet, ut triremes octo in Creta inſula, Zacynthi una, Cephallenæ altera, duæ in Dalmatis Jadera & Aſcrivio, decem & octo in urbe armarentur, omnes numero ad triginta, quarum decem eſſent ex iis quæ nothæ appellantur, nothis quidem eſt præfectus lectus idem Maurus, qui claſſi in Pado exercendæ imperabat reliquæ ſunt triremes ſingulatim iis civibus qui ſe Decemviris obtulerant, dari juſſæ. Jamque Julii & reipublicæ copiæ ad Finale municipium & Crevacorium vicum eaque loca ſe continebant: & Gallorum duces, Trivultius, atque is qui Magnus magiſter appellabatur, evocatis Verona & Lemniaco auxiliis ad Padum proceſſerant conſerendi manus cauſa, ut ipſe afferebat rumor. itaque & Julius ſuorum militum numerum celeriter auxit, & Veneti fo communitiores quibus opibus poterant reddiderunt. neque tamen ea diligentia opus fuit. hoſtes enim nullo facinore aut geſto aut tentato ſe ſe Carpos Regiumque retulerunt: Mutinamque de improviſo aggreſſi ut eam ſuam facerent, a Marco Antonio Columna, quem Julius cum quingentis militibus eo miſerat, ut oppidum Maxi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 miliano tueretur, facile repulsi sunt. Verumenimvero iis agitatis rebus Julius, id quod existimaverat, ut capto Mirandula municipio aditus sibi ad Ferrariam oppugnandam eo ab latere patefieret, cum in dies singulos plus rem difficultatis habere animadvertisset, cogitare cœpit, si ab Ravennæ finibus in Ferrariensem agrum suas copias introduceret, castellumque, quod est in Padi ripa, quod Bastia appellatur, expugnaret, se facilius bellum posse conficere, præsertim reipublicæ classe duorum exercituum impressiones adjuvante: quam quidem classem audierat Volanæ ostium ingressam Alfonsi biremes duas cepisse, cum eas Maurus præfectus per tresdecim millium passuum iter contra cursum fluminis celeritate suorum remigum assequutus fuisset, navemque onerariam advenarum mercatorum, quam biremes illæ in mari expugnatam in ostium fluminis attraxerant, recuperavisse. Itaque moræ impatiens (erat autem inexplebilis etiam animi, & alias semper ex aliis res atque incœpta temere plerunque aggredientis) cogitata perficiendi spe, cum in reditu paucos dies Bononiæ fuisset, Ravennam proficiscitur, magno suarum copiarum & comitatus labore, difficillimo anni tempore, impeditissimis viis: nam reipublicæ copiæ in illis, in quibus erant locis, fere se omnes continuerunt. Sed aliter res, atque ipse sibi finxerat, cecidit. ubi enim Julii copiæ (erant autem equites graviores sexcenti, leviores quingenti, milites quater mille) castello appropinquaverunt, Alfonsus, qui se ad id comparaverat, eas fudit, interfectis captisque non paucis. Neque profuit quod Maurus classem reipublicæ plus quam centum diversi generis navigiorum proxime castellum adduxisset, nonnullosque ex Alfonsi equitatu tormentorum pilis interfecisset. qui quidem Maurus postea, cum intellexisset ex amicorum reipublicæ literis, non unis in riparum inferiorum locis Alfonsum sua tormenta disponi mandavisse, ut classi noceret, sine ulla offensione ad fluminis ostium rediit.

Hac re intellecta, Galli apud Regium qui erant, iterum Carpos venerunt, flumenque Setiam factis pontibus ite-

iterum trajecerunt, ut reipublicæ copias aggrederentur: 1511
quod tamen facere neque tum quidem sunt ausi. qua in re cognosci potuit, sane justas Pauli legati querelas fuisse, cum dolenter sæpe diceret, Julianos duces vincere noluisse: si enim secum, ut ipse cupiebat, eisque proponebat, conjuncti ad hostes persequendos se comparavissent, profecto Galli deleri una pugna potuissent. quo facinore confecto Ferrariam capere Julio non magnopere difficile fuisset, quacunque is a parte cum utroque exercitu in ejus se fines intulisset. nunc se relictum, qui unus neque integris copiis Gallorum impetum exciperet: præfectos enim equitum tres una cum Julii ducibus eo miserat, unde repulsi ab Alfonso cum detrimento ignominiaque fuerunt, pauloque abfuit quin etiam caperentur. Sed Galli nulla molestia Paulo adhibita, cum ad Padum se contulissent, submissis Alfonso secundo flumine auxiliis militum non plurimorum, unde discesserant redierunt: Magnusque eorum magister Regii febribus confectus mortem obiit, cum ab Julio veniam totius suæ vitæ criminum missis ad eum internunciis impetravisset. Itaque unus eorum ductor atque imperator Triultius deinceps fuit. Atque illis ipsis diebus Marinus Georgius, multæ philosophiæ vir, quem legatum apud Bergomates agentem in clade exercitus anno superiore Galli captivum fecerant, atque in Galliam perduxerant, in custodiaque una cum Liviano habuerant, fide illis data intra sex menses vel pecuniam quam petebant, ut eum liberum facerent, se eis missurum, vel in Galliam atque in custodiam reversurum, Venetias venit. Vanissa Thrax equites septuaginta secum ducens, ab exercitu Pauli legati missu profectus, ut quid hostes molirentur circunspiceret; cum eorum militibus quampluribus in quos incidit, congressus, interfectis plus centum triginta, quos captivos fecerat, Francisco Mariæ imperatori dono misit.

Ea dum administrantur, ad diem septimum calendarum aprilium in urbe terra tremuit motu tam vehementi, ut Senatu, qui habebatur, ante ullam latam legem præter mo- *Terræ motus ingens Venetiis.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 morem dimiſſo, Patres ruina tectorum intercipi metuentes tumultuoſe ſe foras truderent. cadebant autem e ſummis curiæ templique Marcii parietibus pinnæ ac ſigna marmorea, quæ in iis antiquitus poſita prominebant: turreſque templorum nutare cacuminibus & commoveri proſpiciebantur: & æs campanum in pleriſque earum, maximeque in ea turri quæ in foro eſt, ſponte inſonuit: pleræque etiam vitium fecerunt: & aqua urbanis in alveis alte excitata contremuit: innumeraque fumi receptacula, quæ ſupra ædium culmina tubo atque calatho attolluntur, quaſſu divulſa in vias ipſaque in tecta corruerunt: domuſque non una cum incolentium interitu, parietes vero domorum & fanorum frequentes ruinam traxerunt: muliereſque prægnantes permultæ timore perterrefactæ abortum fecerunt, mortuæque ſunt. unum juvit, quod is non longinquus terræ tremor fuit. atque eas ob res, quæ acciderant, poſtridie ejus diei Deo optimo maximo ſupplicationes omnibus in urbis regionibus dies tres fieri, &, ne quid præter panem & aquam ad veſcendum omnes puberes ſumerent, ab Antonio Contareno Patriarcha Venetorum conſultis Patribus indictum. Pauloque poſt eundem prope terræ motum cum eiſdem fere prodigiis Patavii, Tauriſi, Fori Julii, nonnulliſque aliis in reipublicæ oppidis & finibus fuiſſe, magiſtratus eorum Patribus ſignificaverunt. Sed nihil æque eis moleſtum per eos dies fuit, nihil tam ægre univerſa civitas audivit, quam id quod Pauli legati literæ attulerunt, Leonardum Apulum, cum ad hoſtes Gallos, quos paucos eſſe audierat, repellendos ad vicum Belaerem cum quadraginta equitibus proceſſiſſet, interfectum ab illis fuiſſe, magna ſcilicet fide, magno animo & virtute hominem, atque in primis Veneti nominis amantiſſimum: cujus poſtea cadaver ad urbem delatum marmoreo in ſepulcro reipublicæ impenſa exædificato, in æde Gemellorum Senatus condi juſſit.

Leonardi Apuli mors.

Franciſcus reipublicæ copiarum imperator, cum fictis pro tempore cauſis Mantuæ ſe ad eum diem continuiſſet, calumniam a Senatu atque omnibus ab hominibus veritus,

tus, ad Julium velle ſe conferre palam fecit; profectuſque 1511
Coregium, quod municipium abeſt Mantua paſſuum millia circiter triginta, ibi ſe adverſa valetudine correptum ſimulans domum rediit. Interim, quoniam Paulus clare ad Senatum ſcripſerat, nihil ſe confidere boni a reipublicæ exercitu poſſe confici, Julii ducibus in contraria omnia obſtinate nitentibus ne Alfonſus domo expellatur, Senatus ad eum reſcripſit, omnem curam adhiberet ne pugnare cogeretur: pro explorato enim ſibi eſſe, ſi manus conſeret, illos eum media in pugna deſerturos. Itaque Paulus cum per ſe ſe, tum a Senatu admonitus operam dabat, ut neque timoris indicium ſui hoſtibus proderet, neque univerſum exercitum periculis objiceret. quamobrem in minutis & quotidianis expeditionibus cum Gallis, qui ad Padi ripam venerant, ſæpe congreſſus, non ſemel eos fudit, fugavit, ſuperiorque manu ſemper, inferior nunquam fuit. tantum Paulum Manfronium Galli hoſtes cum X. equitibus captivum fecerunt. Neque a Gritto quidem legato eodem tempore hoſtes non male habiti. quas quidem pugnas referre nihil neceſſe eſſe duximus. Venerat autem antea Bononiam Matthæus Lancus Curcenſium Epiſcopus ex Germania magno comitatu, homo arrogantia & elatione inſignis, a Maximiliano miſſus, ut cum Julio de fœdere cum Venetis ineundo ageret. qui paucos ibi dies moratus, cum nimis duras pacis conditiones attuliſſet, infectis rebus in Germaniam rediit. Senatus quoque cenſuerat dignitatis & exiſtimationis apud Julium reliquoſque reges retinendæ cauſa, ut equites gravis armaturæ, quos habebat, ad duum millium numerum augerentur, militum ſex millia veteribus addenda conſcriberentur. pauciſque poſt diebus ei Senatuſconſulto alterum fuerat Senatuſconſultum additum, ut ex Epiro equites mille leviſſimi accerſerentur: ut etiam magnum arcuum numerum amphoraſque vini Cretici quingentas Petrus Piſaurus, cui cum rege Britanniæ neceſſitudo mercaturæ exercendæ cauſa intercedebat, ad illum mitteret, fuerat a Senatu permiſſum. Mauro autem claſſis præ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 præfecto adverſa valetudine laboranti Andreas Bondimerius ſublectus eſt, ſexque triremes in Creta inſula armari juſſæ. Cumque Julius Helvetiorum militum ſex millium numerum conducere ſtatuiſſet, qui in Mediolani fines contra Gallos impetum facerent; velletque ut tertiam eorum ſtipendiorum partem reſpublica impenderet: Julius de eo a Senatu laudatus, & conditio libenter accepta, & lex de media mercedum parte a magiſtratibus reipublicæ remittenda, quæ tempus ſex menſium expleverat, in alteros ſex menſes prorogata. Ad hæc Concordiæ municipium, quod a Julianis indiligenter cuſtodiebatur, facile ab hoſtibus receptum eſt. Captum autem a legato Gritto propugnaculum natura & opere communitum in paludibus poſitum Crucula Lemniaco vicinum, miſſis noctu militibus in naviculis cum tormentis, præſidiumque impoſitum. in urbe uni ex nobilitate civi Gaſpari Valerio, quod hominem Rocchum nomine, tabellariorum reipublicæ præfectum, Tauriſi interfecerat, Decemvirum judicio medio in foro cervices ſunt abſciſſæ.

Concordia ab hoſtibus recipitur.

XI. kal. jun. Bononia a Gallis occupatur.

Iis ita adminiſtratis rebus, Galli hoſtes ab exulibus Bentivolis adjuti, qui factionis ſuæ montanorum hominum magnum numerum excitaverant, ex inopinato Bononiam contenderunt: cujus portas ejuſdem factionis cives furtim eis aperituros convenerat. itaque timore perterritus Juliani dux exercitus Franciſcus Maria reliquique duces, præripere ſe ſe hoſtibus ſtatuentes, relictis tormentis impedimentiſque omnibus conſtipati ipſi fugam capiunt, & ad Paulum legatum mittunt, qui hæc ei nunciet, atque illum idem facere ſuadeat: nullum aliud relictum ſubſidium: in eo uno poſitam eſſe ſalutem, ſi hoſtes præceſſerint. Paulus, qui de hoſtium adventu tam inopinato nihildum audierat, querens in fraudem ab Julianis ſe projectum, quod ſpatium colligendi recipiendique ſe ſe ſibi non dederint, cum ſuis omnibus ſubſequi Julianos celeriter cœpit, relictis iis, quæ imitari eandem celeritatem non poterant. Et quoniam Bentivolos oppidani jam introduxerant, expul-

pulſo Alidoſio Cardinali, qui per aliam ſe oppidi portam ejecerat; Juliani autem ad Bononiæ muros acceſſerant, ut iis circumactis in fines Forocornelianos ſe reciperent, quod nullam aliam habebant itineris faciendi rationem: idem ipſe quoque ſua cum manu Paulus facit, eique accidit quod Julianis, qui eum anteceſſerant, non acciderat. illac enim contendenti armatorum hominum montana incolentium plures manus occurrerunt: a quibus disjecti, ut quiſque potuit fuga capta ſe eripere ſunt conati. ita tormentis impedimentiſque amiſſis, militibus magna ex parte vel captis vel diffugientibus, interfectis nonnullis, equitatu non frequenti, ſe in tutum receperunt. Hac intellecta fuga Patres ad Grittum legatum, qui Lemniaco capiendo animum adjecerat, eratque eo cum exercitu profecturus, literas ſtatim dederunt: quoniam ad Bononiam male geſta reſpublica ſit, a Lemniaco aggrediendo abſtineat, eque Padi ripis & regionibus tormenta Patavium abduci curet: & ſi quid Galli molirentur, ne intercipi ab illis poſſit, ſe recipiat. Etiam magiſtratibus Patavinis & Tauriſanis mandaverunt, munitiones eorum oppidorum, quas inſtituiſſent, perficere maturarent. pauloque poſt ea re non contenti, legatum qui munitionibus procurandis Patavii præeſſet, reliquaſque res ad oppidi præſidium curaret, Chriſtophorum Maurum legerunt, qui ſtatim proficiſceretur: militeſque quot potuerant in urbe conſcriptos eodem miſerunt, verentes ne Galli fuga exercitus reipublicæ ſublati Padum trajicerent, atque in ejus oppidi fines irrumperent; ſi quid de eo capiendo & ſua celeritate, & reipublicæ indiligentia poſſent efficere, tentaturi. Legato vero Donato Senatuſconſultum eſt miſſum, quo Julium Patres hortabantur, ne propter recentia exercituum detrimenta animo perturbaretur, reſpublicam ei nunquam defuturam, omnem fortunam libentiſſime cum illo ſubituram, urbicas provinciales que opes, animos denique civium omnium promptos paratoſque ei polliceri. quo Senatuſconſulto accepto, Julius

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 lius lætari se plurimum constantia reipublicæ respondit, firmioremque multo & alacriorem adversis rebus contra Gallos se se factum confirmavit.

Eo fere tempore res a Patribus non semel antea agitari cœpta finem habuit: nam ut eorum civium Patavinorum qui improbi & contumaces fuissent, bona & possessiones inter illos centuriones, quos amanter fortiterque in obsidione Patavina reipublicæ navasse operam constiterat, vel si ipsi mortui essent in eorum liberos & propinquos partirentur, Senatus censuit. Venerat Ravennam ad Julium pulsus Bononia, uti dictum est, Alidosius Cardinalis: atque ut ea quæ acciderant, nulla sua culpa cecidisse illi ostenderet, multa de imperatore tanquam rerum bellicarum propter adolescentiam imperito questus apud eum est, atque, ut erat sermone satis accommodato ad fallendum, omnes ejus oppidi amissi causas, quarum ille prope omnium auctor fuerat, in unum illum derivavit. constat enim Alidosium omne studium adhibuisse, ut quæ ab imperatore procurabantur, ea illi omnia in contrariam partem cederent, neque ullum ad exitum perducerentur. Oderat enim adolescentem non tam ejus vitio, quam suo: cupidoque illum ingens incesserat, sui ut fratres, quos esse fortes viros prædicabat, magno in honore apud Julium essent, belliciscque rebus præficerentur, & auctoritate potentiaque pollerent, quarum rerum illo prospere imperante spem habere nullam poterat. Itaque ut in patrui eum invidiam adduceret, ea præsertim in re, qua nullam se unquam aptiorem & commodiorem habiturum confidebat, criminationibus subdole confictis est adortus. quod quidem ei apud hominem turbulentum, planeque iracundum, cui erat ipse antiqua consuetudine & quotidiano victu perfamiliaris, facile factu fuit. quamobrem cum paulo postea imperator, qui de calumnia sibi ab Alidosio apud patruum conflata de Julii familiaribus amicis suis pleraque intellexerat, se ad Julium purgandi sui causa contuliisset: Julius furore percitus verba in eum doloris contume-

tumeliæque plena temere effudit, neque audire illum voluit submisse ut patruo responderet se comparantem, atque a conspectu suo indignissime repulit. Adolescens contumeliam tam insignem Alidosio acceptam referens, magnum facinus facere in animum induxit suum. itaque a patrui cubiculo discedens cum septem aut octo, quos habebat secum, ex suis familiaribus, ad diversorium Alidosianum pedibus recta contendit: atque ipsum domo egressum media in via frequenti comitatu, septumque militibus plurimis, & equitibus armatis plus sexaginta, una cum sororis suæ viro Guido Vaina illorum equitum præfecto se ad Julium conferentem conspicatus, ubi Alidosii vicinus fuit, quasi eum alloquuturus a viæ latere ad illum inter arma omnium declinavit, mulæque ephippiis, qua is vectus incedebat, leva manu admota, educto dextera gladio hominem transverberavit. quod factum ejus comites intuentes, gladiis eductis & ipsi idem fecerunt. ita illum pluribus confossum vulneribus, sui a fræno milites mulæ detractum in eam domum, cujus ante fores erant, humeris intulerunt. qui quidem paulo post se ipse sæpius accusans egit animam, turpis & flagitiosæ vitæ vir, cui nulla fides, nulla religio, nihil tutum, nihil pudicum, nihil unquam sanctum fuit. Imperator gladio recondito, eo quo venerat passu pacate suum ad hospitem rediens, inermis equis, egressusque oppido, ad Metaurenses se suos retulit.

1511 *VIIII. kal. jun. Alidosius Card. a Francisco-Maria Ferretrio interficitur.*

Paulus legatus cum iis quas secum habuit copiis, tumque illis quæ cladis initio per diversa ab hostibus & invia montium fuga capta se se illis eripuerant, atque ad eum venerant, in Cesenatium vicum ad mare se contulit, ut in naves militibus & equitibus impositis in fines Patavinos se atque illos sisteret. Quod ubi Patres cognoverunt, navigia plus centum ex urbe & suburbanis & Fossa Clodia, triremesque septem majores e navalibus eductas paucis pro re administrantibus ad vicum Cesenatium miserunt ea de causa. Dum vero hæc procuran-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 rantur, milites prope universi, qui disjecti apud Bononiam a Bentivolorum factione vel capti fuerant, singulatim ad Paulum inermes venerunt, centurioneſque illorum militum omnes, quorum nonnullos interfectos fuiſſe rumor attulerat. eos Paulus, ut ad ſe navigia appellebant, impoſitos ad Albanum montem mittebat: is eſt locus in primis Patavinorum a Foſſa Clodia finibus. Ipſe autem Paulus, univerſo exercitu præmiſſo, triremem inſtructiorem e claſſe Bondimeriana ad ſe præter alias miſſam conſcendit, & me, qui caſu tunc ad eundem vicum Urbino veneram, ut Bembum patrem meum adverſa valetudine Patavii laborantem inviſerem, lætiſſima unius diei navigatione Foſſam Clodiam ſecum vexit. Is fuit dies ad octavum calend. julias. Paulus ad Patres ſe contulit, atque ab iis miſſionem poſtulans, ea non impetrata ad Leonicænos, ubi erat Grittus, eſt profectus. Patres exercitu reficiendo conſulentes, Mariano Prato, Leonardi illius quem Galli hoſtes interfecerant, fratris filio, tribunatum quingentorum militum conceſſerunt, atque ut eum numerum quamprimum conficeret, ad Grittumque legatum adduceret, mandaverunt. Erant Veronæ milites Hiſpani mille. ii oppido egreſſi ad Grittum miſerunt, quoniam nullius tunc hominum ſtipendia mereant, ſi legatus velit, ſe ad illum venturos ſtipendiaque reipublicæ facturos. Ea de re Patres admoniti, coacto Senatu cum plures ſententiæ dicerentur, ea vicit, quæ non eſſe eis confidendum cenſuit: itaque non ſunt recepti. Julius Romam rediens in itinere edictum in Bononienſes protulit, ni ad ſe remquepublicam Romanam revertantur, ſe ſe eos ab aqua & igni, a ſacrorum communione, a convictu hominum diris imprecationibus arcere. Cumque poſt eos dies acta e nubibus grando ſolito major atque frequentior, omnes terræ fructus, qui in agris erant, per X. millia paſſuum circa oppidum abſtuliſſet, vulgi ſuſpicio tenuit, edicti Juliani cauſa eam conflatam vaſtitatem cœlo miſſam cecidiſſe.

IIII. kal. jul. Julius Bononienſibus aqua & igni interdicit.

Eo tempore e Pannonia literæ venerunt: in conventu regio,

regio, qui poſtremus Budæ indictus fuerat, ſtatutum fuiſſe a reipublicæ fœdere diſcedi non oportere. In Carnis quidem hoſtes ad Utinum incurſiones feciſſe, vicoſque tres apud oppidum incendiſſe, Patres certiores facti, Aloiſio Mocenico legato Forojulienſibus a Senatu lecto, uti ſtatim proficiſceretur, mandaverunt. Nondum erat Romæ Julius, cum novem numero Cardinales, quorum erat princeps Bernardinus Cardinalis ſanctæ Crucis, homo Hiſpanus, literas ad illum Mediolano dederunt, quibus literis eum certiorem faciebant: quoniam ipſe tot annos, ex quo ſummus Pontifex eſſet, contra majorum decreta generale concilium ad rempublicam chriſtianam juvandam cogere diſtuliſſet, ſe communem cauſam obire agereque ſtatuiſſe. itaque illum, ut Piſis ſe ante diem cal. ſeptembris concilio agendo ſiſteret, monebant. Ne ve Julius eas literas inficiari poſſet ſe accepiſſe, quod nemo eſſet tam audax, qui ei ſe allaturum ullo præmio polliceretur, in foribus templorum Parmæ atque Placentiæ, tum vero etiam Arimini eas præfigi curaverunt. quod quidem Julio permoleſtum ſane fuit, præſertim cum illi eis in literis teſtarentur habere ſe conſiliorum ſuorum adjutores Galliarum & Hiſpaniarum reges Ludovicum & Ferdinandum. tametſi ſperaret Julius, auctoritate potentiæ ſuæ vel interminando vel hortando vel pollicendo, aliquos ex eo conventu in ſuam voluntatem ſe abſtracturum, eamque conjunctionem divulſurum, ipſo eorum principe homine ventoſiſſimo parum prudentiæ tantam ad rem, reliquorum nonnullis parum auctoritatis afferentibus: qua effecta re nihil ab aliis poſſe confici eorum, quæ ſperaverant, confidebat. Sed omnino poſt illud tempus plenior ſolito curarum & cogitationum Julius fuit. In Carnis cum hoſtes ſat magno equitum & militum numero ex Gorticianis finibus ad Cremonſe oppidum acceſſiſſent, ut illud, ſi poſſent, caperent, prædas autem abigerent, damnaque incolis & vaſtitatem inferrent: Joannes Vicarius legatus obviam illis factus, prælium acriter magnoque animo iniit, ipſe manu

1511

Piſana Pſeudoſynodus indicitur.

XI. kal. jul. Germani a Venetis ad Cremonſe funduntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 manu promptus ac paratus, ut quivis alius : itaque eos fudit, interfectis captiſque perplurimis. Erat cum illo Aloiſius Portus, de quo ſupra dictum eſt, validorum & pulcherrimorum membrorum excellentiſque virtutis atque invicti plane animi adoleſcens. Is cum ſe medios in hoſtes audaciſſime intuliſſet, eoſque jam in fugam conjeciſſet ; ab uno ex illis in collo apud tenontes vulnere tam tenui accepto, ut vix pellem gladius perforarit, omnibus tamen membris captus ab equo ſtatim decidit, ſublatuſque a ſuis per manuſque ſervatus prorſus immobilis per plures menſes fuit. cæterum exercere ſe poſtea in armis nequivit unquam. qui profecto caſus cladem illam hoſtium Viturio, a quo Portus propter virtutem amabatur ſane plurimum, odioſam in primis & lachrymabilem reddidit.

Hortatoria ad cives oratio, ut exſolvant ea quæ fiſco debent.

Interim domi Patres ob ærarii inopiam in magna curandæ pecuniæ difficultate verſabantur. quamobrem ubi dies comitiorum venit, ſedentibus in curiæ ſubſelliis civibus, Principis & reipublicæ nomine ſcribarum magiſter ſic eſt eos alloquutus : *Putare ſe ſe neminem in curia eſſe, quem ærarii anguſtiæ hoc tempore lateant : neminem, qui non videat, quam ad ea recuperanda, quæ indigne amiſſa ſunt, pecuniæ reſpublica indigeat : ea ut ſuppeditari ad impenſas belli poſſit, omnia excogitata a Patribus eſſe, nihil relictum inexploratum, nihil intentatum ſupereſſe, præter unum, ut qui fiſco debent cives, ii ſolvant, atque in ærarium quod debent conferant : id ſi fiat, ſuperfuturam pecuniam magiſtratibus palam eſſe : ſi non fiat, rem ipſam publicam in prædam hoſtibus & direptionem venturam, non eſſe ab ullo jam ulterius ambigendum : utrum eligere malint, fortunam ipſam eis hodie proponere ; vel eam portionem qua reipublicæ tenentur, ſua ipſos manu ei tribuere ; vel hoſtibus invitos omnia : nihil enim victis ſupereſſe, quod non in victorum poteſtate ſit : ex altero parva ſuarum rerum parte ipſos defecturos : ex altero prædia, fundos, inſulas, domos, uxores, liberos, quibus nihil in vita charius, nihil eſſe*

ſe dulcius poteſt ; lares, templa, libertatem reipublicæ 1511
communicationem imperii, cœlum denique hoc, auramque ipſam, qua vivunt, ipſos in periculum adducturos : majores ipſorum hanc eis patriam ſuo ſanguine peperiſſe ; eos autem parvo ſuo incommodo tueri eam nolle, neque deos neque homines probaturos. nihil eſſe miſerius ſervitute : itaque dura eis omnia perpetienda potius eſſe, quam ſerviendum : Leonardum Ducem ipſorum magiſtratuſque univerſos, qui hanc rempublicam procurant, rogare obteſtarique eos per ea quæ unicuique jucundiſſima ſuaviſſimaque ſunt, ut qui fiſco debent, quamprimum in ærarium inferant, ut ope auxilioque eorum nixa reſpublica ſublevare ſe erigereque tandem poſſit, ne in timore amittendi omnia perpetuo verſentur. Hoc ſermone habito, ad magiſtratus creandos ſe cives converterunt.

Sigiſmundus Caballus, qui legatus extraordinarius in exercitu reipublicæque locis fuerat, facultate a Senatu ſibi permiſſa domum rediens, in ſermone, quem ad Patres habuit, multa de Lucii copiarum reipublicæ præfecti timore formidineque animi in conſiliis capiendis, plura de tarditate negligentiaque in maturandis & perficiendis, actione plane libera & ſevera dixit : quæ quidem prope omnia Patres, ipſi per ſe ſe præterita repetentes majori cum dolore, quam adhibendis ei malo remediis agnoverunt. tametſi haud multo poſt eos dies, cum ea inter ipſos opinio percrebruiſſet, pernicioſum eſſe reipublicæ copiis hominem imperare & ſemper timidum, & nunquam diligentem, eoque maxime, quod Lucii præfecturæ tempus explebatur, cœptum eſt a magiſtratibus agi de alio in ejus locum eligendo, cui ſe tutius civitas in belli rebus tradi & permitti poſſit. Itaque Senatu coacto, aliqui ex illis Laurentium Cretanum, qui militibus reipublicæ præerat : aliqui Marcum Antonium Columnam, qui Julii ſtipendia merebat : aliique Gaſparem Severinatem, Mantuæ qui erat, certiores que Patres fecerat, libentiſſime ſuam ſe operam reipublicæ navaturum : eſſe præficiendum cenſebant. Laurentii virtutem egre-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 egregiam elevabat Gallicus, qui appellatur, morbus, a quo interdum impediebatur, ne exercere se, quantum opus erat, posset. Severinatem cum nonnihil adjuvaret inimicus in Gallos animus, a quibus Veronæ cum esset, custodiæ traditus per invidiam fuerat: alia multa premebant. Marco Antonio Columnæ adolescentia erat adversaria. Neque tamen defuerunt, qui tunc quoque uti alias, Gritto legato id imperium esse dandum existimarent, quod ea res neminem ex reipublicæ præfectis lædebat. Eæ sententiæ cum non semel in Senatu dictæ essent, a Joanne Medice Cardinali literæ Romæ datæ Patribus proposuerunt: si suis copiis præficere Joannem Paulum Balionem velint Perusinæ civitatis principem, magno in re militari nomine; se curaturum ut is internuncios ad urbem suos mittat, quibus cum agere, quæ agenda erunt, Patres possint. quæ intellecta res magistratuum controversiam diremit, pluresque in eam sententiam, quam in ullam aliam ierunt, ut Balioni præfecturam traderent. Ipse vero Lucius hæc vel prævidens futura, vel facta de amicis suis cognoscens, literas ad Patres dedit: senem se factum, minusque jam ad belli munera & labores obeundos idoneum, quam antea fuerit: itaque cupere artem desinere, si per eos liceat, atque ad requietem se vitamque reliquam dare, petere ut liceat. Quam quidem ejus petitionem Patres opportune oblatam libentes acceperunt, honorificoque responso missum eum fecerunt. Milites Epirotæ quingenti, Veronæ qui erant, ab exercituque reipublicæ profugerant, stipendiis apud hostes fraudati, commeatuum egentes, omnia perpessi mala, impetrata venia ad Grittum redierunt.

Jo. Paullus Balio Venetarum copiarum imperator.

Ferdinandi ad Julium legatio.

Ferdinandus Hispaniæ rex ægre ferens Cardinales eos, de quibus supra dictum est, in illa concilii Pisis agendi missa ad Julium denunciatione nomen suum adscripsisse, cum se ab illo adjuvari præ se tulissent, Julio per legatum suum confirmavit, *Nullam se ad id voluntatis suæ partem adhibuisse, nulla omnino se in re cum illis consensisse: quod si Julius eum in primis, qui Hispanus esset, dignitate illa & sacer-*

sacerdotiis, quæ in suo regno habet, spoliaverit, privatumque reddiderit, sibi eum rem gratissimam esse facturum, & suum illi mendacium eam, quam debeat, mercedem allaturum: uti autem Bononiam recipiat, omnes suas copias, quas fore propediem satis multas exploratum sibi esse, Julio se daturum polliceri. Quæ legati oratio gratissima Julio fuit. Interim Joanni Paulo Balioni omnium reipublicæ copiarum præfectura per annos tres cum equitibus gravioribus ducentis, levioribus quinquaginta, militibusque centum, atque iis unis belli tantum tempore, cumque eorum omnium stipendio, tum ad ipsius mensam libris auri triginta annis singulis a Senatu traditi. Tadeo Vulpio Forocornelienſi, quod ad Bononiam in exercitus fuga unus omnium præclare se gesserit, Bentivolorumque amicos porta oppidi exire properantes, uti agmen prætereuntium aggrederentur, magno animo reprimens in oppidum reverti compulerit, numerus equitum gravioris armaturæ, quem habebat, est a Patribus auctus ad CL. ejusque fratri equites leviores L. attributi. Venerat ad urbem in veste plebeja tenuique comitatu Marcus Helvetius Sedunorum Episcopus, quem Julius in Cardinalium collegium cooptaverat, homo magni animi, Gallis inimicus atque adversarius maxime. Causa veniendi fuit, ut Julii pecuniam ibi acciperet libras auri ad ducentas, militibus Helvetiis sex mille conscribendis, qui ejus stipendia facerent. moratusque in diversorio, quod Patres ei paraverant, dum sibi numi curarentur, per Lauredani Principis domum salutatis semel Patribus, Pisaurum in triremi, quam ei Patres dederant, se contulit, numis per suos domum missis: inde Romam ad Julium est profectus. atque is tantum abierat, cum ad urbem ille venit, homo reipublicæ amicus Maximiliani regis familiaris, ut Patres certiores faceret, si legatum ad Maximilianum secreto miserint, qui eum roget, uti cum civitate fœdus ineat, honestasque ei conditiones proponat, Maximilianum cum republica consenturum. Ea intellecta re Patres Senatu coacto Antonium Justinianum legerunt, qui statim ad

1511

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 ad Maximilianum proficiſceretur, cum fœderis feriendi poteſtate, ſi conditiones non reſpuerit: inter quas erat, ut ſi is Veronam reipublicæ reſtituat, Antonius polliceatur rempublicam ei daturam aliquam pecuniæ vim. eaque res ut bene reipublicæ verteret, omnibus in templis dies tres ſupplicatio decreta eſt. Antonius tacite profectus Feltriam ubi venit, literas ſibi obviam miſſas accepit, quibus ei Maximilianus ſuis in locis atque oppidis dies octo commorandi poteſtatem faciebat. Eis literis non contentus Antonius, quod tam brevi temporis ſpatio Maximilianum convenire, remque tantam perficere poſſe ſe non confidebat, alias longioris moræ literas ſibi mitti poſtulavit, eaſque in caſtello Butiſtanio, quod eſt in extremis reipublicæ finibus, ſe expectaturum confirmavit.

Antonio itaque Butiſtanii eas literas expectante, hoſtes qui Veronæ erant, a Maximiliano atque ab rege Galliæ haud parva manu aucti, commeatu & tormentis per Atheſim flumen ad eos in ratibus Tridento miſſis, oppido egreſſi ut exercitum reipublicæ aggrederentur, ad Grittum, qui non longe aberat, contenderunt: congreſſique, cum Veneti propter paucitatem premerentur, eos repulerunt, ducentoſque ex equitibus captivos fecerunt, interfectis perplurimis, & Suavium ac Leonicænos ceperunt. Grittus cum reliquis, qui quidem fortiſſime pugnaverant, in Ateſtinorum ſe fines recepit. Fuerat hoſtium numerus equitum gravis armaturæ ſeptingentorum, levis mille quingentorum, militum circiter ſeptem millium cum Vaſconum, tum Germanorum, ad quos gregariorum magna multitudo acceſſerat: quibus omnibus Palitia Gallus homo non obſcuri inter ſuos nominis præerat. Ejus prælii nuncio accepto non mediocris timor Patres inceſſit, ne eo ſucceſſu hoſtes ſublati Patavium improviſo ſe conferrent, quod vacuum defenſoribus ſciebant eſſe, ut de eo capiendo, ſi quid poſſent, experirentur. Augebant eum timorem literæ a magiſtratibus Alpinis ad eos datæ, Maximilianum Tri-

IIII. non. aug. hoſtes Verona egreſſi Venetos fundunt.

dentum veniſſe: rumoremque ſatis conſtantem vagari, illum propediem, in fines reipublicæ Tauriſum verſus impetum facturum. quas ob res legatum, qui Tauriſi rebus belli præeſſet, Joannem Paulum Gradonicum Patres legerunt: & militum quina millia undecunque celeriter conſcribenda eſſe ſanxerunt: atque uti e nobilitate cives viginti Patavium, X. Tauriſum mitterentur ad eas urbes cuſtodiendas, cum X. militibus ſinguli, totidemque e plebe urbana cum tribus, qui portis eorum oppidorum adſiſterent, Senatuſconſulto addiderunt: Grittumque exercitum ſine mora Patavium adducere juſſerunt: ſcripſiſſe enim Juſtiniano, ut ſi quippiam cognoſceret, quod impedimento eſſet, quo minus conveniret inter Maximilianum atque rempublicam, quamprimum poſſit, ipſe operam daret, ut quidquid id eſſet, omnibus modis e medio prorſus tolleretur.

1511 *Patavium & Tauriſum muniuntur.*

Quoniam autem Principis, & ejus collegii juſſu edictum propoſitum fuerat, ne cui, qui fiſco deberet, frumenta poſſeſſionum ſuarum in urbem advehere, niſi ipſis permittentibus, liceret: ne ea res advectiones moraretur, altero edicto facultas in urbem advehendi civibus omnibus eſt data. quodque ſunt in Sili flumine molæ frumentariæ perplures, quibus civitas utitur, eas qui cuſtodirent, armatos homines in naviculis XXIIII. ut ſuburbia, quæ a ſeptentrionibus ſunt, mitterent, Senatus juſſit, æque inter ea, quæ quatuor ſunt, diviſo navicularum numero, cum Muriani Torcelliique magiſtratibus, qui eis præeſſent: paniſque claſſicus omnibus cum viginti dierum ſtipendio publice datus: quorum dierum ſpatio quid hoſtes molirentur, ſciri poſſe Patres exiſtimaverant. Exercitu Patavium adducto, militibuſque mille, in Rhodigianis finibus qui erant, quos Patres evocaverant, eodem introductis; magna eſt hominum fuga ex agris cum Patavium tum etiam Tauriſum facta, ut omnes viæ carrorum, pueros mulieres & impedimenta domeſtica convehentium, implerentur. quem timorem augebat, quod afferebatur, quoniam hoſtes Leonicæ-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 nicænis captis majorem oppidanorum partem una cum mulieribus & infantibus interfecerant, oppidumque & vicos aliquot incenderant, eos omnibus in reipublicæ locis idem esse facturos. itaque Bassiani Asulique magistratus relictis municipiis, quibus præerant, nullis eos hostibus impellentibus, sed sola earum rerum auditione perterriti, Taurisum profugerunt. Missus autem eo Laurentius Ceretanus præfectique alii cum militibus & equitibus levissimis, fractos jam civium & reliquorum animos confirmaverunt. qui una cum Gradonico legato, ut oppidum redderent communitius, animum intenderunt; magnumque agricolarum numerum, qui in oppidum confugerant, nacti, celeriter ejus quod intenderant, non parvam partem effecerunt. Frumenta, quæ in agris erant, in oppidum comportari mandaverunt. Præterea, ut in urbe major numerus reperiretur eorum qui e nobilitate, qui ut e plebe Patavium aut Taurisum accederent: utque ad id faciendum eo promptiores essent, præter Bartholomæum Mustium, qui jam se se Patribus obtulerat cum armatis hominibus **XXX**. duos menses in utro vellent oppido, sua impensa reipublicæ operam navaturum, & Sabam hominem e plebe, qui cum decem; ac propterea magnopere laudabantur: proposita fuerunt præmia, tam iis qui e nobilitate, quam iis qui e plebe, pro sua quibusque conditione, qui ad tutanda ea oppida ire vellent.

Vicetia ab hoste occupatur.

Hostes interea vacuam hominibus Vicetiam, quod prope universa civitas fuga Patavium atque ad urbem se contulerat, facile ceperunt: Pandulfusque Malatesta Citadellam, ab illis eo cum equitibus quadringentis propinquo ejus misso. Eas ob res Patrum jussu sacerdotum & sacrarum virginum collegiis tercenta staria frumenti dono data, ut preces Diis immortalibus pro republica facerent. Atque ut pecunia quibus posset modis exigeretur; lex antea perlata, nunquam autem palam proposita, quod asperior duriorque esse Patribus videbatur, in Senatu lecta est. Ea erat ejusmodi: *Qui senatores fisco*

sco deberent, decem dierum spatio in ærarium conferrent: 1511
qui id non fecerit, a Senatu excludatur, aliusque in ejus locum sublegatur. Et alia item ejusmodi: *Qui in ærarium pecuniam inferret, ea illi accepta una cum decima a quæstoribus referatur: qua is pecunia quæ ipse quæve quis alius portoria ullis urbanis magistratibus debiturus in posterum sit, solvere, acceptumque ac relatum facere possit.* Etiam a Decemviris, *prædia reipublicæ fundique aliquot in Cypro insula ut venirent eaque statim ad urbem pecunia trajiceretur*, latum. Sed eam legem quæ de iis qui fisco debent, a Senatu ejiciendis loquebatur, paulo post etiam ad omnes alios magistratus cum urbanos tum provinciales extensam atque amplificatam majora comitia probaverunt. itaque perplures magni viri a rebus publicis tractandis ejecti, in privatorum numero sunt habiti.

Lucius molestе ferens se a Senatu missum fuisse, tametsi velle quiescere ipsemet Patribus significavisset, quereliſque ea de re legatorum aures quotidie obtundens, id perfecit, ut Senatus, ne in illum ingratus esse ulli hominum videri posset, pristinum ei locum restituerit: quo in loco tamen parum temporis esset futurus, Joanne Paulo Balione brevi ad exercitum venturo, cui parere Lucium oporteat. tametsi, etiamsi ad exercitum Balio nunquam venisset, non tamen irrita ejus Senatus opinio fuisset, non multum scilicet temporis in sua præfectura futurum Lucium. paucos enim post dies in febriculam incidens, ea in horas graviore facta, mortem obiit. Romæ autem accito ad se se reipublicæ legato Julius, qui cum erant Hispaniæ Britanniæque regum legati, ei proposuit, se cum illorum legatorum regibus cumque republica fœdus inire statuisse: quo ex fœdere Galliæ regi bellum eodem tempore omnes facerent: ei bello Ferdinandum confirmare equitum gravioris armaturæ mille ducentorum, levioris mille, militum tresdecim millium numerum se præstaturum: totidem item Henricum: quibus copiis bellum a suis finibus in Gal-

Lucii Malvecii obitus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 liæ fines inferat : ipſum autem ſuum exercitum bene plenum paratumque in commune allaturum : idem ut Veneti ſe facturos polliceantur , non tam hortari , quam confidere , nulla eos in re deſiderari ſuum munus atque officium permiſſuros : neque enim ullius ſociorum tam referre id bellum fieri , quam reipublicæ : itaque jubere ipſi , ut ea Senatui perſcribat , petatque ab eo ſyngrapham , qua pro ejus parte fœdus confici & conſcribi poſſit . Eum Julii ſermonem uterque regum legatus Donato comprobavit . Quibus rebus cognitis , ex Donati literis Senatus omnibus ſuffragiis ſyngrapham fieri , atque ad illum mitti juſſit .

Monuerant Grittus Pauluſque legati Senatum , quoniam equites gravis armaturæ vulgo conquerebantur , eo quo merebant ſtipendio non poſſe ſe ſe equoſque ſuos alere tam duro tempore , tam frequenti omnis commeatus propter fugam agricolarum inopia , tantiſque laboribus perferendis : optimum factu eſſe , ſi ſtipendia illorum Patres auxerint , ut lætioribus animis ſuam reipublicæ operam uberiorique cum fructu navent . quamobrem ei Senatus & ſtipendiorum ſummam auxit ad auri libram in annos ſingulos , quæ prius erat quinta parte minor : & duorum menſium ſtipendia repræſentari a quæſtoribus imperavit . Quod autem pecunia publice defecerat , a civibus ditioribus , quod opus eſſet , mutuo petere Patres conſtituerunt : utque cæteri eo exemplo moverentur , Dux ipſe Lauredanus libras auri decem eo nomine in ærarium primus contulit . Id reliquorum civium perplures imitati , & ipſi pro ſuis facultatibus idem fecerunt : ut eſſet omnis ea pecunia libras auri ad ducentas , eoque amplius . Scripſerant Patres ad Balionem , ut e Perufii Spoletique finibus pedites bis mille conſcriberet , ſecumque adduceret : pecuniamque ad eam rem ſuis internunciis dederant . Itaque ad eos reliquoſque illius milites & equites & comitatum advehendum , triremes nothas tres vacuas paucis adminiſtrantibus , aliaque navigia ad eam rem accommodata Patres in Flaminiam miſerunt ad vicum ,

cum , qui appellatur Catholica , eiſque navigiis euntibus & redeuntibus Bondimerium Padanæ claſſis præfectum eſſe præſidio juſſerunt , ne quid eis Alfonſus in itinere noceret . 1511

Tauriſium munitur.

Gradonicus in Tauriſanis legatus de Laurentii & Vitellii multæ virtutis hominum conſilio , ut oppidum communiret , magnam curam & diligentiam adhibebat : muros reficiebat : e turribus , quæ in iis erant veteri conſuetudine altiores , quam præſens rei militaris ratio poſtulabat , ſuperiorem partem detrahebat : foſſas latiores & profundiores faciebat : aggerem conſtruebat : extra oppidum per quingentos paſſus tecta diruebat , arbores ſuccidebat ; ut nihil aut proſpectui , aut ejaculandis tormentorum pilis obeſſet . Aqua Silis fluminis , quod flumen oppidum interfluit , ut in oppido ſuſtineri poſſet , quæ hoſtibus accedentibus effunderetur ad omnem circa oppidum regionem ſubmergendam , alveos e lateribus ſolidiſſimos cum oſtiis lapideis plurimis , ad quamvis vim aquæ brevi evomendam , concamerationeſque ſub mœnibus perque aggerem firmiſſimas exædificabat . quod opus magna impenſa poſtea perfectum expletumque ejuſmodi nunc quidem eſt , ut neque pulchrius & elegantius , neque aptius atque accomodatius quidquam ullum ad oppidum muniendum & tuendum aliis in locis fere conſpiciatur .


Hoſtes autem , quorum erat numerus prope viginti millium , ulterius per Vicetinos fines progreſſi , incendiiſque omnia fœdantes , Camiſanumque maximum totius agri pleniſſimum vicum , ut incendia uſque Patavio proſpicerentur ; Baſſianum oppidum ceperunt , diripuerunt , virgines violaverunt . e quibus tamen equites Epirotæ reipublicæ extremum agmen aggreſſi , triginta captivos Patavium , unde venerant , intulerunt . In iis Hieronymus Poſterla , Mediolanenſis civis , homo ſatis dives , fuit . Interea Juſtinianus , quem ad Maximilianum fœderis ineundi cauſa miſſum a Senatu diximus , cum regiis procuratoribus colloquutus , cum ii ſe ad illum non ſemel contuliſſent , ſpretiſque quas afferebat conditionibus ,

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 bus, eum tandem miſſum feciſſent, demum etiam revocaviſſent, neque tamen convenire inter ipſum atque illos poſſet, a Senatu revocatus ad urbem rediit.

Ac domi quidem magiſtratibus comitia habentibus, Bartholomæoque Muſtio qui amanter Patavium profectus tuendo oppido cum triginta militibus ſua impenſa, uti ſupra dictum eſt, reipublicæ operam dabat, ſenatore tanta civium voluntate declarato, ut multo ipſe majore ſuffragiorum numero, quam ullus ex ſuis competitoribus, id muneris adeptus eſſet: tametſi magna illorum pars in eo magiſtratu ſæpius fuerint, quæ res maxime adverſaria ſolet eſſe iis, qui idem petunt: Lauredanus Dux ad cives converſus ejuſmodi ſermonem habuit: *Lætari ſe plurimum, quod ipſi favore ſuo atque benivolentia eos in primis cives proſequantur, ſuffragiaque ſua iis honeſtandis conferant, qui communi commodo inſerviunt, ſeque pro patria periculis obiiciunt, & impendia rei familiaris erecto animo ſuſtinent. Itaque*, inquit, *non omnino Deos immortales iratos nobis eſſe atque adverſos puto, cum hanc vobis mentem datam, atque hunc ab illis ſenſum videam; ut qui amore patriæ in labores in diſcrimina ſe ſe dant, maxime dignos veſtris muneribus exiſtimetis, atque illis qui minus id faciunt, præferendos veſtris ſententiis judicetis. Gratulorque Muſtio, quem hoc honore amplificaviſtis: quo quidem gaviſurum eum puto in illis ſuis laboribus longe magis, quam ſi omnibus commodis affluens plurimis in voluptatibus verſaretur, ſummaque vitæ ſecuritate frueretur. hoc eſt enim vere vivere, prodeſſe patriæ, defendere rempublicam, tueri cives ſuos, vitam ſine libertate minimi facere, etiam præferre mortem ſervituti. hæc qui ſecum reputat, qui ſentit, ille mihi præſtans & magnus civis videtur, ille dignus in quem unum a ſua civitate omnia ſtudia, omnes honeſtates conferantur. Hæc vos cives, mea mihi vita chariores, dies atque noctes cogitare oportet, ut Muſtio ſimiles, cum uſus erit, patriæ laboranti ſuccurratis. quod ſi feceritis, & illa beneficiorum & laborum veſtrorum memor, omnes ſuas*

ſuas dignitates in vos profundet, & ipſi non ab ea modo, quod tamen civi egregio & amanti patriæ ſatis eſſe plane debet, ſed etiam omnibus ab hominibus laudabimini. nam qui acta civitatis noſtræ conſcribunt, veſtra nomina ſuis libris inſerent. ita virtutes & benefacta veſtra legentur, aliis narrabuntur, per ora gentium & ſæculorum pervagabuntur, nomenque veſtrum æternitati commendabitur. Hac oratione a Lauredano habita, perplures cives ipſi & magiſtratibus ſe paratos obtulerunt, neque rei familiari, neque vitæ ſuæ parcere, ut ſaluti publicæ pro virili ſua opem atque præſidium afferant. Ita comitia dimiſſa. 1511



BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

IN LIBRUM DUODECIMUM
C. AUGUSTINI CURIONIS
EPITOME.

GLades in Istris a Friapane accepta. Gallorum ac Germanorum in Carnis & alibi progressus. Julii ægritudo. Pisaurum a Julio Franciscomariæ traditur. Germanorum ex Alpibus populationes. Gallorum ad majus litus usque incursiones. Venetorum cum Julio & Britanniæ rege fœdus. Galli & Germani Taurisum obsident, eorumque discessus. Lex de novo navalium magistratu creando lata. Exercitus ad amissa in Carnis recuperanda missus, ejusque res gestæ. Vicetia ad reipublicæ imperium redit. Julius eos, qui Pisanum concilium coegerant cardinalatu spoliat. Brixia & Bergomum a Venetis capitur. Varia pacis cum Maximiliano negotia. Bononia a Pontificiis & Hispanicis copiis obsessa, a Gallis liberatur. Venetorum ad Villamfrancam clades. Brixia a Gallis expugnatur. Duodecim Helvetiorum legati ad urbem veniunt. Induciæ inter Maximilianum & Venetos. Pugna apud Ravennam. Lateranensis concilii initium. Ravenna a Pontifice cum arce recuperatur. Helvetii se Veneto exercitui conjungunt, eorumque res gestæ. Bononienses se iterum Julio dedunt. Galli tota Insubria pelluntur. Selimus patri regnum eripit, ejusque ad Venetos legatio. Genua a Jano Fregoso capitur. Alfonsus Atestinus a Julio interdicto absolvitur, & Roma aufugit. Helvetii a Julio Romanæ reipublicæ defensores appellantur. Julii in Alfonsum conatus irriti. Mediceorum Florentiam reditus. Julius Galliæ regi aqua & igni interdicit. Veneti Cremam recipiunt. Gallorum in Aquitania clades. Veneti cum Ægypti rege fœdus renovant. Neapolis prorex Brixiam capit. Julii cum Maximiliano fœdus, a Venetis alienatio & obitus. Leonis X. creatio.

PE-



PETRI BEMBI
RERUM VENETARUM
HISTORIAE
LIBER XII.

EO tempore in Istris incommodum acceptum est, fugatis equitibus & militibus reipublicæ cum legato ejus regionis Andrea Suriano, a Christophoro Friapane, qui se in insidiis occultaverat; prædaque facta. quas ob res paulo post Suriano a civibus male audiente, Sebastianus Justinianus a Senatu lectus est, qui legatus Istris regendis eo se statim conferat, cum antea regendis Dalmatis lectus fuisset. Ab hostibus vero Galli Germanique Asulum & Marostica facile capta: qui cum in planitie popu- 1511
lationes facerent, Epirotis reipublicæ extremum illorum agmen carpentibus, plurimos ex suis non semel amiserunt: quod quidem detrimentum sarcitum cum fœnore est, Vasconibus mille quingentis aucto eorum exercitu. A Fossis autem Clodiæ municipibus cruciula celeriter coacta, fuga-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 fugatis Alfonſi navibus, perplura ab eis capta optimis mercibus onuſta navigia recepta ſunt in Vatreni oſtio, atque ad urbem & ipſum ad forum magnis acclamationibus & tubarum ac tympanorum ſtrepitu & tibiarum ſonis, tanquam in triumphum ducta. Auctis vero admodum febribus, quibus iterum tentari cœperat Julius, ut ſe moriturum crederet, Franciſco Mariæ fratris ſui filio, quod Alidoſium Cardinalem interfecerit, ne crimini eſſet, decrevit, ſcriptiſque id literis eſt teſtatus: Piſaurumque oppidum regendum & obtinendum ei tradidit, quod hæredes ejus ſequerentur, ſtipendio leviſſimo in annos ſingulos dari Romanis Pontificibus imperato: filiæque ſuæ Felici libras auri centum viginti, totidemque Franciſco Mariæ, alteroſque totidem Nicolao Ruvero ſororis ſuæ filio dono dedit.

Federici Contareni de hoſtibus victoria IIII. non. ſept.

Exierant Vicetia hoſtium equites gravis armaturæ centum, levioris fere ducenti, milites Vaſcones quatercentum Verona profecti, ut Maroſticam ſe conferrent. id cum ab agricola Federicus Contarenus cognoviſſet: qui Patavio egreſſus cum equitibus levioribus quingentis, ut hoſtibus ſi qua poſſet noceret, eandem regionem verſus ſe conferebat: cum tertia ſuorum equitum parte, quo illos iter facturos arbitrabatur, ſe convertit. reliquas duas partes diverſis itineribus, ſi hoſtes reperire poſſent, miſit, cum mandatis, ut qui priores hoſtium agmen conſpicarentur, id celeriter reliquis ſignificandum curarent. Accidit autem, ut ipſe in eos prior incideret. itaque una cum Guido Rangonio magni animi adoleſcente ſine mora congreſſus, parum abfuit quin ab eis caperetur. Rangonius quidem ab equo dejectus in manus hoſtium venit: quorum impetum Federicus temperanter ſuſtinens eos morabatur, dum reliqui, ad quos accerſendos miſerat, accederent. id dum per horæ ſpatium fit, reliqui adveniunt. tum redintegrato ſimul prælio, cum diu atque acriter utrique pugnaviſſent, hoſtes ſuperantur, ſeque fugæ mandantes, quod equitum noſtrorum celeritatem effugere non poterant, milites conciduntur: reliqui omnes ad unum capiuntur cum jumen-

jumentis ſarcinariis permultis, quæ ſupellectilem magni pretii ad Palitiam reliquoſque duces afferebant, cumque mulierum turba, quæ agmen ſequebantur. Rangonius equitem, qui eum ceperat, a ſe captivum factum, in equi ſui poſtremo dorſo Patavium in reditu ingrediens adduxit. erat autem hora noctis fere tertia, ut multis luminibus allatis utrunque agmen victores ſimul & victi non ingratum ſpectaculum Paulo legato, qui in porta aderat, & oppidanis dederint. 1511

Grittum legatum ob adverſam valetudinem Senatu permittente Patavio ſui ad urbem detulerunt: & Bondimerium e Foſſa Clodia eadem de cauſa item ſui. Lucio mortuo dum Balio ad exercitum venit, Bernardinum Bracium, egregia fide hominem, pro præfecto copiarum reipublicæ Senatus eſſe juſſit: quæ res præfectis reliquis exercituique omni gratiſſima ſane fuit. eique in præſentia datæ libræ auri decem in ſtipendium, quinque autem in menſes ſingulos ad victum inſtitutæ. Meleagro etiam Forolivienſi, quoad Joannes Græcus, qui longinquo morbo detinebatur, convaleſceret, ejus equites regendi dati una cum aliis levioribus quinquaginta qui Lucii fuerant: ex centum autem gravis armaturæ, qui fuerant ejuſdem Lucii, Guido Rangonio ſeptuagintaquinque; reliqui Thadeo Vulpio diſtributi. Atque inter hæc Theodorus Paleologus, homo reipublicæ amantiſſimus, Zacyntho rediens equos quinquaginta leviſſimos ad urbem ſecum duxit. cujus ab inſulæ prætura, Joannes Barbadicus triumvir ad magiſtratuum provincialium furta criminaque cognoſcenda, Hieronymum Bernardum ejecerat, pecuniis omnibus, quas nullo jure abſtulerat, reſtitutis, ipſo ad urbem ſe ſiſti juſſo; Stephanoque Capello prætore in inſula inſtituto: eam enim illi poteſtatem Decemviri dederant. Hoſtes cum frequentes populationes in Aſpibus feciſſent, Reiunium cepiſſent, caſtella multa & vicos diripuiſſent: cum carris quamplurimis, qui naviculas ad pontes ſuſtinendos binas ſinguli, quique ipſos pontes diſcluſos atque in partes plurimas ſejunctos ferebant, Plavim flumen verſus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 *Federicus Contarenus Caſtellum Francum occupat.*

ſus ſe contulerunt. quorum diſceſſu cognito, Federicus Contarenus Janeſque Fregoſius, Patavio ad Caſtellum Francum procurrentes, porta ſuccenſa municipium capiunt una cum præfecto, quem hoſtes ibi reliquerant ad commeatum procurandum, & ejus equitibus aliquot militibuſque triginta, cumque iis qui panem exercitui conficiebant, quorum erat non parvus numerus: farinæque carros aliquot abſtulerunt, frumentique aliquantum modum, ut Epirotæ fere omnes oneratos admodum ea præda equos ſuos in reditu habuerint.

Tauriſi autem legatus præfectique, quod hoſtes ad ſe venturos intellexerant, eam diligentiam perficiendis munitionibus adhibuerunt, ut non ipſi modo reliquique cives Veneti & Tauriſani, ex nobilioribus, ſed ipſæ ejam mulieres ſingulis diebus plures horas terra ſuis manibus fodienda & covehenda laborem forti animo ſubierint. Poſito in naviculis ad Plavim ponte, Germani flumen transierunt. Galli trajicere noluerunt, verentes ne Germani, cum ſuæ terræ finibus appropinquaviſſent, cupiditate domum redeundi, & quod eis ſtipendia fere non perſolvebantur, ſe relinquerent. erat autem Gallorum numerus prope viginti millium, Germanorum duodecim millium, præter equites utriuſque armaturæ circiter octingentos: quorum graviores more ipſorum duos ad ſummum ſinguli, ſæpe etiam unum tantum equum habebant. Germani igitur Sacilium profecti, oppido defenſoribus vacuo facile potiti ſunt, atque ibi commeatu, quo antea caruerant, exercitum refecerunt. Eo capto municipio magnus eſt omnibus illis populis injectus timor, ne ab iis ferro atque igni ob innatam genti feritatem & crudelitatem vaſtarentur. Qua re cognita, fortunæ favore uſi, & ſua pauliſper remiſſa vulgo ſæviendi conſuetudine, non multis diebus eam omnem regionem in ſuam poteſtatem redegerunt. Ea tempeſtate ne pecunia Patres deficeret, propterea quod rerum fiſco cedentium Triumviri magnum ſuis in libris publice debentium civium numerum habebant, Senatus legem ſcivit, ut iidem Triumviri bona civium fiſco debentium

Sacilium ab hoſte capitur.

tium omnia, quæ ſui juris feciſſent, facturi ve eſſent, ipſi in foro licerentur: licentibus partem eorum bonorum tertiam fiſci noviſſimi pecunia vel ſua, vel aliorum, cujus eſſent creditores, emere liceret; ſi pro reliquis duabus partibus numerato perſolviſſent: eaque bona ita diſtracta ſi redimere priores domini voluerint, intra dies octo eo modo, quo empta erunt, poſſint: ſi noluerint, eæ emptiones nullum poſtea præjudicium patiantur, ſed firmæ ſolidæque ſint tota tempora. 1511

Germani loca multa occupant in Forojulio.

At in Carnis Germani etiam Covoli arcem, quæ quidem nulla vi expugnari poterat, uti antea dictum eſt, qui in ea erant ſe dedentibus, ceperunt. quo accepto nuncio Aloiſius Gradonicus Utini magiſtratus, magni ſane, ſed parum muniti oppidi, relictis prædæ hoſtium magni pretii tormentis, ex eo diſceſſit. Dein Portus Gruarius, pauloque poſt Mota ad Liventiam flumen municipium, & non longe ab eo flumine Udertium captum. quoniam vero earum regionum fere omnium, quæ citra Plavim ſunt, agricolæ ſe in ultimas Tauriſanorum collium ſylvas abdiderant, Galli magna cum manu eo profecti, atque introrſus patefactis, viis, non parvam eorum partem conciderunt, magnamque armentorum pecorumque vim, quam illi ſecum adduxerant, abſtulerunt, mulieresque eorum ætate ac forma non ſpernenda tenuerunt. Alia autem ex parte a Germanis Sacilium Carnicum eſt captum. Ea re audita Patres, ut Gradiſcas communirent, curam adhibuerunt, miſſis eo celeriter equitibus, &, quos in urbe conſcripſerant, militibus cum centurionibus & præfectis. quæ tamen cura nihil illis profuit. noſtris enim ad caſtelli muros caſtris, cum Germani tormentis, quæ nec multa nec magni ponderis habebant, eos quatere cœpiſſent; qui in eo erant ſe ſe hoſtibus dediderunt, cum defendere municipium parvo negotio potuiſſent.

Gradiſca Germanis fit deditum.

Fovebantur autem Germani a plurimis Forojulianis civibus, atque ab Antonio Savorgniano quidem maxime, uno ex Utini principibus & nobilitate & opibus & reipublicæ paulo ante gratia in primis claro, qui nullo unquam laceſſi-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 ceſſitus injuria ad Maximiliani duces profugerat, eoſque rebus omnibus juvabat, auctorque illis fuerat, ut ſe Gradiſcas conferrent. niſi tamen injuriam accepiſſe illum eſt exiſtimandum, quod paucos ante menſes coactis agreſtibus hominibus clientibus ſuis magnam in civitate cædem fecerat, trucidatis pleriſque honeſtiſſimis civibus adverſariis ſuis, eorumque ædificiis incendio abſumptis: ut neque jus, neque pudor, neque timor reipublicæ, neque magiſtratus, qui aderat, reverentia continere illum potuerint. quod tamen ejus conſilium apud conſobrinum ſuum Hieronymum Saornianum tanti non fuit, ut eum ab officio atque ab amore reipublicæ abduceret. nam cum ille ſuum in caſtellum, quod in Oſopio monte eſt loco alto atque edito, viæ, qua Germania plurimum aditur, imminens, quodque pridem has ad res magna ſua impenſa exædificaverat, ſe contuliſſet; duceſque Maximiliani ad eum miſiſſent, uti ſe dederet, eique necem & incendium exemplaque ultima interminati eſſent, niſi paruiſſet: ſpretis eorum minis ſe ad defenſionem forti & conſtanti animo comparavit, literaſque ad Senatum ea de re dedit, pollicituſque eſt Patribus, nihil ſe indignum ſuis majoribus, nihil a reipublicæ erga ſe charitate alienum, nihil Antonii rebus ſimile commiſſurum. quibus acceptis literis Patres Joanni Viturio, Tauriſi qui erat, mandaverunt, ut Oſopium veſtigio cum quadringentis equitibus contenderet Hieronymo auxilium laturus. Cumque dies comitiorum ſenatoribus ſexaginta creandis veniſſet, Hieronymus Saornianus pluribus ſuffragiis, quam ullus alius, eſt ſenator renunciatus: tantum civitati in tam turbidis reipublicæ temporibus, optimus in illam Hieronymi animus gratus & jucundus fuit. Iidem Patres cum fiſco debentes in tot eos latis legibus non tamen in ærarium conferrent: ad eas leges, de quibus in ſuperiore libro dictum eſt, aliam etiam in Senatu legem ſciverunt, quæ paulo poſt majoribus in comitiis eſt perlata: qui magiſtratus vel ſint, vel futuri ſint, afferant ſinguli reipublicæ ſcribis fidem quatuor magiſtratuum ſcripto confirmatam, Triumvirum

Hieronymi Saorniani in remp. fides.

virum ſcilicet, qui proventibus reipublicæ præſunt; quique 1511
res fiſco cedentes adminiſtrant; & qui regni Cyprii Triumviri appellantur; & item Quinquevirum ſale reipublicæ procurando, ſe, quod debeant, perſolviſſe: qui non attulerit, is magiſtratum reipublicæ neque obire, neque adire ullum poſſit. qui autem ex iis magiſtratibus fidem fecerit, aliquem civem ſolviſſe, qui non ſolverit: is magiſtratus mulctæ nomine civis illius omne debitum reipublicæ perſolvat: ſcriba vero qui tabellam confecerit, a ſuo munere obeundo expellatur. Neque tamen ea lege ſatis eſſe factum Decemviri exiſtimantes, pleniore coacto collegio ſanxerunt, ut fiſci debitores detinerentur, cuſtodiæque traderentur, a qua nequirent liberari, quoad ſolverent: tabellamque cum centum eorum nominibus ſuis miniſtris dederunt, jubentes, ut quemlibet eorum caperent.

Inter hæc legati, Patavii qui erant, Paulus & Chriſtophorus certiores facti, Mediolano Brixiaque hoſtium equitatum optimi generis ad Suavium municipium veniſſe numero ad quatercentos cum præfectis octo, ut ad Palitiam ſe conferrent: equites & milites Guido Rangonio duce miſerunt, qui eos, ſi poſſent, interciperent. Ii celeriter Suavium profecti, cum ante lucem ad oppidi ſe portas tacite contuliſſent, partem militum collem, in quo eſt arx, aſcendere juſſerunt, ut ſe inarcem inferrent. Miſſi eluſis qui arcem cuſtodiebant militibus, cum ſe & ipſi cuſtodire illam dicerent, ſcalis quas ſecum attulerant poſitis muros conſcenderunt, interfectiſque qui primi ſe oppoſuerant, arcem tenuerunt, nomenque Marcium conclamaverunt. Iis exauditis vocibus præfecti hoſtium armis captis equiſque inſeſſis, cum portas obſideri a Venetis intelligerent, facto ex equitibus gravis armaturæ, quos habebant quinquaginta, priore agmine, cæteris omnibus ſubſequentibus, condenſi apertæ oppidi portæ eruptionem facere contenderunt: omnesque ad unum capti ſunt, Pataviumque perducti. Ex præfectis fuere Continus Melzius Galeatii Mariæ, qui dux Mediolanenſium fuerat, filius nothus, Sebaſtianuſque Arteſinus Alfonſi Fer-

Veneti Suavium occupant cum magna hoſtium clade V. kal. oct.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 Ferrarienſis ducis patruelis frater, aliique claro loco nati quatuor. Melzius adverſa valetudine conflictatus in itinere interiit. Eodem fere tempore a Gallorum hoſtium equitibus, vado in Liquentia flumine invento, incurſiones ſunt uſque ad litus, quod majus appellatur, & vicina tribus portubus litora, qui portus a ſeptentrionibus prope ad urbis æſtuaria pertinent, omnia prædantibus armentaque abigentibus, factæ: atque ii redire ea cum præda volentes, quod flumen imbribus creverat, trajicere non potuerunt. Ea re a Patribus intellecta, miſſi cum cymbis bellicis e plebe urbana qui illos interciperent, celeritate non magnopere uſi, eos in caſtra revertiſſe intellexerunt, quatuor equitibus in flumine amiſſis.

Galli uſque ad Venetum litus excurrunt. IIII. non. oct.

Petrus etiam Dureus non multo ante a rege Hiſpaniæ ad Maximilianum legatus pacis cum Patribus ineundæ cauſa miſſus; cum apud illum dies aliquot fuiſſet, Venetias venit, hortatuſque Patres eſt, ut inducias cum Maximiliano facerent: quarum induciarum tempore pax tractari commode conficique inter ipſos poſſet. Senatus literas Romam ad legatum dedit, qui de eo Julium certiorem faceret, eumque ad fœdus de quo pridem agebatur, conficiendum omni ſtudio & diligentia hortaretur: quod quidem fœdus impediri ulla induciarum tractatione nolebant. Iidem Patres ſanxerunt, ut quæ oppida, quæ ve arces captæ ab hoſtibus fuiſſent, earum magiſtratus & præfecti, qui eas tradidiſſent, qui ve profugiſſent, in urbe ſe ad carcerem ſiſterent, ut de eis judicium fieri poſſet. Ex iis pridie non. octobris vigintiduo numero in publicas cuſtodias profecti ſunt, adhibito ſuo præde quilibet, e cuſtodia ſe non abiturum. Romæ autem paucos poſt dies legato procurante fœdus ab Julio & Ferdinando & Venetis percuſſum eſt: quo fœdere Ferdinandus mittere ad Julium viginti dierum ſpatio tenebatur equites gravis armaturæ mille ac ducentos, levioris mille, militum decem millia: & ſi mari opus erit bellum facere, triremes undecim: quam quidem militum & equitum manum in regno Neapolitano jam prope paratam habebat:

Fœdus inter Julium, Ferdinandum & Venetos V. id. oct.

1511 bat: in quorum ſtipendia Julius quadringentas auri libras in menſes ſingulos daret, duorum menſium ſtipendio in præſentia Neapolim miſſo. Ejus ſtipis univerſæ mediam partem ſe perſoluturos Veneti receperunt, claſſemque ſuam Julio, cum vellet, daturos. Fœderis ſocium ſe ſe fieri cupere Henricus Britanniæ rex, Ferdinandi gener, per legatum ſuum, qui Romæ erat, & tractando fœderi interfuerat, magnopere oſtendebat: ejuſque tantummodo ſyngrapha, qua id confieri poſſet, expectabatur: eaque poſtea perlata, fœderi & ipſe ſe addixit. Cauſa fœderis propoſita eſt, ut quæ Julius Gallis ejus hoſtes adjuvantibus amiſerat, recuperarentur. Ferdinandus enim videri ſe propter Venetos ulla ex parte id feciſſe noluerat, ne Maximilianum offenderet, cui ſe amicum profitebatur. Verum ipſe Julius per ſuas literas Venetis ſeparatim eſt pollicitus, quidquid oppidorum & ditionis eorum fuiſſet, ſi recipiatur, id ſe ut reipublicæ reſtituatur, effecturum. poſteroque die ejus belli legatum Joannem Medicem Cardinalem creavit.

Britannus fœderiſe adjungit.

Patres Andream Grittum, qui ex morbo in urbe convaluerat, iterum legatum legerunt, & Patavium reverti juſſerunt. Cum autem Daniel Barbadicus & Laurentius Priolus lecti a Patribus Quinqueviri rebus maritimis in Senatu procurandis ætatem probare non potuiſſent, paucique eis menſes legitimi temporis deeſſent; datis mutuæ reipublicæ ſenis auri libris, ad magiſtratum obeundum ſunt admiſſi. Atque in Iſtris quidem cum earum regionum hoſtes Chriſtophoro Friapane duce alioquot oppidula reipublicæ cepiſſent; vigintiquinque equites Mugiam ad mare oppidum cum tubis & tympanis miſerunt, qui illud Maximiliani nomine a civibus peterent. illi ſe tueri velle urbem reipublicæ reſponderunt. Magiſtratus autem Venetus ibi qui erat, qua equitibus in reditu erat transeundum Bombizam Mugianum fortem hominem cum birem atque navicula breviore itinere mittit, qui ſpatio celeriter confecto, navi proſiliens cum revertentibus congreſſus majorem eorum partem cecidit. poſteroque die Friapanes cum

Germani a Mugiæ obſidione cum clade repelluntur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 cum militibus quinque millibus, equitibus nongentis ab ea parte, qua ſalinæ ſunt, caſtris poſitis, muros tormentis muralibus dejicere aggreſſus, eos qui ſolidiſſimi non erant, facile aperuit, ſic ut ingredi ſe ſe poſſe confideret. At cives univerſi una cum mulieribus eo in loco aggere intra mœnia celeriter excitato, ſe munierunt. Interim Andreas Civranus, equitum Epirotarum præfectus, Juſtinopoli adveniens alia ex parte in oppidum ſe intulit, auxilioque Mugianis fuit. Hoſtes labore oppugnationis fruſtra ſuſcepto, interfectis ex eorum exercitu non paucis, vulneratis perplurimis, in quibus Friapanes ipſe & magiſtratus Tergeſtinus fuerunt, diſcedere ſunt coacti. Ea in oppugnatione Bombizæ virtus magno uſui ſuis civibus fuit.

Tauriſum ab hoſtibus obſidetur.

Cum hæc in Iſtris gererentur, Galli & Germani ad Tauriſum obſidendum profecti, non longe ab oppido, modo hac modo illac caſtris poſitis, quod ab hoſtibus ex muro tormentorum pilis interficiebantur, urbem aggredi non ſunt auſi: ſed Silum flumen naviculis, quas ſecum in carris ferebant, trajicientes, quod non ſatis res illis frumentaria ſuppetebat, prædas undequaque abigebant eo facilius, quod agricolæ, tametſi juſſi non ſemel edicto præfectorum fuiſſent, ut ſua in tutum exportarent; id tamen facere magna ex parte neglexerant. itaque late atque ad loca longinquiora vagabantur; verum ſæpius non impune. noſtri enim equites Epirotæ aliquam eorum manum aſſequuti cædes faciebant, prædas auferebant, commeatum qui eis ſuperioribus e regionibus afferebatur, intercipiebant. quamobrem diebus pluribus in ea cogitatione conſumptis, ad extremum deſperantes oppidum rebus prope omnibus ad ſuſtinendam obſidionem communitum capi poſſe, abierunt, ut ſe Vicetiam reciperent: cum paulo antea ob adverſam valetudinem Joannes Franciſcus Gambara Brixianus ex principibus civitatis, de quo ſuperioribus libris diximus, in Colle Alto mortem obiiſſet. Grittus cum ſtipendio exercitui dando Patavium eſt profectus. quo quidem Balio e Foſſa Clodia, advectis ad continentem

Tauriſina obſidio ſolvitur VIII. id. nov.

tem per æſtuaria ſuis equitibus & militibus, urbe ac Patribus, ne tempus tereret, ad dexteram relictis, breviore itinere paulo poſt & ipſe ſe contulit, duobus a magiſtratibus, qui res bellicas in Senatu procurant, Antonio Juſtiniano, Andrea Triviſano, quos Patres ad illum honoris cauſa miſerant, eo perductus. 1511

Fœdus Venetiis publicatur.

Quoniam vero literæ Roma venerant, Hieronymum Donatum legatum maximis iliacis doloribus ita jam confectum eſſe, ut ſpes prope nulla ejus vitæ ſit relicta; Franciſcum Foſcarum, qui prætor Patavinis fuerat, Senatus ei ſublegavit, qui celeriter, ſi Donatus mortem obierit, proficiſcatur. Cum autem fœderis, de quo ſupra dictum eſt, in urbe recitandi dies adveniſſet: quem quidem diem propter imbres & non ſerenas tempeſtates eouſque Patres diſtulerant: a Lauredano Duce & principibus civitatis, ac omni Senatu, divinis auditis in æde Marcia ſermonibus, ea celebritas in foro eſt facta, is parietum ejus ornatus, is ſacrorum collegiorum, is omnium ordinum, omnis ætatis conventus & perambulatio fuit, ea vis argenti atque auri fabrefacti & gemmatorum monimentorum per manus hominum atque ipſis in caniſtris & corbibus circumducta: ut mirum ſane fuerit in tam exhauſta bellis & tributorum collationibus civitate, tantam honeſtorum & ornatiſſimorum hominum frequentiam, tantos theſauros, tantas opes extitiſſe. In ea celebritate ubi Lauredanus in forum venit, capita fœderis e ſaxo edictorum clara voce a præcone pronunciata, magnis populus acclamationibus exceperat.

Hoſtes Tauriſo profecti cum ad Plavim flumen iter flexiſſent; ut commeatui, qui Corneliano erat exſpectandus, obviam fierent, ne a Venetis intercipi poſſet: eo demum a Joanne Gonzaga Franciſci fratre, qui Corneliani ejus rei procurandæ cauſa reſtiterat, in carris centum adducto, in fines Patavinorum reverterunt, aedificia, quæ adire poterant, Venetorum civium, quorum erat celebris neque parvus numerus, plerunque comburentes: & Medoaco flumine trajecto, Vicetiam prope hominibus vacuam, dein-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 deinde Veronam non ſine crebris detrimentis ob equitum reipublicæ eos inſequentium audaciam ſe receperunt, domum reditione a Germanorum parte plurima ex itinere Veronaque ſuſcepta. Profectis hoſtibus, Cornelianum, Seravallium, Udertium, Mota ſponte ad rempublicam redierunt: idemque factura Sacilium & Cividale nunciabantur. Portus autem Gruarii municipes Nicolao Vendramino, qui Tiſanæ ejus regionis vico in agris ſuis erat, accerſito, ut prætorem in oppido ageret, magiſtratum Germanorum captivum fecerunt, atque ad urbem miſerunt. neque tamen non a militibus Germanis duobus millibus, qui repente in Carnis extiterunt, plura reipublicæ loca infeſtabantur. Inter hæc, ut belli ſumptibus pecunia ſuppeteret, Patres legem ſciverunt, ut mediis domorum fructibus, qui ex locationibus proveniunt, æquam partem inquilini omnes in ærarium inferrent, exceptis iis, qui hoc bello ab hoſtibus reipublicæ domo ſua pulſi, ſe ad urbem recepiſſent: atque iis, quorum fructus decimam unciæ partem non excederent. Aliam etiam legem iidem Patres ſanxerunt, ut in proximo Senatu ad navalia rectius atque commodius procuranda novus magiſtratus legeretur, qui adeſſe in Principis & Patrum collegio, legeſque ferre in Senatu poſſet: lectuſque eſt Antonius Tronus templi Marcii procurator. itemque ut Romam literæ ad legati ſcribam mitterentur, ut ſi legatus mortem obiiſſet, ipſe ab Julio Senatus nomine ſacerdotium aliquod uni ex legati liberis impetraret, quo munere demortui familia ſat gravis, neque victu abundans fulciretur. Ipſe autem legatus jam obierat. At in proximis comitiis cum Cypro inſula regenda magiſtratus crearetur, qui reipublicæ locum teneret, Gradonicus Tauriſi legatus, & bellum diligenter adminiſtrans, eum magiſtratum magno favore civitatis obtinuit: quanquam ejus competitores, ut illum eundem conſequerentur, ſalutando prehenſandoque ei rei multos dies operam dediſſent: id quod Gradonicus abſens, & in caſtris facere nequiverat. verum illum tot labores pro repu-

Amiſſa oppida Veneti recipiunt.

republica perpeſſi commendatum apud omnes reddebant. 1511

Poſt hæc Senatui placuit, ut Gradonicus præfectique equitum prope omnes ad recuperanda ea quæ reſpublica in Carnis amiſerat, ſe conferrent. itaque pridie nonas novembris Tauriſo cum tormentis profecti ſunt. poſtridieque ejus diei Senatus hortatu Hieronymus Saornianus, in urbe qui erat, reliquique illorum oppidorum cives amici reipublicæ in Carnos ad legatum juvandum reverterunt. Nicolaus autem Bolanus, qui Maximiliano magna manu Butiſtanium, quod eſt in Iſtris, obſidente, ejus municipii arcem, cui præfectus erat, militibus ſe dedentibus amiſerat, in urbem rediit, ut ſe ad carcerem ſiſteret. Eorum autem civium qui propter ejuſmodi cauſas carceri ſe tradiderant, eo tempore perplures a judicibus abſoluti ſunt, atque ad rempublicam admiſſi. ab Epirotis vero equitibus quadraginta prope Veronam homo Sequanus omnium Maximiliani equitum præfectus, quem *Roſæ dominum* appellabant, interceptus, cum ſe magno animo defendiſſet, vulnere in facie accepto, cum non paucis equitibus captus, Pataviumque perductus eſt: quem quidem legati honorifice exceptum Venetias miſerunt: eumque poſtea e cuſtodia in Patrum collegium a duobus magiſtratibus adductum, atque ad Principis latus ſedentem, Lauredanus ipſe reliquique Patres bono animo eſſe juſſum, amantiſſimis ſunt verbis proſequuti: Vicetiaque ad rempublicam rediit. Verum cum annonæ caritas in urbe atque in reliquis reipublicæ oppidis magnopere creviſſet: Decemviri legem ſciverunt, quicunque ſe receperit ex maris Adriani a læva regionibus, atque ab Epiro, Acarnania, Aetolia, frumenti aliquem numerum ad urbem advecturum, ei in ſingula frumenti ſtaria viginti ſolidos reipublicam dono daturam, atque, ut is tertiam univerſi frumenti partem venundare in omni ſua extra urbem ditione poſſit, permiſſuram. A Senatu etiam undecim Cividalis Beluniani civibus, qui ſe amanter pro republica geſſerant, vigintiquinque agri jugera in Portus Gruarii finibus

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 bus dono ſingulis data ſunt ; quæ jugera hæredes ipſorum ſequantur.

Rhodigium ad Venetos redit.

A Rhodigianis autem oratores Patavium ad legatos miſſi venerunt, qui dicerent, omnes Alfonſi equites & milites Padum trajeciſſe, eaque loca reliquiſſe: itaque redire ſe ad rempublicam cupere : rogare, ut qui præſit, in oppidum mittant. quamobrem Valerius Marcellus, quem Patres magiſtratum Rhodigianis antea creaverant, eratque tunc Patavii, legatorum juſſu eo ſe contulit. Romæ vero ante diem nonum calendarum novembris in publico Cardinalium collegio Julius Hiſpanis duobus & Gallis totidem, qui concilium Piſanum coegerant, Cardinalatum, quo in ordine erant, abrogavit. In urbe prætor eſt Vicetinis Franciſcus Falerius datus : & qui pleriſque municipiis paucorum dierum ſpatio ſponte ſe reipublicæ reddentibus præeſſent, lecti : & qui antea lecti erant, ad ſuos magiſtratus obeundos ire juſſi. Utinumque receptum eſt. Octavianus autem Fregoſius magnæ virtutis adoleſcens, qui cum Balione venerat, & Janes ex eadem familia, de quo ſæpe dictum eſt, Julii rogatu, Januenſium ſtatum renovare magnopere cupientis, Senatu concedente Romam ad illum profecti ſunt. Troilus vero Sabellus ob avaritiam (ſuorum enim equitum ſtipendia fraudabat, eaque de cauſa nihil illis negabat, atque illi indigna omnia patrare non verebantur) cum ſui muneris tempus expleviſſet, a Senatu eſt dimiſſus. atque ob pecuniæ indigentiam omnes penſiones ſolutioneſque a republica fieri ſolitæ, ab idibus novembris uſque ad calendas martias, ab eodem Senatu ſuſpenſæ ac retentæ ſunt. Quoniam autem propter res ad uſum & mercaturam civium non recte ab Aegyptiis adminiſtratas, ad Alexandrinorum regem, quem *Soldanum* appellabant, erat mittendus, qui civitatis cauſam reipublicæ nomine tueretur: Patres legem ſciverunt, ut legatus ad id munus crearetur obeundum etiam ex iis, qui in magiſtratu eſſent, eique e communi mercatorum pecunia auri libræ X. in præſentia darentur; ſalarii vero nomine in menſes ſingulos ternæ libræ, cum navi-

navigiorum, quæ illum adducerent & reducerent, mercedibus. atque ita Petrum Balbum, quem quidem antea rei maritimæ imperatorem comitia creaverant, ſtatim legerunt. A Balbo legatione non ſuſcepta, quod quidem facere unis imperatoribus licebat, Dominico Triviſano templi Marcii procuratori eam curam mandaverunt. 1511

Andreæ Civrani cum Chriſtophoro Friapane ſingulare certamen & victoria.

Redierat in fines reipublicæ Chriſtophorus Friapanes, de quo paulo antea diximus, ad eoſdem Mugianos vexandos. quod ubi Andreæ Civrano renunciatum eſt, qui non longiſſime aberat: cum ſuis ad illum contendit, commiſſoque prælio Friapanem medio in agmine conſpicatus, in illum ſe intulit. Non reſpuit congreſſum Friapanes: itaque cum uterque alterum ſæpius ſtricto gladio petiiſſet, Civranus tandem hoſtis faciem mediam lato vulnere ſauciavit, atque illum in fugam convertit. eo diffugiente major pars agminis dilapſa: reliqui aut interfecti, aut capti. Civrani egregia eo die virtus fuit. Gradonico in Carnis ad Cremonſe municipium profecto, miſſiſque ad oppidanos internunciis, cum mandatis, niſi antequam exercitus ſe ad muros conferat, deditionem fecerint, eos ſe omnes eorumque omnia in prædam militibus conceſſurum : illi minas veriti ſine ullis conditionibus ſe legato tradiderunt. Venerant ſecreto ad oſtium Lauredani Principis Germani duo, a Matthæo Epiſcopo Gurcenſium miſſi, qui ejus nomine petierunt, ut ei liceret per fines reipublicæ iter facere, triremeſque habere, quibus ſe in Flaminiam trajiciat: velle enim Romam ad Julium accedere tractandarum rerum inter Maximilianum Venetoſque cauſa. atque ii quæ poſtulaverant, a Senatu impetraverunt. Sub hæc Andream Triviſanum qui Utini magiſtratus reipublicæ locum teneret, cum Senatorum prærogativa majora comitia creaverunt. Pauloque poſt Albertus Pius Maximiliani legatus Venetias venit, petens a Patribus, ut quatuor cives, binos ex Decemvirum, binos ex Senatorum ordine, in Germaniam mitterent, qui obſidum loco eſſent, ut Matthæus Epiſcopus Gurcenſium tuto ſe reipublicæ poſſet committere: naveſque triremes quatuor paratas *Cremonſe a Venetis recipitur.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 tas ei traderent, quæ illum Anconam adducerent ſub Maximiliani ſignis: aut, ſi id ipſi negaretur, ſub Julii. Iis de rebus conſulto Senatu, dare obſides non placuit, ne reipublicæ dignitas, cujus fides nullo tempore ullis principibus defuiſſet, minueretur: reliqua facile conceſſa. Quod cum Pius intellexiſſet, de eo literas ad Maximilianum dedit, atque in urbe, quid is reſcriberet, operiri ſe ſe velle dixit. Etiam Thomæ Strigonienſi Cardinali bene de republica merito ex Pannonia Romam proficiſcenti triremis, qua in triremi Anconam adveheretur, tradita: miſſuſque ad illum Vincentius Guidottus Senatus ſcriba cum muneribus reipublicæ nomine ſalutandi eum cauſa.

Poſt hæc Hieronymi Saorniani perceleri ad urbem adventu Patres certiores facti ſunt, reipublicæ exercitum Cluſam & Venzonium cepiſſe: iſque illos multis de rebus admonens ſtatim ad exercitum rediit. Alia ex parte a Maximiliani copiis Cadoræ captæ atque incenſæ ſunt. In urbe autem a Senatu decima cum medio cenſu civibus impoſita. Atque illis diebus Auguſtinus Maurocenus Helvetiorum interpres itinere devio propter Gallorum ſuſpiciones, qui loca omnia cuſtodiebant, ad Patres miſſus, eis propoſuit, ſtatuiſſe Helvetios ab Italia Gallos expellere: itaque velle eos primum omnium Venetis auxilio eſſe, ut poſtea conjunctis opibus illos facilius ejiciant, modo ipſis a republica commeatus, tormenta, & equites quingenti tribuantur: eas tantum res ſatis Helvetiis ad bellum gerendum futuras: ipſos ad hoc jam ſignum illud explicuiſſe, ſub quo Carolum Sequanorum ducem vicerant, atque interfecerant ante annos paulo minus quinquaginta. quod ſignum nunquam poſtea explicuerant Helvetii. Cumque dies eſſet majorem in modum pluvius, aperto in æde ſacra ſigno ſerenitas mira illuxit: quod quidem illi optimum in omen acceperunt, omnia ipſis e ſententia ſucceſſura. Is etiam, quod in familia ejus nominis eſſet, quod maxime celebre apud Venetos eſt, amicum eſſe reipublicæ, cupereque illi omnia ſe oſten-

oſtendit: itaque eum Patres liberaliter exceperunt. Con- 1511
ſulto deinde Senatu, omnibus ad unum ſuffragiis, quod raro fieri aſſolet, oblata Helvetiorum accepta, & quæ petierant, eis promiſſa. Interim Julio magnopere hortante, ut quæ petierat Albertus Matthæi Epiſcopi nomine, ea illi concederentur, Senatuſconſultum factum eſt, uti de quatuor obſidibus in Germaniam mittendis, totidemque triremibus Matthæo dandis, omni ex parte Alberti poſtulationi ſatisfieret. neque tamen obſides ſunt miſſi, Alberto ipſo non multos poſt dies ex Maximiliani literis apud Patres pronunciante: quoniam is Romæ per Julium perque ſuos internuncios agere, quæ agenda erant, cum republica ſtatuerat, non opus eſſe ut mitterentur.

Gradiſca fruſtra a Venetis oppugnantur.

Gradonico autem legato in Carnis non ſat proſpere bellum adminiſtrante, cum ob durum & intractabile anni tempus, bruma enim appetierat, nivoſis præſertim & frigidioribus in locis: tum vero propter ſtipendia non in tempore perſoluta, & commeatus inopiam, quem direptis oppidis & vaſtatis agris plerunque ab urbe ſubvehi & expectari oportebat: a mari autem per continentem eo uſque omnia ob boum & jumentorum infrequentiam tarde & difficulter afferebantur: Grittus legatus cum ea quam habebat manu Senatus juſſu Feltriam venerat. itaque cum Gradonicus ſuo exercitu Gradiſcas oppidum cinxiſſet, tormentiſque poſitis parum proficeret, Senatus ſtatuit, ut Grittus eo accederet, ſualque copias cum illius copiis conjungeret. neque tamen ea re Gradiſcæ capi ab illis potuerunt, utriuſque militibus & equitibus & præfectorum plurimis a tanto ſe labore ſubtrahentibus. His rebus Senatui palam factis, quod Helvetii in fines Mediolanenſium jam irruperant, caſtellaque nonnulla ceperant, Senatus literas ad Grittum dedit: ſi [illegible] paucorum dierum ſpatio in Gradiſcis capiendis nihil profectorum eſſe. Interea ligit, Vicetiam ſuis cum copiis tedeat, ut Helvetiis auxilio poſſit eſſe. Dum eæ literæ perferuntur, legati ambo Vipulzanum & Martinianum & Florianum caſtella in collibus poſita, acriter cum Maximiliani militibus, qui ea tue-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1511 tuebantur, atque ad prælium exierant, congressi, fuga eorum & cæde facta ceperunt: quodque ab iis reipublicæ populi magnopere vexabantur, oppidanos diripuerunt, ædificiaque in agris incenderunt. Hostes quoque illi qui erant Cadoris, duorum exercituum conjunctione perterriti, iis relictis in Alpium se interiora receperunt. Ejus vero loci homines qui supererant, internunciis ad Patres missis, qui se regerent, ab eis petierunt: velleque se se arcem incensam reficere reipublicæ sunt polliciti. Gritto Vicetiam revertente Joannes Græcus equitum sagittariorum præfectus reique publicæ amantissimus, homo jam senex, suo in lectulo ea in urbe mortem obiit. Ejus equites CL. Meleagro Forolivienſi cum omnium equitum leviorum præfectura a Senatu traditi. Miserat Venetias Joannes Cardona Neapolis prorex Ferdinandi regis jussu Joannem Baptistam Spinellum, Cariati, ut ajebant, comitem, internuncium suum, ut optimum proregis ad rempublicam juvandum Gallosque oppugnandos animum Lauredano Principi & Patribus ostenderet, eosque ad pacem cum Maximiliano conficiendam hortaretur: adderetque, si id fecerint, omnia eis prospere ventura, se se confidere. Patres hominem eo libentius exceperunt, quod is alias etiam annis superioribus Ferdinandi legatus ad ipsos fuerat. Is se manere in urbe velle dixit. Patres ei domum paratam publice tribuerunt.

Bastiæ ab Hispanis expugnatur.

Iisdem diebus milites Hispani numero ad novem millia Julio ab rege suo traditi, cum ad Bastiam Alfonsi castellum ad Padi ripam, de quo superius diximus, apprime communitum se contulissent, tormentis eam verberare quamproxime poterant, cœperunt: deinde adhibitis ante se cratibus, quæ eos tegerent, ne noceri eis posset, terra effossa per eam demissiores & tutiores facti, etiam propius pluribus a partibus accesserant: tertio demum die ad fossas & murum perducti, multis vulneribus & illatis & acceptis, scalisque positis eum perforaverunt, sic ut in eo, qui erat latissimus, tanquam concameratiunculam efficerent: atque in eam tormentorum pulverem injecerunt, cameramque plenam pulveris concluserunt, parvo relicto foramine, per quod ignis succendi posset: seque a muro parumper retrahentibus, cum visum est, igne immisso camera cum muri parte decemque hominibus, qui in eo erant, in sublime ita est disjecta, ut homines speciem volantium præberent. neque tamen reliqui propugnationem intermiserunt, fortissimeque se defendebant: qui etiam ab Alfonsianis altera ex Padi ripa duobusque terreis propugnaculis tormentis muralibus non parum juvabantur. verum Hispani perplurimis adductis scalis, sesquihoræ spatio in arcem se intulerunt. Alfonsi milites, qui erant circiter centum, interfecti omnes sunt cum eorum centurione Vestitello. Ex Hispanis item centum in ea oppugnatione occubuerant. Tertioque ab ea re die anni finis fuit. Neque tamen diu ab Hispanis id castellum retentum est. Januario enim mense fere medio Alfonsus eo cum tormentis se conferens, magnaque vi aggressus arcem expugnavit, atque Hispanos qui in ea erant CC. omnes interfecit.

1512 *Bastia ab Alfonso recipitur. XVII. kal. februar.*

Scripserat magistris Decemvirum Aloisius Avogarius Brixianus e principibus civitatis, si exercitum Patres Brixiam mitterent, se urbis portam noctu ei aperiturum, per quam se universus intromitteret, urbemque caperet libentissimis oppidanis prope omnibus, quibus jam magnopere pigeret arrogantiæ contumaciæque Gallorum, quos perferre ulterius nequeant. Ea res in Decemvirum collegio plures dies agitata, demum ab ipsis ad Senatum est delata, ut de ea Patres statuerent, accipienda ne Aloisii oblatio esset, an rejicienda. Pluribus igitur dictis sententiis in utramque partem, atque a Lauredano Duce in primis, qui, ne ea tunc reciperetur, censebat; Senatus jussit, eam recipi e republica esse, Aloisiumque magnopere laudari oportere, qui se tantam rem curaturum reipublicæ obtulerit, dato jurejurando senatoribus singulis, ne quid eius rei quis efferret. Itaque Patres Grittum legatum de eo certiorem fecerunt, cum mandatis, uti Brixiam se quam primum cum exercitu conferat, quam ad portam, quam ve ante horam ipsi cum Aloisio convenerit: cetosque Gritto inter-

Venetorum de Brixia occupanda conatus irritus.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 ternuncios, quibus uteretur, dederunt. Gradonico legato ſæpe id a Patribus poſtulanti, domum reditio tandem eſt permiſſa: ejuſque loco paucos poſt dies Joannes Viturius ſublectus. Grittus acceptis a Senatu literis, cum equitibus gravioris & levioris armaturæ tribus millibus ex omni exercitu lectis, cumque militibus quot viſum eſt, in equitum dorſo impoſitis, Brixiam noctu profectus oppidum ingredi non potuit, detecta Aloiſii oblatione, quam unius ex conjuratis uxor ad arcis præfectum amore ejus pellecta detulerat. Aloiſius, ne a Gallis interciperetur, oppido egreſſus magnum hominum numerum in illos excitavit, qui nonnullos regios miniſtros ex ipſorum municipiis, quibus præerant, in fugam ſe ſe dare coegerunt.

Patres ea ſpe dejecti, de pacis cum Maximiliano ineundæ conditionibus Romæ apud Julium conſtituendis, cum plures ſententias in Senatu dixiſſent; ea tandem placuit, ut induciæ per Foſcarum legatum peterentur, quoad pax confieri poſſet. Vaniſſa, de quo ſæpe dictum eſt, multæ virtutis homo, cum Polizam Dalmatarum oppidum ſuam in patriam rediiſſet, ſeditione concitata interfectus eſt a ſuis civibus. Gaſpar autem Severinas, ſuis rebus ſuæque dignitati omnibus a partibus atqueadeo a principibus & regibus parum fidens, ſe Venetias contulit, ut in ea urbe degeret, cujus civitate & jure comitiorum pater ejus una cum liberis poſteriſque donatus fuerat. Eum Vicetini cives aliquot, in urbe qui erant, ſuis opibus juverunt: amice enim atque moderate in civitatem, cum pro Maximiliano ibi eſſet, ſe geſſerat. Avogarius ob detectam conjurationem non deterritus, multa ex proximis municipiis & finibus hominum millia jam excitaverat ad Gallos expellendos: qua re moti Amphiani, arcem natura & artificio communitam, vi atque aſtu occiſis Gallis, qui in ea erant, in ſuam poteſtatem redegerunt, eamque ſe reipublicæ ſervaturos Aloiſio ſignificaverunt. Benaci lacus populi fere omnes expulſis Gallis ſe reipublicæ dediderunt. His auditionibus concitati reliqui, in Gallorum nomen magno

gno ardore voluntatum & arma capiebant, & ſe Aloiſio 1512
permittebant.

Ea re Senatui nunciata, Patres alteras ad Grittum literas dederunt, uti Aloiſii & aliorum plena fidei & benivolentiæ incepta, quibus poſſet modis aleret, atque ad urbis muros una cum illis exercitum adduceret, quo ipſius & illorum præſentia freti oppidani, pulchrum aliquod facinus facere aggrederentur, portaſque aperirent: tam pronos in rempublicam Aloiſii & eorum populorum animos non eſſe negligentia & deſidia reprimendos. His allatis ad Grittum literis; tametſi interea animorum ille ardor eorum hominum, qui cum Aloiſio erant, paulatim refrixiſſet: Galli enim præfecti cives aliquot, quos favere rebus Venetis exiſtimabant, cum cuſtodibus Mediolanum miſerant: minuſque multi jam eſſent, qui ſe paratos oſtenderent ad omne ſubeundum diſcrimen, ut Brixia capi poſſet: tentandum tamen ſibi & enitendum legatus exiſtimavit, ut Senatui ſatisfaceret, a quo etiam reprehendi ſe, ac timoris argui non obſcure intelligebat. itaque Aloiſio ad ſe vocato, conſtitutoque quid quenque facere oporteret, quarto nonas februarias exercitum nocte ad oppidum duxit, tribuſque a partibus copiis æque diſtributis cum tormentis non magni ponderis (neque enim habebat graviora) portas dejicere aggreditur. Id cum plures horas omnes acies magno impetu feciſſent, ea disjecta primum porta, ad quam ſe Aloiſius contulerat, ipſe quique cum eo erant milites ſub lucem ſe in oppidum injecerunt. pauloque poſt legatus reliquique altera aperta porta ſubſequuti, magna lætitia & gratulatione ab oppidanis excepti ſunt. Galli ſeorſum arcem, quæ ſummo in monte eſt, pluribus eorum interfectis, fugientes contulerunt: quibuſcum eoden ſe recepit Alda ea, quæ Joannis Franciſci Gambara uxor fuerat, ſuis cum liberis, & Marcus Martinengius homo infenſus reipublicæ. Eo tempore Anna Gallorum regis uxor puerum peperit, qui primis diebus eſt mortuus. Brixia ſtatim capta, Grittus per literas a Senatu petiit, ut ſibi tormenta

Brixia a Venetis occupatur.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 ta magni ponderis mitti confestim imperaret, sine quibus expugnari arx non poterat : qua in arce erant equites Galli circiter ducenti, qui suos equos ob celeritatem fugæ in oppido prædæ hostium reliquerant; milites trecenti . Senatus ex eisdem Gritti literis duos legatos , alterum qui Brixiam regeret, Antonium Justinianum; alterum, qui in exercitu esset , Paulum Capellum creavit : legemque scivit, ut quinque militum millia undecunque conscriberentur , ad prioresque adderentur , ut bellum confici facilius atque celerius posset .

Pax cum Maximiliano ob iniquas conditiones rejicitur .

Dum hæc administrarentur , Roma literæ venerunt , velle Julium , ut Senatus cum Maximiliano pacem faceret iis conditionibus, quas legato dari jusserat : quæ nisi pax suum finem quamprimum habeat, se cum reliquis contra rempublicam consensurum, aperte profiteri . Eæ autem conditiones multo erant duriores, quam quæ paulo antea proponebantur . non enim Veronam relinqui sibi Maximilianus tantum petebat , sed Vicetiam etiam tradi suis cum finibus . De Forojulienſibus vero & Cividale & Feltria , ut Julii judicium esset, cui ea dari æquum esset, postulabat . tum ut suis populis, qui aliquid eo bello amisissent, ablata restituerentur , statuebat . demum , quas auri libras tercentenas pro Patavio & Taurisio reipublicæ concedendis ei esse dandas prope convenerat ejus rationis ac ponderis , ut novem unciæ libram conficerent ; eæ ut singulæ duodecim unciarum esse libræ intelligerentur , reliquis conditionibus addiderat . His igitur conditionibus uti pacem Patres firmarent , Julii & Ferdinandi legatis , atque Alberto Pio Maximiliani legato , qui & ipse literas de ea re acceperat , magnopere petentibus , responderunt Patres , *se de iis Senatum consulturos* . tametsi Brixia recepta tam iniquas eum esse conditiones accepturum non credebant : neque Julium ipsum , cum id intellexisset , in sententia existimabant permansurum . atque ii , antequam Senatum cogerent , a Gritto certiores facti sunt , non omnes modo Brixiæ fines ad rempublicam rediisse , sed Bergomates quoque Gallos ex oppido ejecisse , & vexilla

xilla reipublicæ erexisse , oppidique arcem quam milites CCL. tuebantur , deditione recepisse : missisque ad eum internunciis petiisse , ut ad se mitteret qui præesset : eum se uti de cœlo missum excepturos ; atque ipsum ad illos Federicum Contarenum una cum Petro Longena misisse . Cremam quoque idem fuisse facturam , nisi Galli milites bis mille Mediolano evocatos magna celeritate in oppidum introduxissent , perpluresque ejus oppidi cives obsidum nomine Mediolanum abduxissent . Galli Bergomo ejecti , se in arcem , quæ extra mœnia est summo in monte , receperunt . quibus intellectis rebus Patres Senatu coacto Dominicum Contarenum legerunt , qui statim Bergomum legatus accederet : Gasparique Severinati , cui XX. auri libras annuas se in victum daturos polliciti sunt , ut se in castra conferret , mandaverunt . & quod pecunia eos defecerat , legem tulerunt , ut mutuo a Patribus sumeretur . atque ita Lauredano Principe auri libras X. pollicente , aliisque plurimis pro suis opibus quolibet , paucarum horarum spatio satis est publicis necessitatibus factum . Etiam, propterea quod a Joanne Medice Cardinali , quem Julius legatum suis in castris ad Bononiam esse jusserat , admonebantur , uti aliquem ex suis civibus legatum ad Cardonam proregem Neapolitanorum , in eisdem castris qui erat , mitterent , ut quæ opus esset , diligentius inter eos tractarentur , Marinus Georgius est ab illis ad id muneris lectus : qui legatione susceptа , paucos post dies viæ se dedit .

1512 *Bergomum se Venetis dedit prid. non. febr.*

Bononia a pontificiis obsessa , a Gallis liberatur .

Interim præfectus Mediolanensium Fojus , magni & præstantis animi adolescens , Mediolano cum equitibus Gallici generis septingentis , militibus quinis millibus , incredibili celeritate nivosis lutosissimisque itineribus Bononiam profectus , ita se tacite in oppidum intulit , ut Hispanos , qui ad fossas castris & tormentis positis stationes habebant , erantque singulis prope horis in oppidum , quod muro ea parte nudaverant , erupturi , ejus adventu unum diem plane latuerit . quo die , ut requiem exercitui daret , movere se non potuit . postridie ejus rei præfecti Juliani

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 liani casu ab agricola, qui Gallos in via viderat, de eo certiores facti, obsidione soluta tormentisque abductis abierunt, seque in tutum contulerunt. Julius permoleste ferens recipiendæ Bononiæ partam jam prope a se victoriam Gallos interpellavisse, oppidumque tam illustre sibi ab illis tanquam e manu atque sinu ereptum incosolabiliter dolens, homo natura sua in iram atque ardorem animi pronus maxime; ubi de recepta ab exercitu Veneto Brixia nuncium accepit, incredibilem voluptatem cepit: vocatoque confestim ad se, ut erat intempesta nox, legato reipublicæ gratulatus ei est amantissime, ut præ gaudio lachrimas non continuerit, horasque illum prope duas in lectulo jacens lætus hilarisque secum tenuit. cujus quidem voluptatis signa publice postea dedit accensis in Vaticano atque in Adriani arce luminibus cum tormentorum strepitu binis iis noctibus, quæ sunt eum nuncium subsequutæ. Auxilio Bononiensibus allato, Fojus ad Brixiam recuperandam se convertit eo celerius, quod pontem Pado flumine trajiciendo, quem ad Stellatam castellum in Alfonsi finibus magna diligentia fieri jusserat, esse factum, atque in navibus impositum cognovit. itaque eadem celeritate qua venerat, rediens, eo ponte Pado transmisso, in Veronensium finibus ad Villam Francam reipublicæ copias, quæ cum Balione erant, fudit, Guido Rangonio cum pluribus capto: & recta Brixiam contendens, oppidumque circumvectus, copiis eorum finium, quæ in monte arci vicino venientibus se opposuerant, rejectis, in arcem ab inclusis magna gratulatione est receptus.

Veneti a Gallis ad Villam Francam funduntur prid. id. februar.

Grittus, qui sæpe id ipsum veritus, per literas a Patribus tormenta graviora diligentissime petierat; ut antequam auxilia convenirent, capere arcem posset: ubi Fojum esse in illa cognovit, spe retinendi oppidi suum apud animum plane deposita, plurimum questus, quod quæ ad rei bellicæ usum petierat, in tempore allata non fuissent, curam tamen & laborem atque audaciam defendendi non remisit. itaque existimans postero die Fojum in oppidum descensurum: ne quis in fuga spem ullam poneret,

neret, occludi portas oppidi imperavit, dispositis militibus, qui eas nemini aperiri permitterent. tum milites Faventinos, quibus plurimum confidebat, circiter quingentos, cæterarumque nationum alios item quingentos ad priorem arcis portam, qua est in urbem exitus, constituit, ut in venientes impetum facerent, exitumque prohiberent. equites vero gravis armaturæ ad hostes excipiendos, si in oppidum irrumperent, levioris, Epirotasque maxime, ut ubi oporteret præliarentur, dispositum eorum Federicum Contarenum, qui eo ipso die cum equitibus tercentis Bergomo redierat, cohortatus, ut in libera maxime omnium civitate se esse natum meminisset, libertatemque patriam, quam Galli sibi esse obterendam proposuerant, quantum posset tueretur: reliquisque item & præfectis & tribunis ac centurionibus, quid cuique defendendum esset, separatim mandavit. Vix ea Grittus constituerat, cum mane Fojus ex equitibus quos habebat probatiores, equis detractis acie quingentorum confecta, eos tota armatos corpora, galeisque obsignatis, semilanceas in manibus longi latique ferri habentes aperta porta priores emisit. quibus Faventini, ut eis erat imperatum, magna se virtute opposuerunt: majoreque eorum parte interfecta, reliquos repulerunt. In hos milites bis mille Vascones subsequuti impressionem fecerunt, interfectisque non sine ipsorum cæde quamplurimis in oppidum proruperunt. Pugnatum est acriter reliquis a reipublicæ militibus, ab equitibus & præfectis horas aliquot ita, ut de viarum spatiis paulum hostibus cederent; verum aperta vi ab Epirotis equitibus oppidi porta, perplurimisque eorum diffugientibus, ubi id ab hostium equitibus, qui in arcem propter loci anguitiam recepti non fuerant, atque armati non longe aberant, est animadversum, ipsi in oppidum irruperunt, magnoque suis auxilio fuerunt. itaque urgente hostium multitudine undique cædes est ingens in omnes facta. Contarenus ipse pugnans interficitur cum præfectis Epirotis duobus Frassina & Basta: Grittus & Antonius Justinianus, qui paucos ante

Brixia a Gallis recipitur XI. kal. mart.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 dies Brixiam legatus venerat, & præfecti Itali plurimi captivi facti. prælium a secunda diei hora usque ad vesperam protractum. urbs magna ex parte direpta. matresfamilias & puellæ suis in domibus ante parentum & maritorum ora, quos in vincula hostes conjecerant, passim violatæ. virgines sacræ e templis atque aris & Deorum imaginibus, quas amplexabantur, abstractæ, ad libidinemque abductæ. atque ea quidem scelera Germani milites maxime omnium patrabant: Vascones minus impii: Galli tolerabiliores fuerunt. Aloisio Avogario, quem oppido exeuntem hostes ceperant, biduo post medio in foro cervices sunt abscissæ.

Brixiæ urbis direptio.

Ejus rei nuncio Patres accepto magnopere commoti sunt, quod jam nihil prospere ab ipsis tentari, agi ve posse videretur: plurimumque conquerebantur, quod in perducendis tormentis ad legatum Grittum minus diligenter actum esset: eam unam ob causam omnes omnium labores magno cum reipublicæ detrimento irritos, & opulentum ac præclarum oppidum hostibus prædæ ac direptioni traditum. Iidem Patres ad copias redintegrandas, quibus modis poterant, animum intenderunt: additumque ad reliqua Senatus consulta, uti in Creta insula militum bina millia, qui sagittis uti scirent, conscriberentur, Venetiasque celeriter mitterentur: naves que longæ majores ad equites Epirotas quamplurimos ad urbem convehendos pararentur. etiam libræ auri ducentæ, quas proregi Neapolitano, & Hispanis ducibus dari convenerat, Ravennam illis sunt diebus missæ, & quibus oportebat, datæ. Milites interea equitesque qui Brixiæ non fuerant, vel oppido effugerant, se Vicetiam contulerunt: eodemque qui ab hostibus se redemerant, spoliati atque inermes se se passim referebant. Grittus & Justinianus Mediolanum sunt adducti. Dominico Busichio equitum Epirotarum præfecto, qui Brixia effugerat, uti domum redire posset, permissum: mediaque stipendiorum, quæ a republica merebat, pars tribus ejus filiabus post mortem patris condonata: quatuorque Epirotis equitibus, in Gallico exercitu qui

Senatus in bene de rep. meritos liberalitas.

qui erant, curamque adhibuerant ne Busichius a Gallis 1512
captivus fieret, pensio annua singulis, quoad viverent, impetrata. duobusque Fraxinæ Epirotarum item equitum præfecti liberis pensio ipsius tradita. Idem in tres Bastæ fratres servatum. paucosque post dies Federici Contareni sorori dotis nomine auri libræ quindecim e reipublicæ pecunia constitutæ. civibus autem Brixianis aliquot, qui amissis suis rebus omnibus ad urbem venerant, Jacominoque Tropiano, ejusque filio a Patribus pecunia in victum submini strata. is Jacominus suæ vallis homines egregio studio atque animo ad rempublicam tuendam evocabat. Ludovico etiam Cocajo, qui ut Benaci lacus oppida se reipublicæ dederent, studium & laborem contulerat, pensio annua liberaliter instituta, ejusque filio magistratus reipublicæ ex iis, qui a præfectis civitatum eliguntur, quem is vellet, dono datus. Petro quoque Finio Bergomati, qui ad Aloisium Avogarium sæpe ventitaverat, interpresque apud illum de Brixia reipublicæ restituenda fidus atque diligens fuerat, octo scribarum tempora apud totidem Castri Franchi magistratus paulo post a Patribus adsignata.

Curatores interea duo ad munitiones perficiendas atque amplificandas, Aloisius Barbarus Patavium, Bartholomæus Mustius Taurisum cum stipendio missi. majoribusque comitiis lex est perlata, uti bini Patavii præfecti qui creandi erant, annui, & prærogativis primum senatorum suffragiis, deinde comitialibus legerentur. eique Aloisius Emus secundæ dignitatis magistratus ea lege lectus. Legatis post hæc Helvetiorum duodecim ad urbem venientibus, ut cum Julio & Ferdinando & Patribus ad bellum contra Gallos se conjungerent, cives e nobilitate, qui eos exciperent, obviam missi: ipsi liberali reipublicæ hospitio accepti, & victus datus. Julius Brixiama Gallis recuperatam intelligens, uti Patres cum Maximiliano fœdus facerent, non modo consulendo & suadendo, sed minis etiam atque obnunciationibus contendebat. Tabellarius interim reipublicæ qui apud Gallos erat in cu-

Patavinorum præfectorum electio.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 ſtodia, libertati reſtitutus Mediolano ad Patres venit, afferens Jacobum ſibi Triultium Gritto adhibito mandaviſſe, Patribus diceret, ſi vellent, ſe cum rege curaturum, uti fœdus cum republica faceret, ea conditione, ut Verona reliquaque intra Atheſim flumen oppida reipublicæ cederent. Ea erat conditio conſcripta in quadam pagina ex Gallia, ut videbatur, ab rege ad Triultium miſſa: ineratque in ea caput etiam ejuſmodi; regem præter ea redditurum Patribus Flaminiæ atque Apuliæ oppida, quæ reipublicæ fuiſſent: ipſum enim, ſi unos Venetos conjunctos ſecum habeat, Julium & reges reliquos non magni æſtimaturum, aut omnino reveriturum: verum linea ſuperinducta illud ipſum obliteraverat caput, ita tamen ut legi facile poſſet. Patres Senatu vocato eam rem per literas legato Foſcaro ſignificaverunt, atque uti uni Julio notam faceret, mandaverunt: de fœdere autem cum Maximiliano ineundo, quod ad Vicetiam pertineret, velle Patres Julii judicio ſe ſe permittere: in reliquis capitibus ita fieret, uti Julius & Maximilianus voluiſſent. Altero autem Senatuſconſulto Vicetiam Maximiliano dari Patres cenſuerunt, cum ea pecunia, qua de convenerat, non tamen antea, quam Maximilianus bellum Aloiſio intuliſſet. Poſtremo, propterea quod in fœdere tractando magna rerum difficultas proponebatur, omnibus placuit, uti ſpatium a bello vacuum intercederet, quo in tempore pax commodius confici atque ad exitum perduci poſſet. itaque octavo idus apriles inter Maximilianum Venetoſque decem menſium concelebratæ indutiæ ſunt Romæ ab utrorunque legatis, Julio eis ſuam auctoritatem adhibente, qui ſcribentibus affuit, ea conditione interpoſita, uti a Patribus quadringentæ auri libræ Maximiliano duabus penſionibus ſolvendæ curarentur. quas quidem poſtea indutias adjectis ad eam pecuniam centum auri libris, ut eſſent omnes quingentæ, Maximilianus confirmavit. Poſt hæc Marcus Cardinalis Sedunus ad urbem Roma rediens, a Lauredano Principe & Patribus in Bucentauro navi uſque ad Clementis fanum, quod in vadis eſt,

Venetorum cum Maximiliano indutiæ.

eſt, obviam euntibus eſt exceptus. Cum eo & Patribus 1512
colloquuti Helvetiorum legati duodecim non ſemel cum fuiſſent, conſtituto quantum pecuniæ in ſtipendium eſſet Helvetiis a republica perſolvendum, eadem ſcilicet portione librarum auri octoginta, ad quam reliqui ſinguli tenerentur, ternis auri libris ad iter a republica donati domum reverterunt.

Neque multo poſt Julii & Ferdinandi regis Hiſpaniæ, *Pugna ad Ravennam.*
& Aloiſii Galliæ regis exercitus propinquiores facti, cum ſe dies aliquot munitis caſtris tenuiſſent, Galli ad Ravennam oppugnandam ſe contulerunt. Erat in ea Marcus Antonius Columna Julii nomine cum militibus mille quingentis, equitibus trecentis, ſeque forti ac præſtanti animo defendebat, & cladem hoſtibus ex muro inferebat. Neapolitanus autem prorex oppido veritus, ut Gallos ex eo averteret, non longe ab eorum copiis ſuas copias adduxit. Galli relicta oppugnatione ſe ad pugnam celeriter comparaverunt. itaque eo ipſo die mane, qui fuit dies percelebris, ad diem tertium iduum aprilium uterque exercitus animo æque magno ac parato ad dimicandum inter ſe conflixerunt. Pugnatum eſt horis plus ſex incredibili virtute: qua in pugna militum & equitum millia ſupra decem & octo interfecta ſunt, pari fere utrorunque numero, fortuna diſpari. Julii enim & Hiſpanorum copiæ fuſæ, fugatæque: Galli locum tenuerunt. Captivi ab Gallis facti Fabritius Columna, ejuſque gener Alfonſus Avalus Aterni dominus, Petrus Navarrus Cantaber, & Joannes Medices Cardinalis Julii legatus, aliique clari viri non pauci; & ſigna complura ablata, & tormenta capta. Eo in certamine Alfonſi Ferrarienſium ducis, cum tormentis exercendis, tum acie ſua e transverſo in hoſtem ducenda, virtus egregia, & victoriæ magna ex parte conficiens fuit. Dux Gallorum Foyus cum ſe in mediam Hiſpanorum globum qui ſupererat, audaciſſime intuliſſet, *Galli Ravenna potiuntur prid. id. apr.*
cæſus ab illis una cum pluribus clari nominis ducibus, eum ſuo exercitui diem lugubrem magis, quam lætum, aut ulla gratulatione celebrari dignum reddidit. Poſtero die

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 die Galli, conditione adhibita, ut Columnæ ſuis cum copiis Ravenna exeundi poteſtas fieret, neque oppidanis noceretur, oppido potiti ſunt: quod quidem intromiſſi, conditione non ſervata, fœde crudeliterque diripuerunt: arcem autem oppidi capere non potuerunt, iis, qui in ea erant, fidem Julio velle ſe præſtare dictitantibus.

Patres, qui eo tempore per Vincentium Naldium in Flaminia milites mille ſua pecunia confecerant, ut ea cum manu Julii oppida, quantum poſſet, tueretur, ei mandaverunt. Is Faventiam propter cladem Hiſpanorum nutantem ſe contulit, atque oppidum opportuno præſidio communivit. Prorex ipſe, qui Anconæ poſt fugam primum conſtitit, ſuas ut copias ad ſigna revocaret, omnem curam & diligentiam adhibuit. certior enim factus majorem ex ſuis & potiorem multo partem in prælio Gallos amiſiſſe, in ſpem venerat, adhibitis Helvetiis poſſe illos Italia expelli, ſi univerſi celeriter munus obierint, & virtutem gnaviter exercuerint ſuam. Quod ubi Patres intellexerunt, eum ſolari & erigere omniaque auxilia ei polliceri non dubitaverunt. Joannem Antonium Dandulum etiam a Senatu lectum cum auri libris CXX. ex ſuperiore ſtipendio reliquis, quas tamen ipſe in fugam verſus jure belli amiſerat, ad illum miſerunt, juvandi & excitandi hominis cauſa. quam quidem rem legatus apud Venetos Ferdinandi imitatus, ſe ad illum cum pecunia contulit. Cymbæ interim duæ in navalibus confectæ atque inſtructæ, quæ proter velocitatem *hirundines* appellabantur, in Ravennæ portu naviculam Alfonſi longam remigum quadraginta captam a ſe, interfectis ex illis pleriſque, naveſque duas mercibus & occiſorum in pugna ſpoliis onuſtas item una captas ad fori marginem Alfonſi ſigna per aquam trahentes duxerunt. Julius ut regem Galliæ deliniret, ejuſque cogitationes & incepta, ſi qua contra ſe agitaret, ea ſpe ſiſteret, Senatu Cardinalium vocato propoſuit, velle ſe fœdus cum illo facere: capitaque fœderis, in quibus inerat, ut ei rex Bononiam reſtitueret, quæque in Flaminia ad Padum flumen oppida pertine-

tinerent, ipſi cederent: in reliquis ſe ſe regi ſatis liberaliter permittebat: per eos qui rebus Gallicis Cardinales favebant, conſcripta & obſignata ad illum miſit. Paulo- 1512
que poſt vocatis ad ſe legatis Ferdinandi & reipublicæ eis dixit, ne propter ea quæ feciſſet perturbarentur, ne ve ſe priore contra Gallos voluntate ulla ex parte mutatum crederent: invitum enim ad id deſcendiſſe fallendi & conſopiendi regis cauſa. Quibus intellectis rebus Patres ſciverunt, Julio ſcribi oportere: ſi cum Aloiſio fœdus facere ſtatuerit, ſe non recuſare, dum in eo rempublicam includat, ſociamque fœderis efficiat. Guidum Rangonium poſt hæc, qui e Gallorum cuſtodia ſe redemerat, ad urbem venientem Patres amanter exceperunt, & præfectum equitum gravis armaturæ fecerunt: ejuſque fratri Joanni Franciſco, qui cum eo venerat, equitum leviorum præfectura item tradita.

Concilium Lateranenſe.

Romæ ad diem tertium nonarum maji Concilium celebrari cœptum eſt ab Julio in templo Lateranenſi magna ſacerdotum frequentia, preceſque Deo Optimo Maximo, ut vota hominum rite nuncuparentur, factæ. Marco Cardinali Seduno, Venetiis qui erat, ad ſuos abeunti argentum in menſam dono a Patribus datum. Cum Henrico autem rege Britanniæ fœdus a ſociis atque a republica initum, XV. cal. junias in urbe celebratum eſt: concupivit enim rex petiitque ſe in eo recipi. Illis diebus Julius Vitellius Tifernatium Epiſcopus, qui conditionibus acceptis Ravennæ arcem Gallis obſidentibus tradiderat, eo cum copiis ad expugnandam illam redeunte, tractis conditionibus recepit. Oppidani cladis ſuæ contra jus contra fas acceptæ memores, quatuor Gallorum præfectos in arce qui fuerant, fide non ſervata vivos ſepelierunt cervicibus ſupra terram extantibus. Julii & Ferdinandi legati, itemque duo civitatis magiſtratus, Leonardus Mocenicus, Nicolaus Bernardus, Helvetiis ſecum ad bellum contra Gallos comparantibus ex urbe profecti cum auri libris CXX. ad illos ſe contulerunt cohortandi & juvandi eos cauſa. Ii ſe Veronam Maximiliani præfecto libentiſſimis intu-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 intulerant. Antonius Saornianus, qui Utini, uti ſupra dictum eſt, cæde civium ſecum diſſidentium ingenti facta, rempublicam cujus erat e nobilitate civis, deſeruerat, atque ad hoſtes profugerat, omniaque ingrati & malefici hominis ſtudia contra illam exercuerat, ab inimicis ſuis in Maximiliani finibus trucidatus, dignam tot ſceleribus mortem obiit. Ferdinandus clade ſuarum copiarum, quæ cum Gallis apud Ravennam depugnaverant, intellecta, literas ad Julium dedit, ne propter eam rem animo perturbaretur: ſuum exercitum bene plenum ad Pyrenæos in Galliam quamprimum irrupturum una cum Britannico exercitu, qui modo expectabatur: mittere autem ſe in Italiam Conſalvum Ferdinandum ſuarum copiarum ducem, eumque eſſe quinto idus majas profecturum: venturum etiam ſe ſe ipſum, ſi oporteat, non obſcure confirmabat. Julius ea ſpe fretus de Cardinalium ſententia binas literas ſcribi juſſit: quarum alteris Cardinali Medici ejus legato, qui a Gallis in cuſtodia ſervabatur, permittebat, uti omnes homines, qui ab eo delictorum ſuorum veniam peterent, etiam ſi hoſtes Romanæ reipublicæ fuiſſent, expiare poſſet, dum ii parere Pontifici Maximo ſuum in animum induxiſſent. alteris a Rege Galliæ petebat, ut eundem legatum liberum ſuique juris vellet eſſe: id ni faceret, eum ſe igni & aqua interdicturum, regnique dignitate mulctaturum, minabatur. Antonius Sorianus legatus ad regem Pannoniæ a Senatu lectus, illis diebus viæ ſe dedit. Patrum juſſu in omnibus ſacerdotum & ſacrarum virginum collegiis preces factæ ſunt pro republica, noſtro & Helvetiorum exercitu contra Gallos in Veronæ finibus ſe conjungente: qui quidem Helvetii circiter decem & octo millia militum numerum conficiebant.

Veneti Valegium & Piſcheriam primis aggreſſibus cum cepiſſent, Benaci lacus oppida omnia ſponte ad rempublicam redierunt. Cremonenſes exercitibus eo tendentibus ſibi veriti, quadringentis auri libris Cardinali Seduno pollicitis, conditione adhibita, ne oppidum ingrederentur, ſe ei dediderunt. ejus interpretes rei Julii legatus, itemque Ve-

Venetorum ſcriba, equitum & militum qui *Collateralis* appellatur, fuerunt: quos oppidani ad colloquium intromiſerant. Caravagium ſubinde atque Soncinium Cardinali ſe Seduno tradiderunt. is eis & Cremonæ ſuos milites præpoſuit, atque id quidem arroganter & barbare, cum Venetis tradere debuiſſet. Julius enim pollicitus fuerat primis in ſermonibus ea de re habitis, idque ſuis ad Senatum ſcriptis literis confirmaverat, ut quidquid eo bello caperetur, quod quidem reipublicæ fuiſſet, reipublicæ miniſtris traderetur. Reliqua earum regionum oppida, quæ ad Abduam flumen ſunt, ſe ſe reipublicæ dediderunt: itemque Bergomates ſuis cum finibus. Bentivoli Bononiæ qui erant, exercitum Julii, qui eo properabat, metuentes, oppidanis ſe ſe dedere volentibus, Ferrariam profecti ſunt cum ſuarum partium civibus non paucis. atque illi paulo poſt Julii ſe interpretibus tradiderunt. Albertus Pius interea Maximiliani legatus Romam profectus eſt. Joannes item Baduarius ad Ferdinandum regem reipublicæ legatus viæ ſe dedit. Appropinquante ad Italiam Matthæo Epiſcopo Gurcenſi magnæ apud Maximilianum auctoritatis viro, uti Romam ſe conferret, Patres Petrum Landum legatum ad illum miſerunt honoris illius & ſocietatis ex itinere cauſa.

Bergomum reip. ſe dedit.

Bentivoli Julio ſe dedunt VI. id. jun.

Poſt hæc Ticinenſes repulſis ter hoſtibus eorumque tormentis potiti, itemque Mediolanenſes, ſe ſe Julio & fœderatis permiſerunt, cum hi libris auri ſexcentis, illi quadringentis ſui oppidi direptionem redemiſſent. quod quidem factum Laudis Pompejæ cives imitati, ſexcentenas, Parmenſes atque Placentini ducentenas ponliciti, Helvetiorum avaritiam ſubterfugere non dubitaverunt. Comum etiam poſt hos, interfectis iis qui eis in finibus erant Gallis, idem fecerunt: itemque Tortonenſes & Alexandrini. Omnibus autem iis in rebus malus in rempublicam Seduni animus fuit, qui ut Veneti legatis & exercitui timorem incuteret, ne petere, quæ eis debebantur, auderent, omnibus in Cremonæ Cremæque & Laudis Pompejæ finibus, aut comburi aut detineri naves univer-

Fœderati oppida multa in Gallia Ciſalpina recipiunt.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 verſas imperavit, ne eſſet, unde illi pontes facere, atque in tuta reverti poſſent. qua quidem ille re maximam ſibi omnibus ab hominibus invidiam excitavit. Dum hæc agitarentur, Joannes Medices Cardinalis amici hominis Blaſii Crivelli opera Mediolano fugiens, Mantuam ſe contulit: interpreſque ab adoleſcente rege Thracio Sultano Selymo literas ad Patres attulit, quibus ille literis Senatum certiorem faciebat, patrem ſuum ſponte ſibi regnum tradidiſſe: itaque velle ſe cum republica eam in qua diu pater ſuus fuerat, benivolentiam & neceſſitudinem exercere. quæ quidem tamen res aliter ſe habebat atque ille ſcripſerat: vi enim atque armis patrem coegerat, ut ſe regem inſtitueret.

Janes Fregoſius Genuenſi reip. præficitur.

Janes Fregoſius Julii rogatu reiquepublicæ permiſſu in Ligures profectus, atque a Genuenſibus eorum oppido præpoſitus, literas ea de re ad Julium dedit: quibus ille magnopere gaviſus, lætitiam ſuam urbanis ignibus & tormentorum ſtrepitu protulit: idemque uti Veneti facerent, triremeſque ipſorum tres, quæ erant in Apulia, Genuam celeriter mitterent ad arces ejus oppidi duas, quæ a Gallis tenebantur, facilius expugnandas, a legato Foſcaro petiit: quod quidem ei Patres libenter conceſſerunt: Janiſque filio Alexandro puero equitum gravis armaturæ quinquaginta turmam per vicarium regendam dederunt. Idem Julius triremes item ſeptem regis Ferdinandi, quæ in portu Neapolitano erant, ad eandem rem conficiendam ab ejus legato Hieronymo Vicco petierat. quibus omnibus necdum Genuam appulſis, altera ex arcibus tormentis poſitis deditionem fecit. Galli petente Maximiliano, ut ei Lemniacum traderent, quod quidem nullo jure poſſidebant, erat enim in Veronæ finibus, ſatis ei facere voluerunt, atque miniſtris ejus tradito, Mantuanum ſe in agrum receperunt. Alfonſus Ferrarienſium dux Romam profectus, cum ab Julio Cardinalibus publice adhibitis petiiſſet, ut ſibi cui aqua & igni interdictum ab eo fuerat, propterea quod in bello contra illum cum Gallis fuiſſet, ſuppliciter poſtulanti, & commiſſa confitenti, igno-

ignoſceret, ab eo abſolutus, atque ad pedis oſculum eſt admiſſus. Is cum intellexiſſet, Julium poſt hæc tacite curam adhibuiſſe ut ſe caperet, Fabritii Columnæ, qui in clade ad Ravennam ſe captivum ejus fecerat, cumque ipſo Romam venerat, tum ope tum conſilio aufugiens in ejus ſe fines contulit: deinde in Apuliam contendens, quod itinera terreſtria intercludi ſibi ab Julio facile poſſe ſciebat, mare Adriaticum ad Illyricum trajecit, ut eo inde iterum trajecto, per Padi fluminis oſtia domum reverteretur. In urbe autem Decemviri fœminam meretricem, quæ in Deos maledicta conjecerat, & ſe fuga ſubripuerat, exulem ea conditione fecerunt, ut ſi ullo in imperii loco caperetur, cervices ei abſcinderentur, ipſa igni combureretur. Foſſæque Clodiæ civis, qui tres ſuas filias virgines vitiaverat, a prætore concrematus dignam commiſſi pœnam perſolvit. Julius Helvetios rebus bene geſtis in Cardinalium collegio *Romanæ reipublicæ defenſores* appellavit, atque uti eo nomine omnibus ab hominibus appellarentur, cenſuit. 1512

Gallorum turma a Venetis cæſa.

Galli eo tempore Brixia emiſſi, equites quatercentum, milites mille, ut e vicinis oppido locis prædas abigerent, atque in oppidum importarent, cum agricolas pleroſque una cum mulieribus atque infantibus interfeciſſent, tumultu hominum a tergo excitato, copiiſque Venetis ſe in reditu opponentibus, capti & interfecti magna ex parte, ac præda quam fecerant amiſſa, reliqui ſe in oppidum fugientes vix ægreque intulerunt. Laurentio Cretano, qui ad Patres ſe contulerat ſuarum rerum cauſa, auctus equitum & ſtipendiorum numerus. Auctus item Vitellio & ejus fratri: penſioneſque annuæ Joanni Brandolino, & Marco Caſtellatio, & Saccardo Bonzinio, pro cujuſque rebus bene geſtis a Senatu tradita. Lex eſt etiam perlata, ut ex Lepontiis militibus bis mille celeres conſcriberentur, reliquiſque adderentur, ut eſſent omnes numero ad decem millia: juſſerant enim Patres ut reipublicæ legati ad Brixiam recuperandam accederent, certiores a nonnullis ejus urbis civibus facti, non poſſe ſe ulte-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 ulterius Gallorum imperium perpeti : se se reipublicæ, si exercitum eo miserit, oppidum sine mora tradituros. Quamobrem ut pleniore cum exercitu proficiscerentur, militum numerum esse augendum statuerunt. Julius etiam, sua se inexplebili novarum dominationum cupiditate ad omnia difficilia impellente, propterea quod Alfonsus aberat, posse se Ferrariam capere eo puncto temporis confidebat. Itaque scriptis ad ducem Metaurensium literis, ut se cum exercitu celeriter eo conferret, a Senatu petiit, quibus posset navibus in Padum flumen immissis sua consilia juvaret. Id a Patribus cum esset diligenter procuratum, Alfonsique copiæ, quæ in oppido erant, de eo certiores factæ se ad defensionem comparavissent, & Pado trajecto etiam Rhodigium de improviso cepissent, conatus omnes Julii ad nihilum redierunt.

Veneti frustra Brixiam oppugnant.

Legati autem reipublicæ cum se ad Brixiam contulissent, tormentaque ad muros verberandos aptavissent, Gallis, qui nova jam auxilia intromiserant, se acerrime defendentibus, nihilo minus irritus eorum apparatus futurus videbatur. Interim Cardinale Medice libertati restituto, proregi Neapolitano itemque Julio cupiditas est injecta Florentinæ reipublicæ statum ordinesque commutandi: ut ut enim se tunc ea civitas regebat, omnibus in bellis Gallorum partium studiosissima semper fuerat. Id autem nulla re alia melius se consequuturos existimabant, quam si Medicum familiam ab exilio restituerent. itaque eam rem tentare omnibus suis copiis, Cardinale accersito, & Bernardo Bibiena Cardinalis familiari Julii missu singula tractante, statuerunt : tribusque itineribus susceptis, ut commeatus facilius suppeterent, per Apennini juga magna rerum omnium difficultate ad Pratum oppidum, quod est in plano, abestque Florentia millia passuum decem, prorex & Julii ministri accesserunt. quod quidem plane oppidum tametsi esset & militum numero, & tormentis apprime communitum, se se tamen defendere non potuit. itaque captum & direptum est dives sane municipium, & rebus omnibus etiam ad commodiorem & delica-

licatiorem victum opportunis plenum. Florentiæ civitas 1512
ea re perterrita, ducem suum Petrum Soderinum inimicum Medicibus hominem, a reipublicæ administratione removit, ex octo, qui urbem una cum illo regebant, sex eum condemnantibus ; domumque amici ejus civis Pauli Victorii ægre propter motum plebis deduxit. Parum enim abfuit, quin ab adversariis ejus factionis hominibus interficeretur. missisque ad Joannem Cardinalem & Julianum ejus fratrem internunciis, ut urbem ingrederentur, non permisit modo, sed etiam concupivit. itaque magna totius civitatis frequentia & gratulatione calendis septembribus urbem ingressi, domi suæ recepti sunt. Interim Julius Cardinalibus adhibitis aqua & igni regi Galliæ interdixit, datis ea de re literis, nisi se a Pisano concilio abdicarit. Tum Benedicto Cribello, ejusdem regis in Crema oppido tribuno militum, ab iis qui reipublicæ favebant delinito, muneribusque plurimis una cum civitate oblatis, oppidum Veneti receperunt, Cribellumque e nobilitate civem creaverunt, & domum Patavinam fundumque peramplum cum villa egregia ei dono dederunt, & tribunum militum fecerunt. Oppidi autem præfectum Nicolaum Pisaurum renunciaverunt, & Cremam miserunt: isque ibi paucos post menses est mortuus.

Medicei Florentiæ ab exsilio restituuntur.

Crema a Venetis recipitur V. id. sept.

Julio autem postulante Senatus censuit, ut & classis & tormentorum opportunus numerus, & numi militibus duobus millibus in Flaminia conscribendis ad Ferrariense bellum, quo ipse vellet, mitterentur : eaque paulo post Ravennam, quo se Franciscus Maria Julii copiarum imperator contulerat, sunt missa. qui quidem Julius Prospero Columnæ, ut se in Galliam Cisalpinam trajiceret, eumque Hispano exercitu conjungeret, id magnopere cupienti, ad Gallos ex Italia expellendos, potestatem fecit. Et Franciscus Donatus, uti Florentiæ legatum reipublicæ ageret, a Senatu lectus. Patavinorum & Tarvisanorum rebellium uxoribus & filiabus nuncupatis, quibus se se alerent, a Decemvirum collegio dono dati. Eodem fere tempore Gal-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1512 Galliæ regis exercitus ab Hiſpaniæ regis exercitu in Aquitania male habitus, magnum ſuorum numerum deſideravit. Miſerat Memphim ante eos dies Senatus Dominicum Triviſanum templi Marcii procuratorem, ad Laſeraphum regem Aegyptiorum, rebus quæ ad mercaturam exercendam pertinebant procuradis legatum: quæ omnino res majorem in modum regiorum magiſtratuum & miniſtrorum injuria lapſæ, ingentem jacturam Venetis civibus, qui eo proficiſcebantur, ibique morabantur, inferebant. Rex cum audiſſet tantum ad ſe hominem Senatus Veneti miſſu venire, illuſtri ſuorum obviam itione & omni honorum genere illum excepit in hortorum ſuorum electiſſimorum porticu ampliſſima: cujus ad ſingulas columnas appenſæ luſciniæ, cantus exercebant ſuos, & aquæ fontium non unis a partibus decurrentes prope aviculis non illepide concinebant. itaque & loci amœnitate ac ſpecie, & regis oratione perliberali eo hilariter facto legationis ſuæ initio, plures ibi dies Triviſanus commoratus, renovato ex reipublicæ dignitate antiquiore fœdere, datis & acceptis muneribus, cum regis ad Senatum honorificentiſſime ſcriptis literis ejus rei teſtibus domum rediit. Antonius etiam Juſtinianus captus ab hoſtibus in Brixiæ prætura, atque in Galliam perductus, datis pecuniis quas popoſcerant, iiſdem fere diebus ſuos ſe ad lares recepit, cum prius eum Senatus in quinquevirum collegium, qui belli res eo in ordine procurant, cooptaviſſet. Annus interim finem ſuum habuit.

Veneti cum Aegyptio rege fœdus renovant.

1513 Inſequente autem inito, Neapolis prorex Medicibus in Florentiæ dominationem reſtitutis, & Prati oppidi direptione, & plurimis auri libris dono acceptis communitior factus, cum intelligeret Venetorum exercitum in Brixia recuperanda magnopere laborare, nec tamen ſatis proficere, Gallis, qui in ea erant, ſe ſe acriter defendentibus: ut ea quoque a parte, ſi quid poſſet, lucraretur homo alieni appetentiſſimus, in agrum Brixianum ſuas copias adduxit, ibique modo pollicendo nihil ſe reipublicæ nociturum, modo fallendo, legatiſque Venetis ſuos interpretes mittendo, qui monerent ut cum Maximiliano pacem facerent potius, quam quæ illius eſſent, ei præripere contenderent; ſe in urbem intulit, & oppidum antea direptum, & omni exutum dignitate, radicitus depopulatus, ſi quid erat reliqui, abſtulit: atque ut Galli domum reverterentur, ſecumque prædam, quam ingentem capto oppido fecerant, aſportarent, poteſtatem eis fecit. Veneti capiendi oppidi ſpe depoſita, tormenta, quibus muros urbis verberabant, abſtulerunt. Et jam Joannes Medices Cardinalis, & Julianus ejus frater, de ſucceſſu rerum ſuarum literas ad Senatum dederant, ſeque & fortunas ſuas omnes reipublicæ obtulerant. itaque reſpublica quæ amico ſemper animo in illos fuerat, in civitatem & nobilitatem eos & Laurentium eorum fratris filium more majorum intulit, miſſis ad eos Florentiam de ea re literis. Pauloque poſt & Proſper Columna ſuæ factionis princeps, cum equitatu & peditatu ad proregem ſe ſe contulit: & Senatus cives quatuor, qui Cremæ portas, quoad opus eſſet, cuſtodirent: deinde municipiis quatuor in vicinis Cremæ locis, quæ ad rempublicam redierant, ejus nomine præfecit, creavit. Tum arcem Bergomatium extra urbem ſummo in monte poſitam, quam *Capellam* appellabant, ejus præfectus homo Gallus reipublicæ internunciis tradidit. Senatus cum intellexiſſet, numos qui in bella inſumebantur, non omnino recte adminiſtrari, cives duos magnæ auctoritatis viros, Hieronymum Quirinum, Petrum Capellum, qui eis præeſſent, creavit: deinde Petrum Paſcalicum, qui legatum Genuæ ageret, renunciavit. Erat autem eo in oppido Dux & princeps recentior civitatis Janes Fregoſius amantiſſimus reipublicæ.

Hiſpani Brixiam capiunt & diripiunt.

Arx Bergomenſis Venetis deditur.

Poſt hæc Matthæus Curcenſium Epiſcopus Maximiliani interpres Romam venit, atque a Julio ſuam in domum in Vaticano eſt exceptus. Pauloque poſt Maximiliani Hiſpaniæque Regis & reipublicæ legatis admiſſis, ejuſmodi ſe fœdus velle Julius facere pronunciavit. *Ut Verona Vicetiaque Maximiliano cederent. Pro Patavio autem & Tauriſo, quæ jam Veneti obtinebant, ut ea oppida retinere*

Fœdus Julium inter & Maximilianum.

1513

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

1513 *nere jure poſſent, tercentas auri libras tributi nomine Maximiliano quotannis penderent: ſemel autem pro totius rei ac tabularum confectione, bis mille & quingentas. De iis vero quæ in Carnis eſſent oppidis, Julii judicium eſſet, rei ne publicæ an Maximiliano tradenda jure eſſent.* Reliquo fœdere Maximilianus & Hiſpaniæ rex abolere Piſanum concilium, omnemque ſuam auctoritatem atque opes Julio tradere ad Ferrariam capiendam tenebantur. quæ duæ quidem cauſæ Julii animum vehementer exagitabant. nam & concilii contra ſe initi mirum in modum timore commovebatur: & cupiditate, ut Ferrariam in poteſtatem ſuam redigeret, nihil culpæ, nihil ſceleris, nihil flagitii prætermittebat. itaque Venetos, qui in illum tot officia contulerant, tantum pecuniæ, ut ad omnes ejus nutus præſto eſſent, animis libentiſſimis impenderant, nulla fide, nulla pietate fultus, non deſeruerat modo eo conficiendo fœdere, ſed plane etiam in prædam hoſtium, ſanguinem & omnem ſuccum reipublicæ fugere cupientium, projiciebat. quamobrem reipublicæ legati ad Julium converſi, non eſſe hoc illud, quod ab eo expectabatur, conqueſti ſunt: male, quod injuſte amiſerant, eo pacto recuperari: ſed ſe confidere Dei Optimi Maximi auxilium reipublicæ non defuturum. Demum ubi Julius ira percitus fœderis capita ſcribi juſſiſſet, ne ſcribendo adeſſent, abierunt. quæ tamen poſtea capita ſcripta & confecta ſunt. Id cum eſſet Venetias allatum, literæ a Senatu datæ ſunt ad legatos, ne poſthac his tractandis rebus intereſſent. Joannes Medices Cardinalis, Juliano fratre civitate regenda Florentiæ relicto, ſe Bononiam ad legationem ſuam contulit. arciſque Brixiæ cuſtos, homo Gallus, regis ſui juſſu eam Hiſpanis ducibus invitus tradidit.

Brixienſis arx Hiſpanis deditur.

Julius autem Epiſcopo Curcenſium in Cardinalium collegium adſcito, quartum Lateranenſi vocato Concilio affuit. quo in Concilio adeſſe Curcenſis, niſi prius literæ, quibus aqua & igni Venetis interdiceretur, ſibi eſſent traditæ, noluit. Roma deinde profectus eſt: cumque in Gal-

Galliam citeriorem veniſſet, Maximiliani Sfortiæ Ludo- 1513
vici filii, qui ſe Mediolanum inferebat, ſocius comeſque itineris fuit. Eo ingreſſu peracto, Hiſpani Tretium, in Abduæ ripa oppidum, commeatu, pecunia, rebuſque omnibus munitiſſimum, quod a Gallis tenebatur, vi & immani tormentorum verberatione captum diripuerunt. Julius interim Maximiliani obſequio amicior ei factus, qui ſuas copias Ferraria ſtatim avocaverat, ut ei ſatisfaceret, Staphilæum Romani fori litium miniſtrum Venetias miſit Patres hortatum, ut fœderis conditiones acciperent: tametſi jam nonnihil pœnitentia ducebatur, ſe in eos tam durum tamque illiberalem fuiſſe. quod mehercule cum improbari maximorum hominum ſermonibus intellexiſſet, qui dicerent, eam rem occaſionem Venetis daturam, ut ſe cum Gallis conjungerent, eoſque in Italiam adducerent, quos ab Italia expellere Julius in primis nitebatur: in dies ſingulos ejus rei mœrore magis magiſque diſtractus, neque cibum, neque ſomnum capere poterat. Itaque febri tentari cœptus eſt: qua in febri cum Piſauri oppidum Metaurenſium duci fratris ſui filio tradidiſſet, & Cardinalium collegio Urbem remquepublicam Chriſtianam commendaviſſet, undecimo calendas martias mortem obiit. Senatus Cardinalium collegio literas dedit, orans obteſtanſque eos, ut in eligendo Pontifice totius orbis beneficio conſulerent: ſuaſque opes omnes & exercitus ad eos juvandos eſt pollicitus. qui cum ſe in conclave more majorum intuliſſent, Bernardi Bibienæ amabiliſſimi hominis magna ex parte ſtudio, conſiliis & prenſationibus diligentioribus permoti, Joannem Medicem, annos natum triginta ſeptem, Pontificem Maximum creaverunt. Iſque priuſquam e conclavi exiret, me, & Jacobum Sadoletum, qui Romæ tunc eramus, ſibi ab epiſtolis adſciv[it].

Julii II. obitus.

Leo X. Pontifex creatur V. id mart.

FINIS.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

INDEX

Propriorum nominum, rerumque notabilium copioſiſſimus.

A

Alberti (*Hieronymus & Marinus*) 107.
Alexander VI. pont. max. 32. Ejus cum Venetis, & Mediolani Ferrariaeque ducibus foedus. 33. Carolum VIII. ad Neapolitanam expeditionem inſtigat. 37. Ejus cum Alphonſo rege foedus in Carolum VIII. 42. Interdictum Carolo minatur, ni Italia excedat. 83. Ejus obitus. 218.
Alexium: Venetis deditur. 185. Bajazeti reſtituitur. 234.
Alidoſius (*Franciſcus*) cardinalis: Bononiae legatus. 400. Bononiam amittit. 412. Ejus cum Franciſco-Maria Urbinate ſimultates. 414. Ejus caedes & elogium. 415.
Aloyſius rex: vide Ludovicus XII.
Alphonſus, Ferrariae dux. 232. Ejus Venetias adventus. 233. 246. A Julio II. interdicti abſolutionem impetrat. 464. Roma aufugit. 465.
Alphonſus, Neapolis rex. 40. Ejus copiae. 44. Ferdinando filio regnum tradit. 48. Ejus obitus. *ibid.*
Amboſius (*Georgius*) Rothomagenſis cardinalis: ad Maximilianum imp. Ludovici regis nomine orator. 199. 301. Cur Venetis inimicus. 259. Ejus obitus. 371.
Ambracii ſinus deſcriptio. 179.
Americae regionum detectio & deſcriptio. 190. *& ſeqq.*
Amulius (*Aloyſius*) Ferrariae prodominus. 288. Cremonae praetor. 301.
Anſo, arx: quando condita. 21.
Anguſcioli (*Hannibal & Marſilius*) Veneta civitate & comitiorum jure donati. 148.
Anna, Galliae regina: virum a bello adverſus Pontificem gerendo deterret. 385. Filium parit, qui intra dies paucos moritur. 451.
Antonellus Neapolitanus: ejus in remp. liberalitas. 269.
Argentonius (*Philippus*) pro Gallo apud Venetos orator. 41. Ejus conſternatio, intellecto Venetorum cum aliis principibus foedere. 54. Venetiis diſcedit. 56. In Caroli VIII. caſtris. 60. Ad Caeſarem orator. 70. Atque iterum ad Venetos. 86.
Armeniorum domus & facellum Venetiis. 120.
Armerius (*Albanus*) turcicam navim fortiter aggreditur. 155. Ab hoſtibus capitur. 156. Ab iiſdem pro Fide crudeliter interficitur. 157.
Armerius (*Aloyſius*) rei ſalariae quatuorvir. 162. Ariminenſibus legatus datur. 269.
Ateſtinus (*Ferdinandus*) Venetorum ſtipendia facit. 117. Ab iiſdem dimittitur. 143.
Ateſtinus (*Sebaſtianus*) a Venetis capitur. 437.
Atheſis origo. 3. Inundatio. 38.
Avogarius (*Aloyſius*) ſexcentos milites privata pecunia conſcribit. 268. Senatui Brixiam reddere pollicetur. 449. Gallos e Brixianis municipiis multis expellit. 450. Venetos in Brixiae poſſeſſionem inducit. 451. Ejus mors. 456.

B

Baduarius (*Andreas*) ad Britanniae regem orator. 262.
Baduarius (*Joannes*) ad Julium II. orator. 260. Domum redit. 302. Ad Ferdinandum orator. 463.
Baduarius (*Sebaſtianus*) ad Innocentium VIII. orator. 15.
Bajazetes II. Turcarum rex: Cypro minatur. 17. Paron tentat occupare. 24. Oratorem Venetum Byzantio abire jubet. 27. Novam claſſem inſtruit. 42. Ejus ad Senatum legatio & munera. 83. Ejus in Venetos bellicus apparatus. 138. Ejus fraus in foedere cum Venetis renovando. *ibid.* Bellum Venetis infert. 151. *& ſeqq.* Naupactum occupat. 159. Naupliam & Pylon fruſtra invadit. 169. Methonem oppugnat. 170. & expugnat. 172. Pylon recipit. *ibid.* & Coronem. 173. Atque iterum Pylon. 186. Ejus crudelitas. 210. Pacem cum Venetis facit. 217. Alexium a Venetis repetit. 234. Venetis bello Cameracenſe laborantibus opem pollicetur. 309. Selymus filius illi regnum & libertatem eripit. 464.
Balbus (*Nicolaus*) Duini praefectus. 250.
Balbus (*Petrus*) Patavii praetor, Padanae claſſi praeficitur. 350. Claſſis imperator. 445. Legationem ad Aegyptium regem non ſuſcipit. *ibid.*
Balio (*Joannes-Paullus*) Venetarum copiarum imperator. 420.

BAR-

BARBADICUS (*Auguſtinus*) Dux: ejus obitus. 187.
Barbadicus (*Daniel*) *Sapiens ordinum*. 439.
Barbadicus (*Joannes*) Triumvir ad magiſtratuum provincialium crimina cognoſcenda. 433.
Barbarus (*Aloyſius*) Patavinis munitionibus praeficitur. 457.
Barbarus (*Hermolaus*) apud Innocentium orator: Aquilejenſis patriarcha renunciatur. 26. Moritur. 27.
Barbarus (*Hieronymus*) ad Federicum imp. orator. 22.
Barbarus (*Vincentius*) ejus damnatio. 125.
Barbarus (*Zacharias*) ejus obitus. 27.
Barbus (*Paullus*) procurator. 284.
Barbus (*Petrus*) cardinalis: ejus obitus. 26.
Barotius (*Angelus*) copiarum legatus. 167.
Barotius (*Petrus*) Patavinus epiſcopus: ejus mors & elogium. 237.
Baſilium: tormenti bellici genus. 248.
Batalia (*Petrus-Antonius*) Veneta civitate & comitiorum jure donatur. 171.
Beatianus (*Marcus*) Senatus ſcriba. 14. Ad Helvetios orator. 102. Venetos inter & Helvetios ſancit foedus. 103. Apud Genuenſes orator. 126.
Bellum Rheticum. 2. *& ſeqq.* Caroli VIII. Neapolitanum. 35. *& ſeqq.* Piſanum. 86. *& ſeqq.* 117. *& ſeqq.* Ludovici XII. Mediolanenſe. 144. *& ſeqq.* Turcicum cum Bajazete. 151. *& ſeqq.* Venetorum cum Maximiliano imp. 240. *& ſeqq.* Cameracenſe in Venetos. 259. *& ſeqq.*
Belunenſium in Venetos fides. 297.
Belunum: redit in Venetorum fidem. 320. Germanis ſe dedit. 375. A Venetis recipitur. 386.
Bembus (*Bernardus*) ad Innocentium orator. 15. Decemvirum magiſter. 112. Ferrariae prodominus. 142. Veronae praetor, & ad Ludovicum XII. orator. 212. Ad Julium II. legationis princeps. 233. *Advocator communis*. 335. 357. Patavii aegrotat. 416.
Bembus (*Leonardus*) Hatrianorum praetor. 354.
Bembus (*Petrus*) quot annos natus hiſtoriam ſcribendam ſuſceperit. 1. Ubi locorum illam ſcripſerit. 2. Unde illius initium ceperit. *ibid.* Bis in Senatu pro Antonio Tinto peroravit. 79. Patavium ſe confert ad patrem aegrotantem. 416. Leoni X. eſt ab epiſtolis. 471.
Bembus (*Petrus*) navis longae praefectus, fortiter pugnans cadit. 77. In eum mortuum Veneti Senatus liberalitas. 79.
Benaci lacus deſcriptio. 23.
Bentivolus (*Joannes*) Veneta civitate & comitiorum jure donatur. 16.
Benzonius (*Soncinus*) Aſcanium Cardinalem captivum facit. 166. Cremenſes ad defectionem impellit. 290. A Venetis capitur. 379. Ejus ſupplicium. *ibid.*
Bergomum: ad Venetos redit. 452. Ejuſque arx, *la Cappella*. 469.
Bernardus (*Antonius*) Tarviſii praetor. 39.
Bernardus (*Hieronymus*) Zacynthi praetor; ejus condemnatio. 433.
Bernardus (*Nicolaus*) ad Helvetios orator. 461.
Bernardus (*Philippus*) 128.
a Bibiena (*Bernardus Divitius*) ejus opera Medicei in patriam redeunt. 466. Item ejus opera Jo. Medices pont. max. creatur. 471.
Bolanus (*Dominicus*) ad Matthiam Pannonem orator. 22.
Bolanus (*Dominicus*) Candiani fil. ejus condemnatio. 39.
Bolanus (*Franciſcus*) Quadragintavirum capitalium magiſter: Andreae Zancanio diem dicit. 161. Senator creatur. 162.
Bolanus (*Marcus*) ejus concio in Senatu. 81.
Bolduus (*Antonius*) ad Federicum imp. orator. 22. *Advocator communis*, Dominico Bolano, collegae diem dicit. 39. Ad Hiſpaniae regem orator. 115. Ejus obitus & elogium. 116.
Bolduus (*Gabriel*) canonicus Patavinus, honorifico Senatuſconſulto, renunciatus. 116.
Bombiza: Mugiam patriam, fortiter pugnans, tuetur. 439. 440.
Bononia: a Gallis & Bentivolis occupatur. 412. Julio II. ſe dedit. 463.
Bonus (*Aloyſius*) 356.
Bonus (*Antonius*) ejus hortatu Alexium Reip. ſe dedit. 184.
Bonus (*Gabriel*) pernicioſae legis lator. 30. In exſilium pellitur. 31.
Bonus (*Trojanus*) Cremonſi praefectus. 250.
Borgia (*Alexander*) *vide* Alexander VI.
Borgia (*Caeſar*) cardinalis: Carolo VIII. obſes datur. 49. Forum-Cornelii & Forum-Livii occupat. 163. Veneta civitate cum jure comitiorum donatur. [illegible] Puellam nobilem rapit. *ibid.* Faventiam recipit. 185. Urbinatium ducatu potitur. 211. Urbinum iterum & Sengalliam recipit. 216. Ejus perfidia & crudelitas. 18[illegible]216. Veneno prope abſumptus. 218. Male parta iterum amittit. 219. *& ſeqq.* Urbe excedit. 219.
Borgia (*Lucretia*) Alphonſo Ferrarienſi nubit. 210.
Braccius (*Bernardinus*) Venetarum copiarum propraefectus. 43[illegible]
Bra[illegible]dini (*Petrus, Hieronymus, & Aloyſius*) donati. 125.
Bragadinus (*Antonius*) Rhodigii praetor: ejus captivitas & obitus. 292.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Brandolinus (*Joannes*) 465.
Brixia: civitatis, poſt Abduanam cladem, conſternatio. 287. Venetorum praeſidium renuit recipere. 289. Se Gallis dedit. 290. In Venetorum poteſtatem redit. 451. A Gallis capitur. 455. Et diripitur. 456. Fruſtra a Venetis oppugnatur. 466. Ab Hiſpanis capitur & diripitur. 469. Ejus arx Hiſpanis deditur. 470.

C

Caballus (*Sigiſmundus*) copiarum ſublegatus. 368. Alpinis oppidis praeficitur. 396. In urbem redit. 419.
Cadorae: a Venetis expugnantur. 244. A Maximiliano captae & incenſae. 446. Redeunt ad Venetos. 448.
Caeſar (*C. Julius*) ejus carmen Feltrenſi arci inſcriptum. 321.
Cajetani: a Gallis caeduntur & diripiuntur. 76.
Calbus (*Dominicus*) in exilium mittitur. 88.
Calbus (*Philippus*) 359.
Canalis (*Aloyſius*) Corcyrenſis arcis praefectus. 168.
Canalis (*Aloyſius*) triremis praefectus. 174.
Cantelmius (*Hercules*) ejus caedes. 344.
Capellus (*Franciſcus*) apud Hiſpaniae regem orator. 115. Arimino praeficitur. 163. Ad Ludovicum, tum ad Henricum orator. 200. Tergeſti praetor. 250. Patavium, ad Leonardum Triſſinum, mittitur. 306. Legatus in Carnis. 327. Ad Britanniae regem iterum orator. 354. Ad Franciſcum Gonzagam orator. 400. In urbem redit. 404.
Capellus (Nicolaus) claſſis legatus. 17. Naxios in fidem recipit. 41.
Capellus (*Paullus*) legationem copiarum abnuit recipere. 285. Ad Julium II. orator. 295. Copiarum legatus. 368. Res ab eo in Alphonſum geſtae. 397. & *ſeqq.* Bononiam ad Julium ſe confert. 399. Concordiam capit. 404. In urbem redit. 416. Iterum copiarum legatus. 452.
Capellus (*Petrus*) Bergomi praefectus. 469.
Capellus (*Stephanus*) Zacynthi propraetor. 433.
Caravagium: ſe Venetis dedit. 146. A Gallis expugnatur. 287.
Cardona, Neapolis prorex. 453. Ad Ravennam a Gallis funditur. 459. Brixiam capit & diripit. 468.
Caroldius (*Joannes-Jacobus*) Senatus ſcriba: legatus Mediolani. 259. Primus de Cameracenſe foedere Senatum monet. 260. Mediolano dimittitur. 262. Triultii verba ad ipſum abeuntem. 263. Oppida in Flaminia, Reip. nomine, Julio dedit, 291. A captivitate educitur. 371.
Carolus VIII. cauſſae ejus belli adverſus Neapolitanos reges. 36. Remp. ad ejus belli ſocietatem invitat. 41. In Italiam tranſit. 45. Neapolitanum regnum invadit. 50. Illoque potitur. 50. & *ſeqq.* Ejus ſuperbum dictum. 53. Neapoli diſcedit. 55. Ejus clades ad Tarum. 62. Et fuga. 65. 69. In Gallias redit. 73. Reditum in Italiam parat. 108. Cum Hiſpaniae regibus indutias facit. 115. Ejus obitus. 121.
Caſſianum: ejus deſcriptio. 277.
Caſtellum-francum a Venetis occupatur. 434.
Caſtellum novum in Quero: a Germanis expugnatur. 303.
Cellae farinariae ad Marcianum forum: quando conſtructae. 80.
Cephallene: a Venetis oppugnatur. 162. 177. Venetis deditur. 178.
Ciconia (*Bernardus*) Perucam piratam capit. 119.
Ciconia (*Franciſcus*) Aetoliae & Achajae oppidis praeficitur. 152.
Cividale Carnicum: a Venetis recipitur. 344.
Civranus (*Andreas*) Epirotarum equitum praefectus: Mugianis obſeſſis opitulatur. 440. Cum Chriſtophoro Friapane congreſſus, illum vulnerat & fugat. 445.
Cliſſa: ſe Venetis dedit. 43.
Cocajus (*Ludovicus*) ejus opera Veneti Benaci lacus oppida recipiunt. 457.
Collaltus (*Jacobus*) ab exſilio revocatur. 271.
Colleonius (*Bartholomaeus*) ſtatua equeſtri a Senatu donatur. 41.
Columna (*Fabritius*) pugnans ad Ravennam capitur. 459. Ejus in Alphonſum Ferrarienſem gratus animus. 465.
Columna (*Marcus-Antonius*) agitur in Senatu de copiarum imperio illi deferendo. 419. Ravennam adverſus Gallos tuetur. 459. Ravennam dedit. 460.
Conciliabuli Piſani indictio. 417.
Concilium Lateranenſe ſub Julio II. 461. 470.
Concordia: a Paullo Capello expugnatur. 404. Ab hoſte recipitur. 412.
Condulmerius (*Antonius*) apud Ludovicum XII. orator. 253. A rege dimittitur. 262. *Sapiens continentiæ* & duumvir addicendis fiſco hoſtium reip. bonis. 340.
Conſalvus Fernandes: Crotonem capit. 91. Hiſpanam claſſem Venetae in Turcas adjungit. 175. Veneta civitate & comitiorum jure donatur. 179.
Contarenus (*Aloyſius*) 107.
Contarenus (*Ambroſius*) ab Erico pirata vivus comburitur. 202.
Contarenus (*Antonius*) Venetorum patriarcha. 410.
Contarenus (*Bernardus*) Graecorum equitum praefectus. 58. Ejus ſtrenuitas. 65. 69. Ejus audax conſilium. 72. Quod tamen a Senatu minus probatur. 73. Ejus elogium. 72. Munus honorificum a Senatu illi miſſum. 83. Ferdinando regi cum equitibus in auxilium mittitur. 84. Ejus res geſtae ad Ravennam. 85. Et in Neapolitano regno. 89. & *ſeqq.* Mors ejus & elogium. 94.
Contarenus (*Carolus*) ejus ſupplicium. 174. 175.
Contarenus (*Dominicus*) legatus Bergomo praeficitur. 453.
Contarenus (*Federicus*) Aſulae praeficitur. 275. Copiarum ſublegatus. 368. Gallorum turmam caedit. 374. 432. Caſtellum-Francum occupat. 434. Bergomo praeficitur. 453. Brixiam ſe confert. 455. Ibi fortiter pugnans cadit. *ibid.* Senatus in ejus sororem liberalitas. 457.
Contarenus (*Hieronymus*) claſſis legatus. 78. Viginti navibus praeficitur. 80. Claſſis proimperator. 169. In Turcas parum feliciter pugnat. 171. A Piſauro imp. ignominia notatur. 180. Iterum claſſi legatus datur. 246. Tergeſte recipit. 248. Ejus res geſtae in Iſtria & Liburnia. 250. & *ſeqq.*
Contarenus (*Hieronymus*) cognomento *Camalis*: claſſis praefectus. 328. Pharenſium tumultus componit. 372. Genuam fruſtra oppugnat. 381. Pontificiae Venetaeque claſſis praefectus. 585. Claſſis ejus tempeſtate disjicitur. 394.
Contarenus (*Ludovicus*) Premii praefectus. 283.
Contarenus (*Marcus-Antonius*) cognomento *Camalis*: Cymaclum, Vatrenum, Capprariam capit & incendit. 346. Claſſis Padanae praefectus. 383. Rhodigium recipit. 386. Claſſem amittit. 394.
Contarenus (N.) cognomento *Camalis*, triremium praefectus: naufragium facit. 254.
Contarenus (*Paullus*) ſtrenuum ejus conſilium. 197. Equitum Epirotarum praefectus, Belunum mittitur. 297.
Contarenus (*Zacharias*) ad Maximilianum orator. 252. Indutias reip. nomine cum Maximiliano facit. *ibid.* Cremonae praetor. 255. Gallorum captivus. 301.
Cornelia (*Catharina*) Cypri regina: 17. Reip. regnum largitur. 20. Venetias ſe confert. *ibid.* Ejus obitus. 375. Et funus 376.
Cornelius (*Franciſcus*) apud Hiſpaniarum regem orator. 264. Triremium notharum praefectus. 385.
Cornelius (*Georgius*) Catharinae ſorori perſuadet, ut regnum reip. cedat. 18. & *ſeqq.* *Conſiliarius*, monet Patres, ut prius inſpiciant, quam Sententiam ſit Hercules Auſtinus in Piſana cauſſa laturus, 14. Brixiae praetor, & ad Rothomagenſem Cardinalem legatus. 199. In Carnis legatus, rem ſtrenue gerit. 241. & *ſeqq.* Qua aetate lectus eſt procurator. 264. Calculo laborat. 276. Domum revocatur. 301.
Cornelius (*Joannes*) *Sapiens continentis*: duumvir creatur, addicendis fiſco hoſtium reip. bonis. 340. Ad Maximilianum orator. 347. 359.
Cornelius (*Marcus*) Catharinam filiam qua dote Cyprio regi collocaverit. 17.
Cornelius (*Marcus*) Cardinalis: patriae apud Julium pont. patrocinatur. 285. 294.
Cornelius (*Nicolaus*) Monopoli praeficitur. 79.
Corvinus (*Joannes*) Veneta civitate & comitiorum jure donatur. 120.
Covolum arx: ejus deſcriptio. 345. Venetis deditur. *ibid.* Occupatum a Germanis a Venetis recipitur. 403. A Germanis iterum occupatur. 435.
Crema: ſe Gallis dedit. 290. A Venetis recipitur. 467.
Cremona: ſe Venetis dedit. 148. Item ejus arx. 149. Gallis deditur. 301. Cardinali Seduno ſe dedit. 462.
Cribellus (*Benedictus*) Cremam Venetis dedit. 467. Veneta civitate, comitiorumque jure donatur. *ibid.*
Cribellus (*Blaſius*) ejus opera Joannes MediceS recipit libertatem. 464.
Criſpus (*Joannes*) ejus obitus. 41. Ejus filiis Naxos a Senatu redditur. 175.
Cymaclium: a Venetis capitur & diripitur. 346.

D

Dandulus (*Andreas*) Cremonenſis arcis praefectus: captivus Mediolanum abducitur. 301.
Dandulus (*Daniel*) Feltriae praeficitur. 241.
Dandulus (*Joannes-Antonius*) ad Cardonam proregem mittitur. 460.
Dandulus (*Marcus*) ad Hiſpaniae regem orator. 236.
Decanalis: *vide* Canalis.
Delphinus (*Aloyſius*) copiarum in Carnis legatus. 329. Raſpum in Istris capit. 336. Ejus res geſtae in Carnis. 370.
Delphinus (*Joannes*) Feltriae praetor: ejus res geſtae. 348. 403.
Detricus (*Zoilus*) ejus in rem liberalitas. 468.
Diedus (*Joannes*) legatus Parviſium mittitur. 375. Belunum fruſtra aggreditur. 386.
Diedus (*Petrus*) Cremae praetor. & copiarum legatus in bello Rhetico. 4. Copiarum ſublegatus. 6.
Donatus (*Franciſcus*) ad Florentinos legatus. 4[illegible].

Do-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Donatus (*Hieronymus*) ad Ludovicum XII. legatus. 200. Ad Julium II. orator. 233. 394. 358. Cretae praefectus. 254. Iliacis doloribus laborat. 441. Ejus obitus, & Senatus in ipsum gratus animus. 442.
Duellum: vide Singulare certamen.
Duodus (*Petrus*) copiarum legatus. 125. 286. Ejus in patriam pietas. 286. Tarvisinorum animos ad patriae defensionem confirmat. 297.
Duodus (*Thomas*) navis praefectus. 178.
Dyrrhachium: a Turcis occupatur. 187.

E

Emus (*Aloysius*) Patavii praefectus, primus *scrutinio* creatur. 457.
Emus (*Georgius*) Arimino praeficitur. 44. Copiarum legatus. 240. Legatus iterum creatus, legatione se abdicat. 285.
Ericius (*Antonius*) Georgio Cernoichio, Illyricorum principi, filiam despondet. 24. Ferrariae prodominus. *ibid.*
Ericius (*Marcus-Antonius*) Vipai praefectus. 250.

F

Falerius (*Franciscus*) legis pernicioſae auctor. 30. In exsilium pellitur. 31.
Falerius (*Franciscus*) Vicetiae praetor. 444.
Farnesius (*Ranutius*) ad Tarum pugnans cadit. 64.
Federicus, Caesar: ejus per reip. fines iter. 22. Ejus obitus. 53.
Federicus Aragonius: Alphonsi classis praefectus. 43. Classem suam cum Antonio Grimano, classis Venetae imp. conjungit. 77. Bernardo Contareno se conjungens, oppida multa in Neapolitano regno recipit. 90. Rex salutatur. 95. Cajetam recipit. *ibid.* Et Tarentum. 98. Regno pellitur. 199.
Feltria: Maximiliano se dedit. 299. Sponte redit in Venetorum fidem. 320. A Maximiliano diripitur & incenditur. 321. 417. Julii Caesaris de ipsa carmen. 321. Ejus arx a Venetis capitur. 385.
Ferdinandus I. Neapolis rex: Catharinae, Cypri reginae, nuptias cum Federico filio procurat. 17. Minatur Ludovico Sfortiae, ni Mediolanensem ducatum Jo. Galeacio restituat. 36. 37. Ejus obitus. 41.
Ferdinandus II. Neapolis rex: regnum ab Alphonso patre accipit. 48. Regno a Gallis pellitur. 65. & *seqq.* In regnum redit. 75. & *seqq.* Ejus obitus, & ante obitum crudelitas. 95.
Ferdinandus, Hispaniae rex: cum Carolo VIII. indutias facit. 115. Jubet suam classem Venetae adjungi adversus Turcas. 175. Ejus auspiciis Novus orbis detegitur. 190. & *seqq.* Ejus cum Lusitano rege dissidia ob Indicam navigationem. 193. Ejus ad Venetos legatio, ut foedus ineant secum adversus Gallos. 215. In Italiam trajicit. 235. 236. Ejus cum Ludovico XII. ad Savonem congressus. 237. Cameracensi foederi subscribit. 258. Ejus animus fraudulentus. 264. 265. 274. Julio II. tributi nomine equum album mittit. 377. Cum Julio II. & Venetis in Gallos foedus facit. 424. 439. Ejus ad Julium legatio. 420. 462.
Feretrius (*Antonius*) ad Tarum fortiter pugnat. 62. 63.
Feretrius (*Franciscus-Maria*) a Guido-Ubaldo, Urbinate, adoptatur. 229. Pontificii exercitus imp. 382. Alidosium cardinalem interficit. 415. Obtinet a Julio II. Pisauri principatum. 431. 471.
Figariolum: a Venetis capitur. 439.
Fliscus (*Objectus*) 43. Navem a Ferdinando Aragonio accipit. 50. Ad Carolum VIII. transit. 55.
Fluviorum in Gallia cisalpina ingens exundatio. 38.
Foederum leges: cujus linguae verbis conscriptae, a Turcis ratae habentur. 138.
Foedus: inter Alexandrum VI. Venetos, Mediolanensium & Ferrariensium duces. 32. Inter Carolum VIII. & Hispaniae reges. 40. Multorum principum in Carolum VIII. 52. & *seqq.* Inter Venetos & Ferdinandum, Neapolis regem. 85. Inter Pontificem, Venetos, & Mediolanensium ducem in Florentinos. 87. Inter Ludovicum XII. & Venetos in Ludovicum Sfortiam. 140. Venetorum cum Uladislao in Turcas. 182. Inter Maximilianum & Ludovicum XII. 230. Cameracense. 258. 259. Helvetiorum cum Venetis. 266. Julii II. Venetorumque cum Helvetiis. 372. Inter Julium, Hispaniae Britanniaeque reges, & Venetos. 425. 438. 461. Venetorum cum *Soldano* Aegyptio. 468. Julii II. cum Maximiliano. 469.
Fojus (*Gasto*) *Monfogueur de Foix*: Bononiam obsidione liberat. 453. Venetos ad Villamfrancam fundit. 454. Brixiam recipit. 455. Hispanos & pontificios ad Ravennam profligat. 459. Victor cadit. *ibid.*
Foscarus (*Franciscus*) Dux: qua aetate creatus procurator. 264.
Foscarus (*Franciscus*) ad Maximilianum orator. 103. Patavii praetor, & ad Julium II. orator. 441.
Foscolus (*Andreas*) ad Ferrariae duces orator. 210. Apud Turcarum regem orator. 303.
Fracastorius (*Hieronymus*) 98.
S. Francisci turris de caelo tacta. 23.
Francus (*Georgius*) scriba Senatus: ad Tarentinos mittitur. 96.

Fran-

Francus (*Nicolaus*) Tarvisinus episcopus: Pontificis ad Venetos legatus. 15.
Fregosius (*Alexander*) Venetorum stipendia facit. 464.
Fregosius (*Janes*) Venetorum stipendia facit. 355. Genuam proficiscitur. 376. 377. Castellum-francum vi recipit. 434. Genuensium Dux creatur. 464.
Fregosius (*Octavianus*) 216. Francisci-Mariae Urbinatis consobrinus. 376.
Fregosius (*Petrus*) Cardinalis 55.
Fresicus (*Zacharias*) Decemvirum scriba: Byzantium missus, ut pacem firmet cum Bajazete, reip. nomine. 214. Pacem firmat. 217.
Fuscarenus (*Nicolaus*) copiarum legatus. 110. Francisco Gonzagae legatus datur. 130. Cremonae praefectus. 148. Iterum copiarum legatus, Faventiam oppugnat. 223. Faventiam recipit. 224. *Consiliarius*, & ad Julium II. orator. 233.

G

Gabrielius (*Angelus*) orationem habet in funere Cardinalis Zeni. 186.
Gallica lues. 98.
Gambara (*Jo. Franciscus*) cur nomini Veneto infensus. 387. Ejus obitus. 440. Ejus uxor Alda. 451.
Garzonius (*Marinus*) procurator. 199.
Georgius (*Alexander*) a Triultio custodia dimittitur. 359.
Georgius (*Aloysius*) navi una cum Turcicis pluribus fortiter pugnat. 118.
Georgius (*Hieronymus*) ad Ludovicum regem orator. 139.
Georgius (*Hieronymus*) biremem de suo instruit. 373.
Georgius (*Joannes*) ejus scelera & supplicium. 39.
Georgius (*Marcus*) ad Ludovicum XII. orator. 144.
Georgius (*Marinus*) Bergomatibus datur legatus. 269. A captivitate liberatur, & ejus laudes. 409. Legatus ad Cardonam, Neapolis proregem. 453.
Georgius (*Nicolaus*) rationibus publicis praeficitur. 125.
Germanorum liberae civitates Maximilianum ad pacem cum Venetis hortantur. 347.
Germanorum domus in Rivoalto incendium. 232. Et restitutio. 369.
Ghisius (*Petrus*) Clusae praetor: cum arce ab hoste capitur. 242.
Giemes (*Sultanus*) Romam mittitur. 32. Ejus obitus. 50.
Glacies mira in Venetis aestuariis. 25.
Gonzaga (*Franciscus*) Venetorum stipendia facit. 22. Augetur illi stipendium. 57. Principum foederatorum imp. 58. 68. Imperium illi abrogatur. 116. Copiarum Ludovici Sfortiae imp. 123. Ejus levitas. 130. Asulam frustra adoritur. 275. Venetorum captivus. 321. A Venetis legitur copiarum imp. 366. 392. E custodia educitur. 377. Augetur illi a Senatu stipendium, & pontificii etiam exercitus imp. creatur. 396.
Gonzaga (*Rodulphus*) Venetorum stipendia facit. 57. Ad Tarum pugnat. 62. 63. In acie cadit. 63.
Goritia: se Venetis dedit. 247.
Gradisca: Germanis se dedit. 435. Frustra a Venetis oppugnatur. 447.
Gradonicus (*Aloysius*) *Advocator communis*. 299. Utini praetor. 435.
Gradonicus (*Joannes*) copiarum ductor: pugnans cadit. 125. 126.
Gradonicus (*Jo. Paullus*) quaestor exercitus, Graecorumque equitum praefectus. 128. 129. Ejus res gestae in Valle stagni 137. 138. Copiarum legatus, ad Cividale Carnicum vulneratur. 320. Portum-Naonem recipit. 321. Patavio tuendo praeficitur. 327. Legatus, Alphonsi copias profligat. 357. 358. Tarvisio legatus praeficitur. 423. Tarvisium munit. 427. Cypri *Locumtenens* renunciatur. 442. Transit in Carnos. 443. Cremonse recipit. 445. Gradiscam frustra oppugnat. 447. Venetias redit. 450.
Gradonicus (*Petrus*) Monsilicis praetor: cum oppido capitur. 324. 325. A captivitate eximitur. 356.
Grimanus (*Antonius*) classis praefectus eligitur. 43. Scardona & Clissa illi se dedunt. *ibid.* Ejus in Neapolitano regno res gestae. 77. & *seqq.* Aeger Corcyram redit. 80. Ad Maximilianum orator. 103. Iterum praefectus classis in Turcas. 151. Ejus in patriam liberalitas. *ibid.* In Turcas parum feliciter pugnat. 155. 158. Imperium illi abrogatur. 159. Cephallenem frustra aggreditur. 162. Rei male gestae damnatur. 173. Ab exsilio revocatur. 299. *Sapiens consilii* legitur. 300. Procuratoria illi dignitas restituitur. 404.
Grimanus (*Dominicus*) ad Federicum imp. orator. 22. Cardinalis, ejusque in patrem pietas. 162. Patriae apud Julium II. patrocinatur. 285. Senatum monet, ut nova ad Julium II. legatio mittatur. 304. Ejus precibus Antonius pater ab exsilio revocatur. 299.
Grimanus (*Joannes*) a Triultio liberatus restituitur. 302.
Gritti (*Andreas*) Byzantii mercaturam exercet. 138. Ejus ad Zancanium admonitio. 139. Quibus de caussis Byzantii sit in vincula conjectus. 153. Liber Venetias redit. 210. Ab Admete *Bassa* literas ad Senatum de-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

defert . 211. Ad Bajazetem orator . 218. Venetias cum pacis conditionibus redit . 224. Ad Julium II. orator . 233. Copiarum legatus in Rhetis . 241. Rem ſtrenue gerit . *ibid.* Triultium per reip. fines comitatur . 253. Procurator . 266. Patavium recipit . 313. Facinum ſervat . 315. Patavium adverſus Maximilianum propugnat . 326. *& ſeqq.* Veronenſem oppugnationem improbat . 341. Copiarum ſummum imperium reſpuit . 366. 367. Vicetiam Vicetinique agri municipia recipit . 386. De eo copiarum imperatore eligendo iterum in Senatu agitur. 420. Aeger ad urbem ſe confert . 433. Legatus iterum creatur . 439. Brixiam ire jubetur . 449. Fruſtra Brixiam tentat occupare . 450. Brixiam occupat . 451. Brixiam ſtrenue tuetur . 454. 455. Ab hoſte capitur . 455.

Grittus (*Dominicus*) Goritienſi arci praeficitur . 250.

Guidotius (*Vincentius*) Senatus ſcriba : ad Pannonem legatus : 319. Item ad Cardinalem Papienſem . 385. Item ad Cardinalem Strigonienſem . 446.

Guidus-Ubaldus , Urbini dux : in exercitu Alphonſi Aragonii . 44. Venetorum ſtipendia facit . 57. Ferdinando Aragonio opitulatum mittitur . 92. Borgiae fraude Urbino pellitur . 211. Urbinum recipit . 214. Iterumque illud amittit . 216. Atque iterum illud recipit . 219. In reip. fidem recipitur , ejuſque ſtipendia facit . *ibid.* Caſtella plura in agris Ariminenſe & Caeſenate occupata , reip. tradit . 221. Dat operam , ut Ariminum reip. dedatur . *ibid.* Franciſcum-Mariam ſucceſſorem ſibi adoptat . 229.

H

Helvetii : foedus cum Venetis percutiunt . 266. Item cum Julio II. & Venetis . 372.

Henricus , rex Britanniae : foederatos principes ad pacem cum Venetis hortatur . 347. Ejus dictum urbi Venetae perhonorificum . *ibid.* Foedus cum Julio II. Ferdinando , & Venetis in Gallos init . 425. 438.

Hercules , Ferrariae dux : ejus obitus . 232.

Hiſpanorum militum aſtus , ut agnoſcerent , qui Veronenſium eſſent animo in remp. amico . 356.

Horologium in Marciano foro poſitum . 85.

I

Incendium : Germanorum domus . 232. Navalis Veneti . 263.

Indutiae : Federici imp. cum Matthia Pannone . 22. Venetorum cum Maximiliano . 438. 468.

Innocentii VIII. obitus . 32.

Iſabellae , Hiſpaniarum reginae obitus . 232.

Julius II. Pontifex creatur . 220. Flaminiam a Venetis repetit . 222. 224. 226. 230. 233. 261. Ejus in Venetos interdictum . 273. Flaminiam a Venetis recipit . 291. Ad ſacra Venetos oratores admittit . 318. Interdictum in Venetos abrogat . 358. Ejus cum Venetis & Helvetiis foedus . 372. Alphonſo bellum infert . 380. 383. Ejus interdictum in Galliae regem . 401. Ad exercitum ſe confert , & Mirandulam oppugnat . 405. Mirandula potitur . 406. Ravennam ſe confert . 408. Ejus in Bononienſes interdictum . 416. Iis , qui Piſanum concilium coegerant , cardinalatum abrogat . 444. Concilium Lateranenſe celebrat . 461. Bononiam recipit . 463. Studet mutare Florentinae reip. ſtatum . 466. Foedus cum Maximiliano percutit . 469. Venetis iterum ſacris interdicit . 470. Piſauri principatum Franciſco-Mariae nepoti tradit . 431. 471. Moritur . *ibid.*

Juſtinianus (*Antonius*) Romae orator : Reip. opem Cardinalibus pollicetur , ad novum Pont. eligendum. 219. Julio pontificatum gratulatur . 222. Venetias redit . 233. Ad Maximilianum orator . 285. 421. Revocatur . 291. 427. 428. *Sapiens continentis* . 441. Legatus Brixiae praeficitur . 452. Fit captivus . 455. A captivitate rediens , legitur *Sapiens continentis* . 468.

Juſtinianus (*Benedictus*) ad Ludovicum regem orator . 148.

Juſtinianus (*Marinus*) *advocator communis* . 299.

Juſtinianus (*Sebaſtianus*) Brixiae praetor : propter integritatem ſuam a captivitate eximitur . 290. Delmatis primum , deinde Iſtris legatus datur . 431.

L

Landus (*Petrus*) Faventiae praefectus . 257. In Flaminia legatus . 266. Pontificios fines invadit . 269. Curcenſi epiſcopo legatus mittitur . 463.

Laſcaris (*Joannes*) Galliae regis ad remp. orator , ut haec novum foedus cum rege percutiat . 218. Orator iterum ad remp. ſignificat foedus a ſuo rege cum Caeſare ictum . 230. Redit in Galliam . 262.

Lauretanus (*Aloyſius*) Monopolis praefectus , rogatur a Tarentinis , ut in reip. fidem eos recipiat . 96. Navium octo praefectus , Megaram capit & diruit . 186. 187. Multas in Aegeo infert Turcis clades . 187.

Lauretanus (*Andreas*) cum duabus navibus , Petrum Cantabrum piratam fundit , naveſque illius incendit , 119. 120. Corcyrae praefectus . 152. Ad Antonium Grimanum imp. ſe confert . 155. In Turcas fortiter pugnans cadit . 156.

Lauretanus (*Antonius*) ad Carolum VIII. orator . 47. Ad Ludovicum XII. orator . 139.

Lauretanus (*Antonius*) Andreae frater , rei ſalariae quattuorvir . 162.

Lauretanus (*Laurentius*) ejus in Senatu ſententia immitior . 305.

LAURETANUS (*Leonardus*) Dux creatur . 199. Legem fert , ut magiſtratus omnes mediam ſtipendiorum partem reip. remittant . 202. Ejus concio pro eadem lege . 204. Ejuſdem concio , qua a Patavina expeditione Patres deterret . 307. Duos mittit filios ad Patavium propugnandum . 327. Ejus in comitiis concio hortatoria ad caritatem in patriam . 428. Decem auri libras reip. mutuas dat . 426. 453.

Lauretanus (*Marcus*) Cremonenſis arcis praefectus : cum arce a Gallis capitur . 301.

Lauretanus (*Matthaeus*) filiam Naxio principi deſpondet . 175.

Lauretanus (*Zacharias*) claſſis in Benaco praefectus . 269. Incendit claſſem , hoſtique ſe ſubripit . 292.

Lauretum : eo incenſo , cives Clodiam transferuntur . 359.

Legius (*Donatus*) Cividali Carnico praeficitur . 242.

Lemniacum : ſe Venetis dedit . 318. Eximitur a Veronenſium ditione . *ibid.* A Venetis praeſidio munitur . 336. A Gallis expugnatur . 371. Ab iiſdem Maximiliano traditur . 464.

Leo X. pont. max. creatur . 471.

Leo (*Franciſcus*) primus Cephallenae inſulae *proviſor* . 178.

Leo (*Hieronymus*) ad Federicum imp. orator . 22. Item ad Ludovicum Sforiam . 89.

Leonorae , Ferrariae ducis , Venetias adventus . 33.

Leucadia : a Venetis oppugnatur . 212. Et expugnatur . 213. Turcis reſtituitur . 217.

Lex : ſumptuaria . 15. In aleatores . *ibid.* De tollendis tabernarum pluteis in vias nimis prominentibus . 16. De navibus onerariis , & mercibus per eas ad urbem devehendis . 21. De ſuffragiis . 21. 29. De quadraginta virali novo conſilio . 28. In fures domeſticos . 25. De alendis publica pecunia civibus pauperioribus . 30. *& ſeqq.* De poſſeſſoribus bonae fidei 89. De juvandis pecunia publica quibuſdam civibus , quorum aedes conflagraverant , vel quorum naves naufragium fecerant . 107. De augendis rerum vectigalibus . 152. Uti magiſtratus omnes mediam unius anni ſtipendiorum partem reip. remittant . *ibid.* Lex eadem prorogatur in alium annum . 202. *& ſeqq.* Uti a magiſtratibus ſex menſium ſtipendia reip. remittantur . 268. Atque in ſex alios menſes prorogatur . 367. De civibus e plebe qui publicis muneribus funguntur . 359. De vectigalibus ſolvendis ab iis qui fundos & agros in continente poſſident . 182. In eos qui ſacerdotia pretio obtinent . 217. Ne civibus liceat , principum extraneorum opera quidpiam a rep. impetrare . 236. De militum delectu ex agricolis . 238. De ambitu . 255. 397. De pecunia mutuo reip. a civibus eroganda . 360. In eos qui tributa negligentius exſolverent . 272. 299. 424. 434. 436. Frumentaria . 289. 423. 443. Ne cui liceat aedificare , vel ſerere arbores ad mille & quingentos paſſus quoquoverſum a moenibus Patavinis . 334. De conferendo a civibus in publicum auro argentoque caelato . 365. De iis legendis , qui ſint in Principis *collegio* . 389. De augendo equitibus ſtipendio . 426. De Patavinorum praefectorum creandorum ratione . 457.

Lex de Sacerdotum propinquis a Senatu amovendis antiquatur . 361.

Limen : ejus deſcriptio . 323. A Maximiliano ejus arx occupatur . 324.

Lipomanus (*Marcus*) apud Ludovicum Sforiam orator . 121.

Longena (*Petrus*) in Venetorum partes cum equitum turma tranſit . 402. Ad Bergomatium praeſidium mittitur . 453.

Lucemburgius (*Ludovicus*) Veneta civitate & comitiorum jure donatur . 148.

Ludovicus , Genabenſium princeps : Novariam occupat . 57. Novariae a foederatorum copiis obſidetur . 69. Novariam dedit . 70.

Ludovicus : Galliae rex , XII. nomine ſalutatur . 122. Foedus cum Venetis percutit . 140. Bellum in Sforiam decernit . 144. Ejus copiae Mediolanenſem ducatum invadunt . 145. Ipſe Mediolanum ingreditur . 148. Coram principum multorum legatis pronunciat , Federico Neapolitano inferre ſe bellum velle . 149. Genua potitur . *ibid.* Eandem iterum recipit . 237. Queritur cum Veneto legato de indutiis a rep. cum Maximiliano factis . 253. Maximilianum [illegible] remp. inſtigat . 257. Ejus cum Ferdinando Hiſpaniae rege congreſſus ad Savonam . 237. Federi Cameracenſi totius prope Europae principes cogit ſubſcribere . 258. Ejus cum Veneto legato ſimultatio . 259. Oratorem Venetum a ſe dimittit ſuumque Venetis revocat . 262. Venetis bellum indicit . 267. Ejus copiae . 275. Conſpecto Veneto exercitu , varia ejus conſilia . 276. 277. Abduam trajicit . 277. Venetos ad Abduam profligat . 282. Caravagium capit . 287. Brixiam potitur . 290. Piſcheriam expugnat . 292. Cremonam ſe confert . 301. Mediolanum redit . 302. Minis & maledictis a Julio II. [illegible] abſter-

BIBLIOTEKA RUBINKE "MARIN BARLETI" SHKODER (C) 2018

absterretur, ne Alphonso auxilietur. 384. Pisanum concilium fovet. 417.

M

Malatesta (*Carolus* & *Pandulphus*) Ariminum reip. tradunt, ipsi civitate Veneta comitiorumque jure, praeter alia multa, donantur. 223. (*Carolus*) ad Cadorem pugnans cadit. 244. (*Pandulphus*) ad Maximilianum deficit. 297. 298. Citadellam occupat. 424.
Malvetius (*Lucius*) Sfortiae legatus in foederatorum castris, negligit suis opem ferre. 99. Pontem facci Florentinis eripit. *ibid.* Venetorum stipendia facit. 238. Franciscum Gonzagam capit. 321. Pitilianus moriens exercitum ipsi, fidemque in remp. commendat. 355. Venetarum copiarum imperator declaratur. 381. Ejus mira in gerendis rebus tarditas. 393. 419. Imperio se abdicat. 420. Pristinae dignitati restitutus, moritur. 425.
Manentius (*Aloysius*) Xvirum scriba: ad Bajazetem legatus mittitur. 166. Ejus in urbem reditio. 167. Ad Caesarem Borgiam legatus. 182.
Manfredus (*Galeotus*) ejus caedes. 16.
Manfredus (*Hestor*) a Senatu in fidem recipitur. 84. Sui suorumque juris jubetur esse. 107. 108. In pristinum gratiae locum a Senatu restituitur. 128. Caesari Borgiae se dedit, & necatur. 185.
Manfronius (*Paullus*) equitum ducentorum praefectus. 58.
Marcellus (*Aloysius*) trium navium onerariarum praefectus. 139. Illo conspecto abeunt hostes. 154. Turcicam navim captam direptamque incendit. 156. 157.
Marcellus (*Hieronymus*) copiarum legatus in bello Rhetico. 4. Suadet, ut in Germaniae fines bellum transferatur. 10. Ad Bajazetem orator, quare jubeatur Byzantio discedere. 27.
Marcellus (*Marcus*) Monsilicensium praetor. 369.
Marcellus (*Petrus*) copiarum in bello Pisano legatus, 126. Iterum legatus in bello adversus Ludovicum Sfortiam. 164. In Carnos jubetur proficisci. 167. Cretensium praetor. 254. Copiarum legatus, Vicetia potitur. 337. & *seqq.* Veronensem oppugnationem improbat. 241. Legatio illi abrogatur. 368
Marcellus (*Valerius*) Rhodigii praetor. 444.
Marciana turris de caelo tacta. 23.
Marcus, Sedunorum episcopus, cardinalis: ejus Venetias adventus. 421. Romam petit. *ibid.* Inde Venetias redit. 458. Illi abeunti dona a Senatu data. 461. Helvetiorum ductor, Cremonam occupat. 461. Tum Mediolanensem ducatum fere totum. 463. Ejus in Venetos malus animus, & ingratus. 462. 463. 464.
Mariae miraculorum aedes & coenobium. 23.
Maripetrus (*Aloysius*) ad Julium orator. 294.
Maripetrus (*Augustinus*) sinus Hadriaci praefectus. 152.
Maripetrus (*Dominicus*) classis praefectus. 105. Florentinorum navim capit. 106. Copiarum legatus, Ariminum recipit. 223.
Maripetrus (*Joannes*) triremis praefectus, illato Metonensibus obsessis praesidio, ibi pugnans cadit. 171. 172. In ejus fratres reip. liberalitas. 180.
Maripetrus (*Sebastianus*) Cremonae quaestor, Gallorum captivus. 301.
Martinengii (*Victor*, & *Joannes-Maria*) Veneta civitate, & comitiorum jure donati. 148. 149.
Maurocenus (*Dominicus*) cognomento *Sapiens*, Procurator: Patribus dissuadet, ne bellum in Germaniae fines Maximiliano inferant. 245. Ejus obitus. 264.
Maurocenus (*Federicus*) Feltriae praetor. 297.
Maurocenus (*Hieronymus*) navis bellicae praefectus: ejus obitus. 184.
Maurocenus (*Justinianus*) D. equitum Graecorum praefectus: Pisas mittitur. 100. Gradiscas legatus mittitur. 241. 242. Goritiae praeficitur. 250. Epirotarum equitum in bello Cameracensi praefectus. 264. A Gallis cum filio capitur. 267. Libertati restituitur. 356.
Maurocenus (*Marcus-Antonius*) ad Maximilianum imp. orator. 104. Ejus virium specimen. *ibid.* In bello Mediolanensi copiarum legatus. 145. Procurator; moritur. 266.
Maurocenus (*Marinus*) *Advocator communis*. 315.
Maurocenus (*Petrus*) *Sapiens Ordinum*: imperii insignia ad Malvetium defert. 381.
Maurus (*Christophorus*) Faventiae praeficitur. 163. Copiarum legatus. 164. *Sapiens continentis*, copiarum legatus in Flaminiam mittitur. 219. Post cladem ad Abduam, legatus copiarum legitur. 286. Verba caritatem ipsius in patriam testantia. *ibid.* Patavium adversus Maximilianum tuetur. 327. & *seqq.* Legatus iterum Patavio praeficitur. 413.
Maurus (*Damianus*) in ejus mortui filias Senatus liberalitas. 28.
Maurus (*Daniel*) Atestinorum praetor, a Germanis capitur. 325.
Maurus (*Gabriel*) *Sapiens ordinum*, ad Consalvum cum muneribus mittitur. 179. Ad Ferrariae duces orator. 210.
Maurus (*Joannes*) classis Padanae praefectus. 395. Paullo Capello legato se conjungit. 398. Iterum Padum ingredi jubetur. 407.
Maurus (*Sebastianus*) Padanae classis praefectus. 269. In tutum, jussu Patrum, se recipit. 292.
Maximilianus imp. Remp. per legatos in Carolum VIII. instigat. 53. Cur Carolo inimicus. *ibid.* Foederatorum copiis in bello Pisano cum imperio praeficitur. 103. Pisanis auxiliatur. 104. & *seqq.* In Germaniam redit. 107. Cum Venetis bellum gerit. 240. & *seqq.* Indutias facit. 252. Agit, per legatum, de pace quoque facienda. 255. A Ludovico in Venetos instigatur. 257. Cameracensi foederi subscribit. 259. Bellum reip. infert. 286. Recipit a Venetis oppida bello superiore amissa. 293. Dedunt se illi Verona, Vicetia, Patavium. 294. Item Bassianum, Scala, & Feltria. 297. Respuit cum Ludovico rege congressum. 301. Recipit Castellum-novum in Querio, Feltriam, & Castellum-francum. 303. Castellum-novum & Feltriam recuperat. 321. Ad Patavinam oppugnationem se comparat. 323. Ateste & Monsilic capit. 324. Patavium obsidet. 325. & *seqq.* Patavinam obsidionem solvit. 334. Tridentum se confert. 336. Cum Julio foedus ferit. 469.
Medicei: patria pelluntur. 46. Restituuntur ab exsilio. 467. Civitate Veneta, & comitiorum jure donantur. 469.
Medices (*Joannes*) cardinalis: Florentia Ejicitur. 46. Legatus pontificius in foederatorum castris. 439. In pugna Ravennate Gallorum captivus. 459. Mediolani detinetur in custodia. 462 Aufugit e custodia. 464. Revocatur ab exsilio. 467. Legatus pontificius Bononiam se confert. 470. Pontifex max. creatus, Leonem X. se dicit. 471.
Medices (*Julianus*) Florentiae regimini praeficitur. 470.
Medices (*Laurentinus*) ejus cum Petro Medice simultates. 45.
Medices (*Laurentinus*) ejus obitus. 32.
Medices (*Petrus*) Ad Carolum VIII. pro Florentinis orator. 46. Florentia cum fratribus ejicitur. *ibid.*
Mediolanum: Ludovico regi se dedit. 146. 147. A Sfortia recipitur. 164. 165. In Helvetiorum potestatem venit. 463. Maximilianum Sfortiam recipit. 471.
Melzius (*Continus*) Suavii capitur a Venetis. 437. Ejus obitus. 438.
Memmius (*Franciscus*) a captivitate liberatur. 356.
Memmius (*Paullus*) Trevii praetor, cum oppido a Gallis capitur. 267.
Methone: a Turcis oppugnatur. 169. Et expugnatur. 172.
Michaelius (*Aloysius*) Methone, illato strenue auxilio, pugnans cadit. 171. 172. In ejus liberos Senatus liberalitas. 180.
Michaelius (*Federicus*) Scalae praefectus. 297.
Michaelius (*Joannes*) cardinalis: ejus obitus. 217.
Michaelius (*Ludovicus*) Caravagii arcis praefectus: fortiter illam a Gallis tuetur. 287. Cum arce ab hoste capitur. *ibid.* In ejus liberos Veneti Senatus liberalitas. 402.
Michaelius (*Nicolaus*) ad Ludovicum XII. orator. 139. 148. *Advocator communis* Antonium Grimanum in majoribus comitiis accusat. 163. Procurator creatur. *ibid.*
Minius (*Joannes-Antonius*) ejus concio seditiosa. 202. & *seqq.* A Decemviris exsilio damnatur. 209.
Minotus (*Bernardinus*) 88.
Mirandula: Julio II. se dedit. 406. Traditur Jo. Francisco Pico. *ibid.*
Mocenicus (*Aloysius*) *Sapiens continentis*, ad Maximilianum orator. 305. Legatus Tarvisio praeficitur. 329. Legatus in alpibus, ad Maximilianum orator. 347. Re[i] infecta redit. 349. Legatus Beluno potitur, & vitatem a direptione servat. 386.
Mocenicus (*Leonardus*) ad Julium orator. 232. 294. Ad Helvetios legatus. 461.
Molinus (*Aloysius*) *Sapiens continentis*, de Patavina expeditione ad Senatum refert. 307. Ejus oratio. 308.
Molinus (*Petrus*) 107.
Monsilice: a Maximiliano capitur. 324. Stragemmate a Venetis recipitur. 343. Iterum capitur a Gallis. 379. Et incenditur. 380.
Montonius (*Bernardinus*) ad Tarum fortiter pugnat 64. Augetur illi a Senatu cum equitum numero & stipendium 68.
Mugia: strenue adversus Germanos propugnatur. 439.
Mula: *vide* Amulius.
Mustius (Bartholomaeus) cum [illegible] armatis hominibus, sua impensa, ad [illegible] navium tuendum proficiscitur. 424. Senator creatus, a Lauretano princ[illegible] in comitiis laudatur. 428. Tarvisi[illegible] muniendo praeficitur. 457.

N

Naldius (*Dionysius*) ejus obitus. 179.
Naldius (*Vincentius*) Veneto[illegible] stipendia facit. 223. Accipit a Senatu milites, qui fratris fuerant. 279. Faventiam praesidio munit. 460.
Nanus (*Paullus*) quaestor exercitus. 265.
Navalis urbani incendium. 263.
Navigatio in Arabiam & Indias per oceanum. 189. 196.

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Naupactus: a Turcis occupatur. 159.
Nauplia: fruſtra a Turcis oppugnatur. 173.
Naugerius (*Andreas*) moriens ſua ſcripta comburi jubet. 1. Orationem habet in funere Catharinae Cypri reginae. 376.
Naugerius (*Michael*) triumvir proventibus reip. procurandis declaratur. 381.
Naugerius (*Sebaſtianus*) praetor Monſilicis, in oppidi direptione interficitur. 380.
Norimbergenſes: a Venetis leges petunt ad inſtituendam ſuam remp. 234.
Novaria: a Ludovico, Genabenſium principe, occupatur. 69. Redditur Sfortiae, 70. A Sfortia fruſtra oppugnatur. 165.

O

Ordelafius (*Antonius*) a Senatu mittitur in Catharinam Fori-livii & Fori-cornelii dominam. 124.
Orius (*Laurentius*) *Sapiens ordinum*, imperii inſignia ad Malvetium defert. 381.
Orius (*Petrus*) legatus in Carnos mittitur. 167. Navium praefectus, Cephallenae moenia ſcandit primus. 178. Strenue Turcarum naves in Loo flumine aggreditur. 183. Ab hoſte capitur. 184.
Oſopium, Saornianorum caſtellum. 436.

P

Paris, Auximi epiſcopus: ad Venetos & Sigiſmundum legatus pontificius. 14.
Paſchalicus (*Coſmas*) claſſis legatus. 17.
Paſchalicus (*Franciſcus*) equitum Epirotarum praefectus, Raſpum capit. 336.
Paſchalicus (*Nicolaus*) praeficitur iis, qui urbis praeſidio erant. 314.
Paſchalicus (*Petrus*) Pariſiis dat operam ſtudiis. 69. Ad Pannonem orator. 328. Ad Genuenſes orator. 469.
Paſchalicus (*Vincentius*) Navis praefectus a Turcis capitur. 184.
Patavinorum praefectorum electio. 457.
Patavium: ejus civitatis in remp. fides. 287. Maximiliano ſe dedit. 294. A Venetis recipitur. 313. A Maximiliano obſidetur. 323. *& ſeqq.* Solvitur ejus obſidio. 333. Iterum a Venetis munitur. 367. 423.
Pax inter Venetos & Sigiſmundum Auſtriacum. 15. Inter Carolum VIII. & foederatos principes. 70. Inter Venetos & Bajazetem. 217. Inter Julium & Venetos. 350.
Peregrinus (*Benedictus*) Veronam Venetis tradere molitur. 361. Senatus in ipſum liberalitas. *ibid.*
Peſtis Venetiis ſaeviens. 24.
Philippi I. Hiſpaniae regis obitus. 236.
Pilae ignivomae in Rovereti oppugnatione a Germanis adhibitae. 4.
Piſani: ultro ſe Venetis dedunt. 80. 87.
Piſanum bellum. 88. *& ſeqq.* Piſani Florentinis ſubjiciuntur. 145.
Piſanus (*Georgius*) ad Ferdinandum, Hiſpaniae regem orator. 236. Ad Julium orator, ejuſque morioſum ingenium. 261. Ejus reſponſum Julio petenti, ut reſp. faciat aliquem e ſuis civibus Faventiae & Arimini principem, Pontificis romani ſtipendiarium. 262. Ejus in patriam reditus. 302.
Piſanus (*Hieronymus*) claſſis legatus, Pylon munit. 177.
Piſanus (*Lucas*) legatus in bello Rhetico. 8. Tridentinam aggreſſionem diſſuadet. 9. Conſiliarius, legem fert de quadragintaviri tertio conſilio inſtituendo. 28. In bello adverſus Carolum VIII. legatus copiarum. 58.
Piſanus (*Paullus*) ad Julium orator. 233. Patavii praetor, ad Ludovicum XII. orator. 237. Agit cum Raublerio de pace inter Maximilianum & Remp. 255. Iterum ad Julium orator. 294. Ejus obitus. 357.
Piſaurus (*Alexander*) Puliniano praeficitur. 79.
Piſaurus (*Benedictus*) claſſis imp. 171. Ejus in Graeciam adventus. 173. Et in Aegeo res geſtae. 174. *& ſeqq.* Cephallenem ſubjicit. 176. *& ſeqq.* Alia ejus praeclare geſta. 179. 184. 186. *& ſeqq.* Procurator deſignatur. 199. Leucadiam expugnat. 212. 213. Ejus obitus. 218.
Piſaurus (*Jacobus*) Paphi epiſcopus, pontificiae claſſis legatus. 185. Se cum Piſauro imp. conjungit. 211.
Piſaurus (*Nicolaus*) claſſis legatus, Turciam navem opprimit. 138. Cremae praefectus, moritur. 467.
Piſaurus (*Petrus*) a Senatu ad Britanniae regem cum muneribus mittitur. 411.
Piſcheria: a Gallis capitur. 292. A Venetis recipitur. 462.
Pitilianus: vide Urſinus (*Nicolaus*)
Pius III. ejus pontificatus breviſſimus. 220.
Pius (*Albertus*) Maximiliani apud Julium orator. 452.
Pizamanus (*Aloyſius*) primus ad Tremezeni regis oppida magiſtratus mittitur. 21.
Polanus (*Jacobus*) Senator legitur. 162.
Polanus (*Joannes-Franciſcus*) longarum navium praefectus. 368. In Genuae aggreſſione fortiter pugnans cadit. 381.
Polanus (*Vincentius*) triremis praefectus, Turcica claſſe circumſcriptus, diu fortiter una ſua triremi dimicans, incolumis tandem evadit ad ſuos. 156.
Pompejus (*Hieronymus*) ejus in remp. fides, & reip. in ipſum liberalitas. 322.
Pontes, qui Venetiis antea ex ligno, coepti ſunt eſſe ex lateribus & marmore. 16.
Portunaonenſes ſe Venetis dedunt. 321.
Portus (*Aloyſius*) equitum numerus illi augetur. 339. Strenue in Germanos pugnat. 403. 404. Strenue pugnans mirum accipit vulnus. 418.
Portus (*Leonardus*) ejus laudes, & in remp. caritas. 261.
Poſterla (*Hieronymus*) Venetorum captivus. 427.
Pratus (*Leonardus*) Apulus: ejus in remp. liberalitas. 269. 270. Viciſſim reip. in ipſum liberalitas. 355. In Gallos fortiter pugnans cadit. 410. In ejus fratris filium Senatus liberalitas. 416.
Pratus (*Marianus*) quingentorum militum tribunus. 416.
Priolus (*Franciſcus*) claſſis praefectus. 16.
Priolus (*Laurentius*) *Sapiens ordinum* ante juſtam aetatem lectus. 439.
Priolus (*Matthaeus*) cenſet in Senatu, multa hoſti poſt Abduanam cladem, cedenda, ut reliqua ſerventur. 296.
Priolus (*Nicolaus*) Rovereti praetor: oppido amiſſo, in arcem ſe recipit. 5. Arcem hoſtibus dedit. 6. Cremonenſis arcis praefectus. 165.
Procuratores aedis Marciae: ex ſenioribus tantum olim legebantur. 264.
Pugna: ad Tarum. 62. *& ſeqq.* Ad Abduam. 280. *& ſeqq.*
Purliliarum comes (*Tibertus*) ad Cividale fortiter pugnans cadit. 320.
Pylos: Turcis ſe dedit. 172. A Venetis recipitur. 175.

Q

Quadragintavirale tertium conſilium, quando primo creatum. 28.
Quirinus (*Angelus*) Corcyrenſis arcis praefectus. 168. Strenue tuetur unam ex Patavinis portis, in Patavii obſidione. 383.
Quirinus (*Hieronymus*) decemvir, Patavium mittitur ad ſedandum tumultum. 315. Bergomi praetor. 470.
Quirinus (*Lucas*) Corcyrae praefectus. 160.
Quirinus (*Vincentius*) ad Maximilianum orator. 239. A Maximiliano dimittitur. 240.

R

Rangonius (*Guidus*) ſtrenue pugnans capitur. 432. Hoſtem a quo captus fuerat, captivum ducit. 433. Equitum numerus illi augetur. *ibid.* Suavium capit cum magna hoſtium clade. 437. A Gallis ad Villam-francam pugnans capitur. 454. Equitibus gravis armaturae praeficitur. 461.
Rangonius (*Joannes-Franciſcus*) levioribus Venetorum equitibus praeficitur. 461.
Raſpum in Iſtris ab hoſte capitur. 335. A Venetis recipitur. 336.
Ravenna: pontificiis deditur. 286. A Gallis capitur & diripitur. 460. A pontificiis recipitur. 461.
Rhearius (*Hieronymus*) ejus caedes. 16.
Rhodigium: ab Alphonſo capitur. 292. Redit ad Venetos. 343. A Ferrarienſibus iterum occupatur. 367. A Venetis ad deditionem compellitur. 386. Ab Alphonſo recipitur. 394. Ad Venetos revertitur. 444. Denuo recipit illud Alphonſus. 466.
Rinundius (*Andreas*) Caſtelli-novi in Querio praefectus, turpiter ſe fugae mandat. 303.
Ripa (*Andreas*) 107. Piſcheriae arcis praefectus, cum arce captus arbori ſuſpenditur. 292.
Roſae Dominus (*Monſigneur de la Roſe*) Venetias captivus ducitur. 443.
Rothomagenſis cardinalis: vide Amboſius (*Georgius*)
Roveretum: a Germanis obſidetur. 4. Ejus deditio. 6. A Germanis incenſum, a Venetis recipitur. 8.
Rubeus (*Guidus-Maria*) per hoſtium cuneos elapſus, refert de iiſdem victoribus victoriam. 13. Ejus obitus, & funus. 24. Laudatur a Sabellico. *ibid.*
Rubeus (*Philippus*) pugnat minus feliciter in ſaltu Caſinate. 90.

S

Sabellicus (*Marcus-Antonius*) ubi decadibus finem imponat. 2. Guidum-Mariam Rubeum laudat. 24. Ejus obitus. 235.
Sabellus (*Troilus*) reip. militiam facit. 383. Militum numerus illi augetur. 392. A Senatu dimittitur. 444.
Sadoletus (*Jacobus*) Leonis X. ab epiſtolis. 471.
Sagredus (*Laurentius*) claſſis praefectus. 269.
Salomonius (*Aloyſius*) Cephallenae oppido praeficitur. 178.
Saornianus (*Antonius*) ejus in remp. peridia. 435. 436. Ejus caedes. 462.
Saornianus (*Federicus*) nobilitati Venetae aſcribitur. 6.
Saornianus (*Hieronymus*) Forumjulium ſtrenue tuetur in bello Rhetico. 6. Iterum in bello adverſus Maximilianum. 212. Premium ſeque dedere cogitur. 251. 252. Legatus ad Helvetios, quattuor ipſorum pagos foedere Venetis jungit. 266. Fruſtra cum Gradonico legato Cividale aggreditur. 320. Ob ejus praeclara in remp. merita in Senatu primus legitur. 329. Caſtellum novum in Carnia capit. *ibid.* Collateralis praetetus creatur. 335. Magiſtratu ſe abdicat, quo liberius reip. inſerviat. 354. Ejus adventu Germani perterriti, alpes remeant. 374. Oſopium ſtrenue tuetur. 436. Senator primus omnium legitur. *ibid.*

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Saornianus (*Jacobus*) militibus trecentis praeficitur. 6. Ad Caſtellum in Etruria magnam edit hoſtium cladem. 122.
Saregius (*Brunorus*) ſtrenue pugnans capitur. 314.
Scala oppidum: a Venetis capitur. 344. 345.
Scardona: ſe Venetis dedit. 43.
Scloporum uſus ex Germania in Italiam traducitur. 24. Decemviri ſanciunt, ut in eorum uſu juventus, praeſertim agreſtis inſtituatur 25.
Selymus: per impietatem ad Turcarum regnum ſibi ſternit viam. 464.
Senatus Veneti liberalitas in eos qui bene de rep. meriti ſunt. 15. 68. 79. 94. 127. 179. 180. 229. 244. 322. 347. 402. 456. Ejus pium & generoſum reſponſum. 73. 113.
Severinas (*Antonius-Maria*) ejus cum Sonnebergio ſingulare certamen. 6. Servato patre, ab hoſte capitur. 8. Sexcentis equitibus praeficitur. 15.
Severinas (*Gaſpar*) ſexcentis equitibus a Senatu praeficitur. 15. Sfortiae copiarum praefectus. 88. Ipſius & fratrum bona, quae in Venetorum finibus, fiſco addicuntur. 166. Ad Gallorum regem tranſit 288. Citadellam occupat. 317. Vicetiae a Maximiliano praeficitur. 336. Fruſtra Vicetiam in Venetos propugnat. 337. Cur illi copiarum imperium a Venetis non delatum. 419. 420. Venetias ſe conferens, civium quorumdam Vicetinorum opibus juvatur. 450. Tranſit in Venetorum caſtra cum ſtipendio. 453.
Severinas (*Jo. Franciſcus*) Sfortianarum copiarum praefectus. 58. Foederatis ad Tarum non ſatis fidus. 65.
Severinas (*Robertus*) Venetarum copiarum imp. 5. Ab hoſte circumſeptus, aegre a filio ſervatur. 8. Statuit Tridentum aggredi *ibid.* Res ab illo geſtae in Rhetis. 11. *&ſeqq.* Ejus interitus. 13.
Sexviri rei ſalariae ad quattuor rediguntur. 381.
Sfortia (*Alexander*) ad Ferdinandum Aragonium transfugit. 44.
Sfortia (*Aſcanius*) Cardinalis; cur ab Alexandro pont. in cuſtodiam traditus. 47. Captivus in Galliam ducitur. 166.
Sfortia (*Catharina*) Forilivii & Foricornelii domina: milites pro Florentinis ſcribit. 123. Antonius Ordelafius illi ſe opponit. 124. Caeſaris Borgiae captiva. 163.
Sfortia (*Galeatius*) Mediolanenſium dux, ſub Ludovici tutela. 36. Alphonſi Aragonii filiae maritus. *ibid.* Ejus obitus. 45.
Sfortia (*Ludovicus*) quibus artibus Mediolanenſem ducatum invaſerit. 36. Cur Carolum VIII. in Neapolitanos reges inſtigarit. 37. *& ſeqq.* Ejus adventum in Italiam ſollicitat. 40. Venienti ad Aſtam occurrit. 45. Venenum Jo. Galeatio propinat. *ibid.* Mediolani ſe ducem dicit. *ibid.* Quae cauſſae illum adverſus Carolum incenderint. 53. Foedus percutit cum Pontifice, Caeſare, Hiſpaniae rege, Venetis, aliiſque principibus in Carolum. 53. 54. Genuam a Carolo conatur avertere. 55. Ejus in ſocios perfidia. 60. 65. Duo gallica ſigna a Genuenſibus capta Venetias mittit. 67. Novariam obſidet. 69. Pacem cum Carolo facit. 71. Ejus in Venetos perfidia. 71. Novariam recipit. 73. Auctor foederis in bello Piſano adverſus Florentinos. 87. A Maximiliano Mediolani dux appellatur. 89. Ejus de Maximiliano foederatorum copiis praeficiendo conſilium. 103. Lucenſibus inſidiatur. 120. Venetis copiis Piſas contendentibus negat per ſuos fines itineris facultatem. 121. Franciſcum Gonzagam ſuarum copiarum imperatorem facit. 123. Venetos a Piſanorum defenſione deterret. 124. Florentinis clam favet. 125. Foedus inter Ludovicum XII. & Venetos in Sfortiam. 140. Sfortia ſe ad bellum parat. 142. Mediolanenſem ducatum amittit. 145. *& ſeqq.* Ducatu amiſſo, fugam capit. 147. Legatos ad Bajazetem contra remp. mittit. 164. Mediolanenſem ducatum recipit. 164. Ad Novariam capitur. 165. In Galliam ductus moritur. 166.
Sfortia (*Maria*) Jo. Galeatii filia. 45.
Sfortia (*Maximilianus*) a Mediolanenſibus recipitur. 471.
Sigiſmundus Auſtriacus: bellum Venetis infert. 3. Cum iiſdem pacem facit. 15. Ejus pacis conditiones. 26.
Singulare certamen: Antonii-Mariae Severinatis cum Georgio Sonnebergio. 6. Andreae Civrani cum Chriſtophoro Friapane. 440.
Soares (*Laurentius*) Hiſpaniae regis ad Venetos orator. 51. Agit de foedere in Carolum VIII. ineundo. 52.
Soderinus (*Franciſcus*) Cardinalis: Julium II. in Venetos inſtigat. 222. 233.
Sonnebergius (*Georgius*) ejus cum Antonio-Maria Severinate ſingulare certamen. 6. Antonium-Mariam a ſe victum, cum muneribus liberum dimittit. 7.
Spinellus (*Carolus*) Cariati comes: Venetiis domicilium ſtatuit. 448.
Stella (*Jo. Petrus*) Senatus ſcriba: ad Maximilianum legatur. 261.
Suavium: a Venetis recipitur. 437.
Superantius (*Gabriel*) triremis praefectus: ad Leucadiam fortiter pugnans cadit. 213. 214.
Superantius (*Hieronymus*) adoleſcens in Senatu allectus. 214.
Surianus (*Andreas*) Legatus in Iſtris, ab hoſte funditur. 431.
Surianus (*Antonius*) ad Pannonem orator. 462.

Ta-

T

Tarentini: dedere ſe Venetis decernunt. 96. Federico ſe regi dedunt. 97.
Tarviſum: ejus civitatis in Venetos fides. 297. A Venetis munitur. 374. 423. 427. A Gallis & Germanis fruſtra oppugnatur. 440.
Tergeſtum: ſe Venetis dedit. 249.
Terraemotus Venetiis ingens. 409.
Theupola (*Junipera*) Jo. Sfortiae, Piſauri domino, nubit. 231. 380.
Theupolus (*Matthaeus*) Juniperam filiam Jo. Sfortiae, Piſauri domino, deſpondet. 232.
Tremezeni rex foedus cum rep. facit. 21.
Tretium: ab Hiſpanis capitur & diripitur. 471.
Trevium: a Venetis expugnatur & diripitur. 274.
Triſſinus (*Leonardus*) Maximiliani nomine Vicetiam & Patavium recipit. 294. Senatus ad illum legatio irrita. 306. Venetorum captivus. 315.
Triviſanus (*Andreas*) Utini *Locumtenens*; *Sapiens continentis*. 441. Utini *Locumtenens* 445.
Triviſanus (*Angelus*) claſſis praefectus in bello Cameracenſi. 265. Flumen capit & diripit. 335. Clodiam jubetur claſſem reducere. 336. Claſſem jubetur per Padum in Alphonſum Ferrarienſem ducere. 341. Ejus res geſtae in Alphonſi finibus. 344. Renuit claſſem reducere. 347. Claſſem amittit. 348. Rei male geſtae accuſatur. 349. 357. In exſilium mittitur. 357. Ab exſilio revocatur. 378.
Triviſanus (*Benedictus*) ad Ludovicum XII. orator. 144.
Triviſanus (*Dominicus*) ad Turcam orator. 27. Ad Carolum VIII. orator. 47. Heſtori Manfredo tutor a Senatu datur. 85. Inde revocatur 108. Ad Hiſpaniae regem orator. 115. Cremonae primus praetor. 148. Ad Ludovicum XII. orator. 200. Procurator, ad Julium II. orator. 233. Ad Ludovicum XII. orator. 237. Ad Julium II. orator. 294. Ad Aegyptium regem orator. 445. Reip. nomine foedus cum ipſo renovat. 468.
Triviſanus (*Melchior*) copiarum legatus in bello adverſus Carolum VIII. 58. Claſſis praefectus in bello Neapolitano. 91. Paulam recipit. *ibid.* Commeatum Piſas inducit. 111. Copiarum in bello Sfortiano legatus. 144. Claſſis imp. in Bajazetem. 160. Fruſtra Cephallenem aggreditur. 166.: ejus obitus. 169.
Triviſanus (*Nicolaus*) Procurator: ejus obitus. 404.
Triviſanus (*Paullus*) ad Federicum imp. orator. 22.
Triultius [*Jo. Jacobus*) ſub Alphonſo rege meret. 44. Primam Caroli VIII. aciem ducit. 59. Ab equitibus Graecis repellitur. *ibid.* Gallici exercitus praefectus, Mediolanenſem ducatum invadit. 145. Et occupat. 145. *& ſeqq.* Eumdem recuperat, capto ad Novaram Ludovico duce. 165. *& ſeqq.* Ejus ad Caroldium Mediolano abeuntem verba. 262. 263. Ludovicum XII. ab Abdua trajiciendo abſterret. 279. Tres Venetos cives, in Galliae municipiis captos, Venetias liberos mittit. 359. Multa in Patavinis & Vicetinis finibus oppida capit. 368.
Triumviri *Sanitatis*: quando coepti creari. 23.
Triumviri rei navalis: quando primum Senatorum ſuffragio allecti. 89.
Tronus (*Antonius*) *Conſiliarius*: legem fert de ratione ferendorum in comitiis ſuffragiorum. 29. Procurator: claſſis Padanae praefecturam reſpuit. 350. Rebus navalibus praeficitur. 442.
Tronus (*Hieronymus*) Naupacti praefectus: ejus ſupplicium. 231.
Tronus (*Philippus*) procurator: ejus obitus. 199.
Tronus (*Silveſter*) Pyli praefectus. 177.
Tuneti rex: reip. amicitiam petit. 234.
Turcae: eorum conſternatio propter Caroli VIII. victorias. 51. Cujus linguae verbis ſcripta foedera ab illis rata habeantur. 139. Ipſorum in Forumjulium irruptio. 160. *& ſeqq.*

V

Valerius (*Gaſpar*) ejus ſupplicium. 412.
Valerius (*Vincentius*) trecentorum cataphractorum equitum quaeſtor & legatus. 109. Montopolim capit. 135. Arci Ariminenſi praeficitur. 252. Tormentis bellicis in bello Cameracenſi praeficitur. 265. Ad Abduam cum tormentis ad exercitum ſe confert. 272. Fuſo ad Abduam exercitu, fugit. 281.
Varanus (*Julius-Caeſar*) Camerini princeps: copiarum Venetarum imp. in bello Rhetico. 4. Aegen Veronam ſe confert. 8. Imperium illi abrogatur. 15.
Vendraminus (*Federicus*) Abbatiae praefectus: cum oppido a Ferrarienſibus captus. 343.
Vendraminus (*Nicolaus*) Portum-gruarium recipit. 442.
Venerius (*Andreas*) in caſtris Franciſci Gonzagae legatus. 67. Ad Julium orator. 233. In procuratoriae dignitatis petitione praeteritur, ejuſque laudes. 266.
Venerius (*Jacobus*) legatus Faventiam mittitur. 12[illegible]. Decem navium praefectus. 168. Triremem unam Turcam fortiter aggreditur. 170. Ravennae praefectus. 2[illegible].
Venerius (*Joannes*) Cephallenicae arcis praefectus. 179.
Venerius (*Marcus*) in expugnatione Monſilicenſi vulneratus, uſum prope manuum amittit. 402.

Ve-

BIBLIOTEKA PUBLIKE "MARIN BARLETI" SHKODER (2018)

Verona : Maximiliano se dedit . 294. Frustra a Venetis tentatur . 342. 361. 393.
Vicetia : Maximiliano se tradit . 294. A Venetis oppugnatur . 337. Venetis se dedit . 338. Ejus civitatis in remp. liberalitas . 365. Gallis se dedit . 370. A Venetis recipitur . 386. Ab hoste occupatur . 424. Ad remp. redit . 443.
Viturius (*Joannes*) Sacilis praetor , legatus in Carnis . 392. Germanos fundit . 403. 417. 418.
Uladislaus , Pannoniae rex : ejus foedus cum Venetis . 182. Turcas fundit . 200. 211. Annam Candalam uxorem ducit . 212. Renuit Cameracensi foederi subscribere . 319. Venetis bellum minatur . 382. Statuit a foedere cum Venetis non recedere . 416.
Ursinus (*Bartholomaeus*) Liviani dominus : hostilem militum turmam captivam facit . 129. Equitum Venetorum praefectus . 132. Ejus in Etruria res gestae . 133. *& seqq.* Iterum equitum Venetorum praefectus . 232. Germanos ad Cadoras fundit . 243. Cadoras expugnat . 244. Omnium copiarum praefectura illi demandatur . *ibid.* Cremonse & Goritiam capit . 247. Tergestinos ad deditionem compellit . 249. Aliae ejus res gestae in Istris . 250. *& seqq.* Portu-Naonis , civitate Veneta , & commitiorum jure a Senatu donatur . 253. Suadet , ut Veneti Abduam transeant . 272. 273. Auctor conflictus ad Abduam . 279. 280. In acie vulneratur , capiturque . 281. Renuit Gallus quocumque illum pretio Venetis reddere . 298.
Ursinus (*Laurentius*) Cerae dominus : *Rienzo di Ceri* : Venetorum millitiae ascriptus 373. Militum numero augetur . 378. Militum omnium praefectus . 386. Agitur in Senatu de copiarum imperio illi deferendo . 419. Augetur illi equitum , & stipendiorum numerus . 465.
Ursinus (*Nicolaus*) Pitiliani dominus : in Aragoniorum castris . 44. Hostiensem arcem expugnat . 49. Gallorum captivus . 50. E custodia ad Venetos transfugit . 64. Senatus in eum liberalitas . 66. Ad Novariam vulneratur . 70. Venetarum copiarum praefectus in bello Pisano . 109. Venetarum copiarum imp. 227. Venetias adveniens honorifice excipitur . 240. Dissuadet pugnam ad Abduam . 279. Differtur in annum eidem copiarum imperium . 325. Suavium recipit 341. Veronam frustra adoritur . 342. Montanianum recipit . *ibid.* Moriens copiarum praefectis fidem in remp. commendat . 355. Ejus obitus & funus . *ibid* .
Utinum : a Germanis occupatur . 435. A Venetis recipitur . 444.
Vulpius (*Thaddaeus*) equitum graviorum turmae a Senatu praeficitur . 270. Ejus virtus in tuenda Bononiae porta . 421. Augetur illi equitum numerus . 421. 433.

Z

Zancanius (*Andreas*) ad Tarentinos legatus . 97. Legatus copiarum legitur . 110. Ad Bajazetem orator . 138. Venetias refert foedederis , cum Turca leges latinis literis descriptas . 139. Legatus in Carnis bello Turcico legitur . 152. In Carnis rem male gerit . 160. Rei male gestae accusatur . 161. Et damnatur . 162.
Zanes (*Aloysius*) arci Tergestinae praeficitur . 250.
Zenus (*Jo. Baptista*) Cardinalis : ejus obitus & testamentum . 185. Et funera . 186.
Zenus (*Lucas*) copiarum legatus . 67.
Zenus (*Thomas*) copiarum legatus in bello Pisano . 121. Ejus in Etruria res gestae 122. *& seqq.* Lege solvitur , quae magistratus prohibet iis demandari , qui fisco pecuniam debent . 159. Navium triginta praefectus legitur in bello adversus Bajazetem . 160. Frustra Cephallenem aggreditur . 166.

BIBLIOTEKA PUBLIKE
"MARIN BARLETI"
SHKODER (2018)

BIBLIOTEKA PUBLIKE
"MARIN BARLETI"
SHKODER (2018)